Universidad de Deusto
Biblioteca

HISPANIÆ
BIBLIOTHECA

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 50
Plúteo 5

Gr. Uriarte, n. 2399.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISPANIÆ BIBLIOTHECA SEV DE ACADEMIIS AC BIBLIOTHECIS.

ITEM

ELOGIA ET NOMENCLATOR CLARORUM Hispaniæ Scriptorum,

Qui Latine disciplinas omnes illustrarunt

PHILOLOGIÆ
PHILOSOPHIÆ
MEDICINÆ
IVRISPRVDENTIÆ, ac
THEOLOGIÆ,

TOMIS III distincta.

In I. HISPANIÆ *Religio, Academiæ, Bibliothecæ, Episcopi, Concilia, Reges, &c.*
II. ELOGIA *Scriptorum Veterum, Recentium, Theologorum, Religiosorum, Jurisconsultorum, Medicorum, Historicorum, Poetarum.*
III. ELOGIA *& Nomenclator diuersarum nationum Hisp. Baticorum, Lusitanorum, Carpetanorum, Aragonum, ac Valentinorum.*

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE COMILLAS BIBLIOTECA MADRID
119983
BIBLIOTHECÆ OMNIENSIS SOCIETATIS JESU

FRANCOFVRTI
Apud Claudium Marnium & hæredes Ioan. Aubrii.
M. DC. VIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX AVCTORVM QVIB. HIC VSI POTISSIMVM SVMVS.

Ioan. Mariana Societ. IESV Theologus.
Melchior Cerda Societ. Iesu.
Andreas Schottus Antuerp. Soc. Iesu.
Ioan. Marietta Ordinis S. Dominici.
Ioseph us Stephanus, Episc. Oriolanus.
Io. Bapt. Cardona Dertusanus Episc.
Hieronymus Surita Cæsarauguſtanus.
Alfonsius Villadiegus Asturicensis. I.C.
Ioan. Vasæus Brugensis; Belga.
Ambrosius Morales Cordubensis

INGENIA VT VARIANT, VARIO SIC ORDINE PROMENS
DICTA, ET FACTA, SIMVL. BIBLIOTHECA VOCOR.

ILLVSTRI

ILLVSTRI VIRO

INICO BORGIÆ

GANDIÆ DVCIS F. ARCIS ANTVERP. ET LEGIONIS HISP. IN BELGIO PRÆFECTO.

QVod in rerum natura accidere, Vir Illustris BORGIA, *Physici, reiq; rusticæ scriptores obseruant, varia varijs in terris nasci atq; exsistere, eandem ingeniis diuersitatem inesse compertum est, vt acuti alibi, alibi hebetes exoriantur. De terris quidem Maro in Georgicis:*

Hic segetes illinc veniunt felicius vuæ,
Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina ———

Et: Continuo has leges æternaque fœdera certis
Imposuit natura locis ——

De ingeniis philosopharilibet, quorum vt opinionum ac iudiciorum, sic & capitum magna varietas. Plato enim Academiæ Princeps in Epinomide, Atticam terram omnium putat esse ad virtutem aptissimam, quasi hyemalem inter & æstiuam naturam mediam. Idemque copiosius de Thracibus & Scythis, lib. 4. de Repub. Aristoteles quoque huius auditor de optimo Reipublicæ statu disputans, lib. 8. Politicorum. Quæ gentes, *inquit*, in locis frigidis, quæq; in Europa habent, animi quidem & ardoris plenæ sunt, cogitationis vero &

Universidad de Deusto
Biblioteca

artis aliquanto inaniores. Quocirca libertatem quidem magis retinere solent, Resp. vero suas minus benè administrare, nec finitimis imperare possunt. Quæ autem Asiam incolunt, mente sunt illæ quidem in cogitando, & in artibus inueniendis sollertes & ingeniosæ, sed nullius animi, quocirca perpetuo parent ac seruiunt. Porrò autem Græcorum natio, quemadmodum quod ad loca attinet, media interiecta est, ita & ambarum illarum est particeps. Nam & ferox & animosa, & sollers atque ingeniosa. quapropter & semper in libertate viuit, & perpetuo Remp. suam optime administrat, vt omnibus imperare possit, si vnam Reip. administrandæ formam consequatur. Eodem autem modo inter se differunt Græcorum nationes. Aliæ enim ingenio præditæ sunt mero & simplici: aliæ ad hanc vtramque vim benè temperatæ..

Marcus item Tullius de Fato differens: Athenis, *inquit*, tenue cælum, ex quo etiam acutiores putantur Attici; crassum Thebis: itaque pingues Thebani & valentes. *Qui Bœoti cum essent, & in Græcia propemodum vmbilico sedes haberent, crassi tamen & pingues prouerbio audiebant: vt &* auris Bataua *Bilbilitano Poetæ. Arcades etiam asperi ac duri, cantare tamen periti, teste Polybio & Marone. Quis tamen credat Charonensem Plutarchũ licet Boeotum vsq; eo in Philosophia atque historia excellere potuisse? Nimirum mirata antiquitas Scythas inter Anacharsim veluti rosam in spinis exortam, vt in Abdera Democritum quem, incolæmente captum cum putarent, Hippocratem Medicorum Principem ad curandum amentes ipsi euocarunt. Siculi quoq; vt & insulanos attingam, acuti; nihilo tamen reliquis meliores. Venio ad Hispaniam, qua de nobis institutus sermo est. Cordubenses idem Cicero Poetas ait produxisse plurimos, sed pingue quiddam & crassum sonantes. In ipsa varietatem obserues. Vt enim in mediterraneis locis solida ac robusta gignuntur corpora, militiæ laboribus aptiora; sic & ingenia existunt longe firmiora; molliora vero in maritimis locis, quod externorum moribus, ac mercibus corrũpi atq; eneruari consueuerint. Hinc & Cæsar Iulius, vir, vt strenuus, ita & iudicio præstans de Gallicis gentib. Belgas præstare affirmat, iterũq; in his Neruios,* quod nihil eorũ, quæ ad effœminandos animos pertinent, importari tũ foleret. *Igitur obseruatũ acutos esse ac subtiles Toletanos, indeq; ut milites fortissimos, sic & Philosophos ac Theologos excellẽtes existere: Lusitanos vero vt Musicæ admodum deditos, ita & Poetas euadere; Medicos quoque ac Iurisconsultos, qui Salmanticæ lauream profitendo tulerint. Valentiæ autem Oratores nasci plurimos ac Medicos, qui Lutetia veluti Coloniam deduxerint. Verum de his haud scio an incolæ certiora obseruarint, certe litterarum monumentis, quod equidem viderim, minime proditum. Tribus itaque partibus hanc Hispaniæ Bibliothecam, quam tibi libens volensque dedico, partitus sum, vt prima de Academiis, & quæ hinc exsistere solent, Bibliothecis, reque adeo omni Ecclesiastica, vt Religione, Diuis, Episcopis variis, Regibus, ac Nobilium virorum*

titulis, Vrbibus, Locis item ac Fluminibus, breuiter tamen differam. Altera vero parte Classes sic partior, vt prima, veteres cũ Sacros tum Profanos enumerem: dein Religiosorum, quos Mendicantes nominant Familias quattuor; ac Societatis Iesu Sacerdotum. Hinc Iurisconsultorum ac Medicorum Coryphæos, hoc est, de plurimis ac prope infinitis selectos quosdam, maiorumque gentium non proletarios elogiis ornem. Sequuntur Historici, sed de multis optimi, qui res Hispanorum domi militiaque gestas litterarum monumentis populari etiam lingua consignarunt. In vltima serie Poetæ sunt etsi pauci, quibus latinum pangere carmen volupe fuit. Nam Iberos versificatores, si recensere libuisset, militarium greges numerando, opus per se conficere potuissent. His matronas Hispaniæ eruditas subiecimus, quæ vt viragines sunt, & reliquarum gentium feminis compositæ, viros potius alacritate dixeris, ita plures etiam, quam vlla natio doctas feminas Hispania protulit: quæ, si verum fateri volumus, augere censum possint Illustrium feminarum quas Plutarchus, Bocatius, aliique collegerunt. Tertium denique Tomum quinque Nationum Classibus distinximus, vt varietate tædium Lectoris leuaremus. Primi erunt in hac tabula, quandoquidem, vt canit Propertius

Cogimur è tabula pictos edíscere mundos

Bætici, *qui hodie* Andaluzii *vocantur: dehinc* Lusitani, *qui & Portugalenses, mox Castellæ vtriusque incolæ, &* Carpetani *occurrent: succedent hinc* Celtiberi *seu*

seu Aragonii, *quibus* Cathalaunos, *& Maioris* Balearis *insulanos adiunximus. Denique* Valentini *agmen claudent, vbi sane magnus est doctorum eloquentium, vt & militarium, vt probe nosti numerus. Quem quidem congerendi digerendique laborem nostrum, boni, vt consulas, etiam atque etiam rogo: & quisquis hæc leget, amplificare etiam atque augere vt velit, maiorum in modum obtestor.*

Vale.

A. S. Peregrinus.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPITVM BIBLIOTHECÆ HISPANICÆ TOMI I. INDEX.

CAP. I.

HISPANIÆ *Nomina & Encomium.* Pag. 1.
Religionis in Hispania antiquitas, fides, & constantia. pag. 7.
De B. IACOBI *Apostoli in Hisp. Sociis, & Translatione,* 8. & 9.
De Priscilliano & Priscillianistis, & Feliciana hæresi. 13. 14. & seqq.

CAP. II.

Academiarum Hispaniæ Catalogus. 28.
Salmanticensis Academia. 32.
Academia Complutensis. 52.

CAP. III.

De Regia Bibliotheca, & Monasterio Hieronymianorum ad S. Laurentium Escuriaci. 62.
De Bibliotheca Regia Consilium. 68.

CAP. IV.

Gentium Vrbium, Montium, Fluuiorum Hisp. Catalogi tres. 81.

CAP. V.

Episcoporum ac Sanctorum series. 101.
Nomina Episcopatuum Hispaniæ Wamba Rege. 112.
Constantini diuisio Episcopatuum. 114.
Episcopi Hispaniæ iidemque Martyres & Confessores. 119.
De Episcopis & Conciliis, Cæsaraugustanis. 125.

CAP. VI.

Nobilium Hispanorum, Comitum, Marchionum ac Ducum series duplex pag. 130.
Epitaphia Regum quorundam atque Episcoporum. 142. & seq.

CAP. VII.

De Gothis Hispaniæ Regibus, & Toletanis Conciliis fusius. 146.

Hispaniæ

Hispaniæ Nomina.

CAP. I.

HESPERIA primum dicta, & quidem vltima ab Horatio Flacco, lib. 1. Carminum, Oda XXXVI. Græcis enim Italia Hesperia dicta, ab Italis vero Hesperia vltima Hispania, vt occidua ab Hespero sidere vesperi lucente.

Hebræis Sepharad appellata, vt Abdiæ 1. v. 2. vbi Benedictus Arias Montanus Hispalensis ad illa Prophetæ verba: *Transmigratio Hierusalem quæ in Bosphoro est*, de his pluribus agit, non à Tubala Noemi Nepote primo occupatam Hispaniam docens.

Iberia ab Ibero flumine, vnde & Celtiberi, quod Celtæ eo cõmigrarint, à Poetis Lucano & Silio dicti. Illi lib. 4.

——Profugiq; à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Silius vero lib. 3.

Venere & Celtæ sociati nomen Iberis.

Hispania, quam ΖΠΑΝΙΑΝ B. Paulus nominauit Epistola ad Romanos Cap. 15. cuius etiam diuitiæ opesq; auri & argenti prædicantur 2. Machab. 8. Siue à raritate dicta Græcis σπανία, seu capite trũcato vocabulo ex ἱσπανία. Plutarchus alibi à Pane Deo Arcadiæ Dionysii Herois Comitè nomen deriuat: sed non ego credulus illi. Vt Pania dicta sit, mox addita syllaba, Hispania. Sed plura de Hispaniæ nomine, atq; adeo vrbiũ omnium nomina, suggeret Ludouici Nonii Hispania recens, typis excusa.

Forma Hispaniæ est corio bobulo βύρσηβοεία similis, vt auctor est Strabo lib. 11. Geograph. Libet & Ioannis Tzetzę versus Politicos de flumine Bæti, vnde & Bæticæ Prouinciæ nomen, (quæ à Vandalis Vandalusia indigitatur) deq; aliis Hispanię oppidis adscribere, è Chiliade VII. versu 709.

Τῆς βαιτικῆς τῶν ἱσπανῶν γῆς ποταμὸς ὁ βαῖτις.
Τῶν ἱσπανῶν τυγχάνουσι τρεῖς γὰρ ἐπαρχίαι,
Η βαιτικὴ, λυσιτανῶν, καὶ ταῤῥακωνησίων.
Τῆς βαιτικῆς οὖν ποταμὸς ὁ βαῖτις τε καὶ βαίλων,
Καὶ βαρβησόλας ποταμὸς, καὶ πόρτος δὲ, καὶ μάγηθ.
Καὶ πόλεις, βαρβησόλα καὶ βαίλων τε, καὶ μάγηθ.

Universidad de Deusto Biblioteca

Καὶ κάλπη πόλις, ὄρος τε, καὶ στήλη σὺν ἐκείνοις.
Καὶ βαισιππὼ δὲ σὺν αὐτοῖς, ταύτης ἑτέρα πόλις.
Καὶ κετινοῦσα πόλις δὲ τὰ γάδειρα δὲ νῆσος.
Ὄρος δὲ τὸ καρίανον τίς σοι τὰ πάντε φάσοι;

Strabo in Hispaniæ descriptione tradit sex millibus annorũ, ante se natum, populos, Bæti fluminis accolas, habuisse literas & carmina. Quod si sex mille annos solares intelligas omnino falsum: cum illud temporis spatium etiam mundi ipsam creationem transscendat. Quod si auctoritate Xenophontis, libello de æquiuocis millia, quæ quadrimestres facias, erit vero simile, cum duo annorum solarium millia, quæ de sex mille quadrimestribus conflantur, ab Augusto Cęsare, quo imperante Strabo vixit, in Ninum Assyriorum Regem incurrant: cuius ætate iam apud Assyrios erat literarum vsus. Verum γνήσιος non est Xenophontis ille libellus: sed ab Annio Viterbiensi cõfictus putatur, vt infra extremo Tomo 11. huius Bibliothecæ, ex Ioanne Goropio disputamus. & de annis orbis recens conditi disserit Petrus Messias lib. 1. variarum lectionum. & Benedictus Pererius in Danielem.

Sallustius libris Historiarum, *Hispanorum* morem fuisse tradit, vt in bellum euntibus iuuenibus parentum res belli præclare gestas matres commemorarent: quemamodũ de Lacænis matronis Plutarchus refert, cum in militiam filii abirent tradito clypeo, aut cum hoc, inquiebant, fili redi, aut in hoc.

DE HISPANIÆ LOCIS ET VRBIBVS VAL. MARTIALIS AD LICIANVM LIB. I. Epigrammatum.

Vir Celtiberis non tacende gentibus
Nostraq; laus Hispaniæ,
Videbis altam Liciane Bilbilim,
Equis & armis nobilem
Sterilemq; canum niuibus, effractis sacrum
Vada Veronem montibus
Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona, quod felix amat.

Tepidum

Tepidum natabis lene Congedi vadum
Mollesq; Nympharum lacus.
Quibus remissum corpus adstringas breui
Salone, qui ferrum gelat.
Præstabit illic ipsa figendas prope
Voberta prendenti feras
Aestus serenos aureo franges Tago
Obscurus vmbris arborum.
Auidam rigens Dircenna placabit sitim
Et Nemea, quæ vincit niues, Nemeta.
At cum December canus & bruma impotens
Aquilone rauco mugiet,
Aprica repetes Tarraconis littora
Tuamque Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, & vernos apros,
Leporemque forti callidum rumpes equo
Ceruos relinques villico
Vicina in ipsum silua descendet focum
Infante cinctum sordido.
Vocabitur venator, & veniet tibi
Conuiua clamatus prope.
Lunata nusquam pellis & nusquam toga.
Olidæq; vestes murice.
Procul horridus Liburnus & querulus cliens,
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus somnum reus
Sed mane totum dormies.
Mercetur alius grande & insanum sophos:
Miserere tu felicium;
Veroq; fruere non superbus gaudio
Dum Sura laudatur tuus.
Non impudenter vita, quod reliquum est, petit
Cum fame, quod satis est, habet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE HISPANIA

FRAN. FRANCHINVS CONSENTINVS

AD IOANNEM CASAM ARCHIEPISCOPVM
Beneuentanum.

Partes vt orbis, Iane vir optime,
Visas omittam dicere ceteras,
Dicam tuis quæ digna Musis
Vltima in Hesperia notaui.
Sucronem, Iberumq; & Sicorim, & Tagum,
Batimq;, Lethemq; & Durium, atq; Anam,
Transiuimus, lustrauimusq;,
Temporibus loca clara priscis:
Carthago visa est, portus, & Insula,
Duræque funus triste Numantiæ,
Mundæque deformes ruinæ,
Et rogus & cineres Sagunti.
Nec non Ilerda, & Corduba, & Astigis,
Augustæ, & Augusti Oceani ad vada
Aequata cælo celsa Turris
Curaque, Tarraco Scipionum:
Auri metallo terra ferax scatet,
Argento abundat, marmoribus nidet,
Dat poma, equos pascit frementes,
Et Zephyro fruitur tepenti.
Est sermo genti pene Latinus, &
Romana vox est auribus omnium,
Vt qui sonum inuicti nepotes
Magnanimum referant auorum:
Cunctis decorum est palliolum, & breue
Ensisque acutæ cuspidis aureus,
Cultuque verboque elegantes
Iure hominem alliciunt amores.
Martis sequuntur castra libentius
Fortes Iberi, robore & artibus.

In prælio præstant, feruntque
Aestum, hyememque; famem, sitimque.
Nostris fuerunt temporibus Duces
Plerique bellis insuperabiles,
Magnisque præclari triumphis
Laudibus & meritis superbi;
Consalue te non Indibilis fuit
Præstantior, te Borgia non Cydus:
Te Leiua non Mandonius, nec
Cortesio Viriatus armis;
Terra fere omni, gloriaque & decus
Mauortis inuictusque Deum genus,
E Noricis Dux primus oris
Iure dat imperitatque...

VALENTIÆ VRBIS HISPANIÆ LAVS

ADVERSVS IVL. CÆS. SCALIGERVM ACERBE
eandem vituperantem.

Dente Theonino cur sic proscindis Iberos?
An quod mentis inops rumperis inuidia?
Falleris innocuæ gentis sic crimine abuno
Ingenia & mores discere quemque iubes?
Aemula Romani generosa VALENTIA *Iberum*
Viribus imperii nomen & omen habens,
Tantum alias omnes inter caput extulit vrbes
Natio, quantum alias exsuperare solet.
Gentis honos pietas peregrinis hospita tellus.
Hospes adest? sedes commoda, parta quies.
Flaua Ceres sit rara licet, sed copia cornu.
Quas creat hæc diuite terra sinu.
Aspirant Zephiri: vestita hic fronde viresçit
Perpetuo tellus, arboris atque coma
Fallor? an hæc cœli nullo damnata rigore.
Temperies qua sic blandior aura venit?

ΡΩΜΗ
Robur Valentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hic ver assiduum, glacies neq; frigora lædunt:
Iurares tempe Thessala deliciis.
I nunc Elysios mireris Græcia campos;
Aut Fortunatas Oceaniq; domos.
Sed duros bello generat clementia cæli
Quamuis eximia est, eximia atq; soli.
Cernitur apricis in collibus vua racemis
Arboris hinc ramus pondere deprimitur.
Byssea dehinc carpunt, vt Seres mollia fila,
Bombycis teneris condita visceribus.
Quid referam moros? liquor en in arundine dulci
Nimirum hic superum nectar & ambrosia est.
GANDIA *terra ferax; ô terq; quaterq; beata:*
Mella fluunt calamis, saccareusq; liquor.
Hesperia ô iterum felix, tua si bona noris
Zoilus ipse licet rumpitur inuidia.
Salu magna parens frugum, quæ pacis alumna,
Hortis Hesperidum terra beata magis.

RELIGIO-

RELIGIONIS IN HISPANIA ANTIQVITAS AC FIDES.

EX ORAT. IOSEPHI STEPHANI EPISC. Ad Sixtum V. Pont. Max.

HABENT Hispaniarum Reges, & cum eis vniuersa prouincia, præter militarē virtutem ac laudem, qua maxime nobilitantur, insitam ac quasi innatam fidei pietatem per quam omnia suscepta consilia ad Apostolicam referunt sedem, vt in ea tamquā in firmissimis totius regni viribus ac munimentis insistant. Quæ pietas cum à Iacobo primū, & Paulo Apostolorum columnis, tum deinde à septem sanctissimis viris, quos B. Petrus Apostolorum princeps ex hac vrbe de fide & pace legauerat in Hispaniam, fuisset inducta & illata, vsq; adeo altius radices agere, & Autherii, Lucii, Sixti secundi, Melchiadis, & aliorum pontificum epistolis, & institutis propagari cœpit, vt numquam in ea prouincia hæreses ortæ, sed alibi inuectæ, numquam impietatis monstra, quę eius summa laus est, aut ibi nata, aut excitata fuerint. Intulit quidem ex Ægypto in Hispaniam, Marcus quidam Memphis ortus, superstitionē Priscilliani exitiabilem, secretis quibusdam arcanis occultam. Ex Narbonensi prouincia Vigilantius plurima apud Calagurim, & Barcinonem inuexit incommoda. Irruit præterea ex vltimo litore Oceani, & dirempta frigoribus plaga, gens à rerum natura bene relegata, stolida viribus, & indomita feritate, quæ cum vastitatem agris, solitudinem iuuentuti, periculum prouinciæ, ac pene exitium attulisset, plurimos quoque impuritatis errores intulit. Ergo non defuere ea tempestate piissimi Reges, qui coactis Apostolicæ sedis auctoritate quāplurimis synodis illam dedecoris maculam, hostili feritate susceptā, delerent & errores ex animis eriperent. Aspexit tunc clementissimus Deus placido vultu Hispaniam, quam non solum sanctissimorū Episcoporum, qui in ea floruerunt institutis illustrauit, sed etiam nouorū hominum illuuie paulo collapsam, epistolis Cyritii, Hormisdæ, Gregorii, quas in Hispaniā trasmiserāt, breui restituit. Iam quidē tum cursu trāquillo, à piis ductoribus gubernabatur, iā pacata & restituta prouincia Ro-

Seuerus Sulpicius lib. 2. hiſtor. Hieronymus cap. 64. in Esaiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

manæ religioni colla submiserat, cum derepente ingens procella, ac sæuus turbo transmarinæ feritatis illam subita tempestate peruertit. Dici vix potest, quanta celeritate hostes omnia conuulserint, quibus etiam viribus Hispaniæ generosa propago, constituto Pelagio Rege, & montuosis & asperis locis, quidquid hostium in ea prouincia erat, paulatim non aliena Regum ope ac vicibus, sed sua virtute fugauerit, submouerit, expulerit, deleuerit. Semper enim Hispania à multis nationibus afflicta abunde magnas calamitates pertulit, semper etiam à suis hostibus seipsam eripuit, aque seruauit. Sed quemadmodum seueri patres, filiis quos diligunt, seueriores ac tristiores sunt, vt per experimenta laborum excitent ad gloriam, ita Deus Optim. Max. Hispaniam plurimis laboribus, & difficillimis temporibus exercuit, vt eam Apostolicæ sedis auctoritate, & præsidio, multarum gentium, & prouinciarum aptaret imperio. Quod cum iam antea sub Petro, & Ildefonso aditum in varias provincias aperuisset, & à Ferdinando Rege Catholico in vastissimas novi orbis regiones late propagaretur, tandem CAROLVS quintus felicissimus Imperator, eas Hispaniæ rebus & fortunarum, & dignitatis accessiones fecit, quas sub Philippo II. Catholico Rege conspicimus.

DE B. IACOBI APOSTOLI IN HISPANIA DISCIPVLIS.

EX VETVSTISSIMO ECCLESIAE LVGDVnensis Martyrologio: Idib. Maii.

†Ctesiphon-te.

NATALIS SS. Confessorum Torquati, †Thysefontis, Secundi, Indalecii, Cecilii, Esicii, Eufrasii, qui Romæ à Sanctis Apostolis Episcopi ordinati & ad prædicandum verbum Dei ad Hispanias, tunc gentili errore adhuc implicatas, directi sunt. Cumque ad ciuitatem Accitanam venissent & propter laborem itineris, modicum quiescentes causa victus emendi, discipulos in vrbem misissent: mox Paganorum multitudo, qui tunc forte Diis festa celebrabant, eos vsq; ad fluuium prosecuta est. In quo pons miræ magnitudinis, & firmitatis exstructus, transeũtibus Sanctis, Dei nutu, cum omni insequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum ceteri territi, & cuiusdam Magnæ Senatricis luparia, quæ diuinitus inspirata eos

eos benigne suscipiens credidit, exemplum secuti: relictis Idolis CHRISTO Domino crediderunt. Post hæc diuersis vrbibus euangelizantes, & innumeram multitudinẽ CHRISTI fidei subiugantes: Torquatus Acci, Thysefon Vergii, Eufrasius Elyturgii, secundus Abulæ, Indelatius Vxci, Cæcilius Eliberi, Hesychius Carsecę, quieuerunt. Exstat vsque hodie miraculum ad cõmendationem precio sæ mortis eorum. Nam eadem solennitate apud præfatam Accitanam vrbem, ad sepulchrum S. Torquati, arbor oliuæ diuinitus florens maturis fructibus onustatur.

DE TRANSLATIONE S. IACOBI APOstoli ex Floriacensi vetere Bibliotheca Lugduni edita à Ioan. à Bosco, anno 1605.

SPiritum Sanctum paracletum per os Dauid Prophetæ dudum prælocutum fuisse nouimus, & quotidiana admonitione audiuimus, hanc esse gloriam õmnibus sanctis, &c. Matth. 14 p

Itaque post admirandam & adorandam Domini nostri IESV CHRISTI in cœlos Ascensionem, antequam sancti Apostoli prædicationis gratia secundum Domini Iesu præceptum, dispergerentur in mundum, Deo dilectus Apostolus Iacobus omnium Apostolorum primus, veluti athleta fortissimus martyrii coronam suscepit promptissime: ab Herode nequissimo Rege interemptus, qui non multo post Angelo Dei percutiente ad nihilum est redactus, &c.

Cum totus mundus iugo Dæmoniacæ seruitutis teneretur depressus, tenebrisque ignorantiæ suæ esset occæcatus, sanctissimi Apostoli iuxta Domini Saluatoris edictum, eum à suæ perfidiæ squalore eruere cupientes, vniuersis mundi partibus in fide Christi fortissimos, & lege sancta doctissimos, Euangelizare diuini verbi gratiam, direxerunt viros. Vnde factum est, vt prudentissimum omnique militia spiritali instructum eligerent virum Ctesiphontem sanctissimum, quem ordinauerunt Episcopum adiunctis sibi coepiscopis sociis. Hi missi Domini ad Hispanias delegantur, &c. Aptata itaque nauicula & quæ sibi videbãtur necessariis impositis, subito diuinæ dispensationis munere sibi collato, consilium ineunt: vt corpus sanctissimi Iacobi secum deucherent. Ctesiphon cum sociis ad sepulcrum properans glorioſi Apostoli; cum ingẽti deuocionis honore & tremore, inæstimabilis pretii pretiosissimam margaritam, à

Universidad de Deusto
Biblioteca

oco terræ humili sustollentes, cum magno & spirituali gaudio; in hymnis piæ iubilationis collaudantes Dominum decenter in naui composuerunt sua. Ergo absque remige, absque naucleri iuuamine, insciirectoris, mare eo tantum conscio cuius vectabant ossa, se credentes, sola Dei manu ductrice, sex dierum circuitione, per marinas procellas vsque ad locum à Deo sibi ante mundi constitutionem prælectum, nauis eorum ferebatur certissime. O mira Dei potentia?&c.

Dum corpus transferretur Iacobi Apostoli, & Martyris, senario denique dierum numero, in mari, vt dictum est, fluctuantes eius discipuli: septimo, Dei dextera gubernante, requieuerunt in portu, qui Birinus nuncupatur, eo quod inibi in mare bini profluant riui, vbi ostendit Deus futuris sæculis, quanti apud se Apostolus suus haberetur meriti. Subito namque à conspectibus intuentium sublatus, atque vsque ad poli centrum splendore igneo rutilans est eleuatus & ad locum suæ tumulationis proximum, propria diuinitate sibi concessum inenarrabili claritate conspicuus deuenit.

Degebat in extremis Galliciæ finibus gentilis & nobilis matrona, quæ erat multæ familæ, & ampliſſimi fundi possessor & Domina. Hæc in Idolio suo multa simulacra dæmoniorum recondita habebat, quæ sepissime adorabat: quia factorem & creatorem Dominum verum ignorabat, quem nec nominare hactenus audierat. Hæc secundum proprietatem linguæ ferociſſimæ gentis suæ ferali & rabulo atque superbo vocabatur nomine: nam Luparia dicebatur, &c. prius itaque superbiendo desipiens, & secundum vocabulum suum Christi seruos, ore rabido, execrando vehementer deterrens; postea autem Spiritus Sancti inspiratione illuminata ferocitatem belluinam trucis deponens animi, lota lauacro salutari, vbi omnes veterem hominem deponentes, nouũ induuntur, agnorum Christi est sociata collegio. Comperta itaque venerabiles viri Ctesiphon & socii huius nobilissimæ mulieris ampliſſima fama, multa Dei fiducia fisi, adeunt illam oraturi, vt in fundo quem tenebat, facultas sibi concederetur ossa tumulandi Apostoli Beati. Quos illa rigidæ mentis vesania acerbissime execrans, & execrando refutans, insani furoris typho repleta, ad Regem terræ illos talia petituros, properare ocius iubet. Qui nihil cunctati vt mandatum eis, solli cite per-

cite perquirere Regem satagunt. Quo reperto, proponunt illi de fide sancta sermonem simulque orando, satis ingeminant preces, dari sibi locum Apostolici corporis sepulturæ aptum. Ergo Rex truculentus gentilitatis errori deditus, venerabilium virorum auditis precibus, cognoscens eos Christicolas esse, prauo corde, malo ore, peruersa actione interimi eos iussit: nescius miser, imminere sibi velocius vindictam solius Regis Dei. Sanctitatis autem ministri, fragilitate carnis adducti, fugam capessunt; insciimirandæ virtutis Dei, quæ in ipsis per ipsum, Apostolica interueniente declaranda erat gratia &c. Denique sancti illi viri per viam qua venerant reuertentes deuenerunt ad fluuium Thare dictum, in portum Nicrariæ. Iuxta quem erat fons ampliſſimus, arcuato opere, saxeo ambitu circumseptus, penes quem publica via discurrebat; quem, delitescere cupientes, introgressi, sed repente mutato consilio, vt pleniorem magnificentiæ gloriam, glorioſus in seruis suis demonstraret S. Iacobus Apostolus præsago spiritu inde egressi sunt. Vt vero cognouit pestifer Rex sub vmbra alarum protectionis Dei sanctos clam effugisse: existimans iustos præscripto fonte absconsos, cum suis comitibus ingressus est intus. Ecce vero multiplice Dei virtute deducit consilia eorum in finem stultum egregio orante Iacobo Apostolo, omne illud ædificium cryptæ huius, quod in tanta perstiterat sæculorum soliditate miro modo subito corruit. Sed sanctorum à binæ actionis certitudine deuiare nescius est animus. Nam à Spiritu Sancto præmoniti præscriptam rursus adeunt mulierem sollicite eam præmonentes de tumulatione venerabilis Apostoli. At illa necdum verbis eorum credula, sed adhuc impænitens, conspiciens eos flentes, dixit illis: *In monte hoc proximo, qui Illicinus dicitur, armenta nostra pascuntur, euntes ergo illuc, quotquot cupitis tollite, & quo vobis cordi fuerit ducite, & in ipsis laborantes, operam impendite aptari domum, vt dicitis Apostoli vestri.* Contiguus est præfatus mons, sanctissimo & venerabili, totique orbi summæ deuotionis plenitudine excolendo loco, in quo cælestis Thesaurus, corpus S. Iacobi decenter & honeste in marmoreo mausoleo conditum est. Vocatus est autem ante mons *Illicinus*, nunc vero *Sacer* dicitur, ob glorificationem apostolicorum signorum, quæ Dominus per excellentissimum Apostolum Iacobum fidelibus suis declarare dignatus est. Præsumpserat enim sibi plurimam partem supradicti montis,

quasi in possessionem, immanissimus Draco, qui omnes circa se positos pagos horrendo flatus sui anhelitu exinaniverat, animantia deglutierat. Gradientes sancti per ascensum montis, donec ad locum deuenirent, quo illa sanguinaria & trucissima iacebat bellua, firmi, nihil hęsitãtes, munimine armati inuictissimi vexilli salutiferæ Crucis Apostolicæ defensoris sui protecti gratia, inuocata maiestate Iesu Christi, beatæ signum crucis obtutibus opponunt aduersarii. At ille non ferens vim virtutis Dei & Iacobi Apostoli glorioſi, velati fumus periit à facie terræ. Ex hinc factus est mons ille ante funestus, mons Dei, mons sanctus, mons sanctificationis, pinguedine inexhausti olei. Exinde cœptum prosequentes iter tandem diu quęsita reperiunt animalia, quæ indomita cum essent, sub manibus eorum sunt edomita: sicque libere quo voluerunt deduxerunt, & ad mulierem à qua missi erant reuersi sunt. Quæ visis tot miraculorum signis, nõ iam Lupa dicẽda, quippe ouis Christi mox erat futura, atque gregi Ecclesiæ socianda, quæ antea reniti conabatur præsumptione valida, corde & ore est compuncta. Terrebat eam velox Regis sui submersio, pauebat beluæ crudelis subitam deletionem, mirabatur iumentorum suorum emolitam ocius acerrimam feritatem. Et hæc omnia fassa est à Deo fieri ad dilecti sui Iacobi declarandam gratię celsitudinem. Hinc domus illa, quæ ante erat spurcitiæ & contaminationis, purgata aspersione Hysopi verę mundationis, templum facta est sanctificationis, & in honorem Dei ac venerabilis Iacobi Apostoli solenniter est consecrata, quę antea templum Iudęorum in Galoecia erat. Gratuito autem clementissimę miserationis Dei omnipotentis munere fidelibus concessum est, vt vna eademque die passionis & translationis eius sanctissima occurreret solennitas, vt duplicato Apostolici honoris gaudio multiplicaretur plenius & credẽtium deuotio in omnib. Iberię finibus. Diffusa est ex tunc Dei Ecclesia, & S. Ctesiphon sociique eius, sibi Episcopales ad diuini cultus solenniter ministerium peragendum deligunt. Ipse Ctesiphõ in ciuitate Vergi resedit, ceteris in propriis cõmanentibus locis. Tu autem inclyta Gallœcia gaude, quę es Etymologia nominis tui feliciter potita, quę dulcedine cœlestis lactis vberius es enutrita, beata gens tua, quę ad tantã arcem gratię est eleuata, vt concessum sit ei à Deo possidere Apostolum proprium protectorem & specialem patronum. Sic miris mirandisque præcellentissimi Apostoli virtutibus sperata prouenit credentibus indulgen- *Psal. 67.*

dulgentia: quia præstantior est sanitas animarum quam corporum. Et non solum in hoc omni reuerentia excolendo, verum etiam in omnibus eius sancto nomini dicatis locis, diuina hæc operatur pietas. Est namque in Neustriæ partibus Ecclesia sanctæ eius memoriæ sacrata, in qua ipsius religiosissimæ adorantur reliquiæ; Floriacensi S. Benedicti subdita Basilicæ: vbi tanta fieri quotidiana operatione nouimus miracula, quanta decet tantum operari Apostolum.

DE PRISCILLIANO ABVLENSI EPISCOPO & Priscillianistis.

HIc Abulæ notæ vlterioris Hispaniæ ciuitatis Episcopus, nominis sui hæresin condidit, Ecclesiamque perturbauit, teste Sigeberto in Chronicis: Valentiniano II. Imp. & Siricio Romano Pont. ad annum Christi 388. Ex errore Gnosticorũ & Manichæorum mixtum dogma composuit auctore Isidoro: & ex omnium hæreticorum sentina hæreses hausit, teste Leone Papa, Epist. ad Astoricensem Episcopum: & Augustino lib. de hæresibus, Cap. LXX.

Errores Priscciliani

I. Dicit cum Origine animas ante in fusionẽ corporis peccasse, & in pœnam peccati, corpori tamquam carceri in clusas.

II. Carnium escas pro immundis habet cum Tatianis & Encratitis.

III. Duos ponebat Deos bonum & malum, ab illo nihil, ab hoc omnia creata esse, vt & Gnostici & Manichæi sentiebant. Mundum enim à Dæmone factum aiebat, ab eodemque corpora seminari.

IV. Confundit cum Noeto & Sabellio Trinitatis personas. Hinc etiam patrem esse passum vt filium aiebat. Hinc & Patropassiani appellati: de quibus Eusebius, lib. X. Hist. Eccles. Cap. 29. quod nescirent distinguere essentiam, à persona.

V. Docet cum Manichæis, Diabolum ex sua natura malum esse, nec bonum fieri posse.

VI. Dicebat, cum Bardesale, homines stellis fatalibus alligari: & singulis corporis membris, signa Zodiaci duodecim, attribuit. qui error aperte tollit liberum hominis arbitrium. De hoc Decretum, Cap. IX. Concilii Bracarensis, & Cap. X. & Leo eadem epistola.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VII. Iuramentum sic admittebat, teste Augustino lib. de hæresibus, vt etiam periurium admitteret, nihilque occultum doctrinæ suæ reuelaret.

VIII. Idem refert Augustinus nuptias separasse, & fœminas à nolentibus viris, & viros à nolentibus fœminis disiunxisse. De talibus Paulus 1. Timoth. 4. Prohibentium nubere, & abstinere à carnibus &c.

IX. Dicebat, cum Montano, Prophetas Spiritu raptos non intellexisse quæ dicerent.

X. Natalem Domini, nec Resurrectionis diem, pie colendam. Negabat enim cum Manichæis Christum fuisse hominem.

Romam profectus, vt ait Sigebertus, & à SS. Damaso Pont. & Ambrosio repudiatus: in Galliis quoq; à S. Martino in Synodo Burdigalensi, aliisque Episcopis hæreticus iudicatur: mox maximum Imperatorem appellat, à quo auditus & Episcopatu pulsus, Treuiris ab Euodio præfecto cum multis asseclis perimitur, iubente Cæsare, vt huius sectæ semina in Hispania exstinguerẽtur. Damnata hæresis in Bracarẽsi, & Toletano primo, auctoritate Leonis primi huius nominis Pontificis. Sic de his Gabriel Prateolus, libro de hæresibus XIV Cap. 36. Vide & Sulpicium Seuerum lib. 2. Eccleſiast. Historiæ extremo: & ibi Carolum Sigonium pag. 613. & B. Isidorum de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, Cap. 2. in Ithacio Lamicæ Episcopo. & Ioan. Marianam Societ. Iesu lib. 4. Annalium Hisp. Cap. 20.

FELICIANA HÆRESIS.

HAnc quoque exstinctam in Hispania constat excitatam à Felice quodam Vrgelitano & Elipando Toletano Episcopis, Carolo Magno rerum potito, & Hadriano Pontifice Max: quæ secta Christum Dei filium esse adoptiuum falso asserebat, quod & Bonosiaci tenuerunt, de quibus Isidorus Cap. 20. Catalogi scriptorum Ecclesiast. Refutata autem Synodo Francofurtensi ad annum DCCXCIII. vt refert D. Baronius Cardinalis Tomo IX. Ecclesiast. Annalium: & breuius Ioan. Marianalib. 7. Annal. Hisp. c. 8 aitque Beatum quendam & Himerium longe copiosius (qui adhuc in Hispaniæ

Hispaniæ Bibliothecæ delitescat) scripsisse. Nos Paulinum attulimus Aquileiensem Episcopum, qui breuiter ac perspicue errorem refellit, vt & B. Thomas 3. parte summæ Quæst. 23. Art. 4.

PAVLINVS AQVILEIENSIS EPISCOPVS ADVERSVS FELICEM VRGELITANVM, ET ELIPANDVM TOLETANVM EPISCOPOS, *qui Christum adoptiuum Dei filium falso docebant.*

SANCTO incitante spiritu, ac Zelo fidei Catholicæ scintillatim sub pectore feruescente, clemẽtissimi & tranquillissimi, glorioſissimique Caroli Regis, domini terræ, imperii eius decreto per diuersas prouincias regni, eius ditioni subiectas, summa celeritate præcurrente, multitudo Antistitum sacris obtemperando præceptis, in vno collegio aggregata conuenit. Quadam vero die residentibus cunctis in aula sacri palatii, adsistentibus in modum coronæ presbyteris, diaconibus, cunctoq; clero, sub præsentia prædicti principis allata est epistola missa ab Eliphando, auctore noxii sceleris, Toletanæ sedis pseudoepiſco, Hispalensi termino circumseptæ: cumque iubente Rege publica voce recitata fuisset, statim surgens venerabilis princeps de sella regia, stetit supra gradum suum, & allocutus est de causa fidei prolixo sermone & adiecit: Quid vobis videtur; ab anno prorsus præterito, ex quo cœpit huius pestis insania, tumescente perfidiæ vlcere, diffusius ebullire non paruus in his regionibus, licet in extremis finibus regni nostri, horror inoleuit, quem censura fidei necesse est modis omnibus resecare. Cumque imprecata & concessa esset morosa dilatio per dies aliquot, placuit eius mansuetudini, vt vnusquisque quidquid ingenii captu rectius sentire potuisset, per sacras syllabas, die statuto, eius clementiæ oblatum, sui cor pectoris, fidei munus, stili ferculo, mentis viuacitate deferret. Sed sicut mos est hæreticis, tristia lętis, dulcia permiscere amaris, veneni poculum mellis sapore temperare, quędam in eadem epistola plena blaspemiis, & catholicę st-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dei reperta sunt modis omnibus inimica: quædam vero inueniri poterant non reiicienda, sed in eodem poculo, in quo gutta veneni infusa turgescit, mellis nihilominus amarescit dulcedo. Quapropter ego Paulinus, licet indignus peccator, omniumque seruorum domini vltimus seruus, Aquileiensis sedis, Hesperiis oris accinctæ, cui Deo auctore deseruio, nomine non merito, præsul, vna cum collegis dominis & fratribus meis, iuxta exilem intelligentiæ meæ tenuitatem, sancto perdocente spiritu, corde, lingua, stylo, contra eorum vesanias, qui rectæ fidei sunt aduersarii, respondere non formido: cum sit sancta & vniuersalis Ecclesia super firmam nihilominus immobiliter fundata petram, & portæ Inferi nequeant prævalere ad
Matth. 16. uersus eam. Verumtamen quia in mari huius seculi constitu ta persistat aduersis hæreticorum flatibus, violentis perfidorũ procellis, spumantibusque maledicorum vndis inlisa concutitur: licet quassari possit, & mergi nequeat, Christi firmata dextera, & Apostolico gubernaculo moderata, necessarium tamen existimo omnibus Christianis cunctisque fidelibus, maxime apostolicis viris contra, hostes eius, fidei armis dimicare. Non enim Christi miles impetum irruentis belli debet enormiter expauescere, nec effugii latibula in-
Eph. 5. ermis palãdo appetere, sed armis militię suæ pręcinctis irrumpentium hostium pectora spiritalibus iaculis ex arcu in torquens scripturarũ intrepide perforare: quatenus & semetipsum clypeo munitus inlæsum custodiat, & inimicorum latera spiculis cruentet acutis. nam ante certaminis trophæum tyronis complectitur circa verticem triumphalis corona: cuius rei ratio Apostolicis euidentius ap-
1. Cor. 11. probatur documentis: Oportet, inquit egregius prædicator, & de castris dominicis probatissimus miles, hæreses esse, vt ii qui probati sunt, manifesti fiant. Alta etenim nõnunquam dispensatione agitur vt vnde cadere ad ruinam timetur vacillantibus plantis, inde valentius roborata firmiter inconcussa persistant, & antiquus hostis vnde se vicisse superbe gloriatur, inde diuina superatus potentia se succubuisse doleat prostratus. Nam quia super fidei fundamenta omniũ virtutum fabricam persistere non ignorat, ipsam fidei malitiæ suæ manu eradicare soliditatem festinat: quemadmodum de eius satel-
Psal. 136. litibus, id est, malignis spiritibus, per psalmistã dicitur, Qui dicunt, Exinanite exinanite vsque ad fundamentum. Vsque ad fundamentum quippe maligni spiritus animam inaniter se exinanisse gloriantur, si ab ipso fundamento fidei firmitatem tentationum iaculaexaggerando eradicare valebunt. Sciunt vtique nihil esse boni omne quod videtur bonum, nisi fuerit super fidei fundamentum firmiter radicatum. Sine fide enim impossibile est placere: firmum autem *Hebr. 11.* fundamentum stat, & habet signaculum hoc, nouit Dominus qui *2. Timoth.* sunt eius. Licet ille sæuiat, ac mille modis fraude calliditatis serpendo extra septum sanctæ ecclesiæ, hinc inde squamas nequitiæ suæ istis scopulis inlisus, expoliet: ac per hoc circumquaque discurrens modo in orbe circulato latenter se circa viam obiiciens, vt pedem simpliciter calcantis mordeat: modo in summa sese suspendens falsitatis cauda, hæreticorum pectora veneno perfidiæ inficiendo tumida reddat, vt sauciata eorum vitalia, fastidiendo spiritalia, alimenta euomat. sed quia super firmam petram fundata est, portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Huius nimirum pestiferi ser- *Matth. 16.* pentis instinctu, fellisque poculo deinbriati quidam, quorum non sunt nomina in calculo candido agni inscripta, hæresin veternosam inlustrium, fortium scilicet virorum, calcibus mirabiliter inculcatam, catholicaque falce olim funditus detruncatam, spinosa moliuntur rediuiua radice suscitare de stirpe. Adstruunt igitur, sed falsis adsertionibus, *dominum nostrum Iesum Christum adoptiuum Dei filium de virgine natum*: quod diuinis nequeunt adprobare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in vtero virginis eum suspicautur adoptatum, quod dici nefas est: quia de beata virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptauit, carnem, aut certe purum eum hominem sine Deo natum (quod cogitare impium est) necesse est fateantur: ac per hoc quasi eguerit adoptione à patre in filium sit adoptatus: cum nihil Deus eguerit, qui erat in non per gratiam, quemadmodum in cæteris sanctis purisque hominibus, sed essentialiter per naturam. *Deus,* *2. Cor. 5.* inquit, *Apostolus, erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quo igitur pacto nobis adoptionem tribuit filiorum, si ipse necessarium eguit vt sibi haberet? Nam quia peccatum non habuit, ideo nobis peccata donauit, quia non accepit vt vita esset, sed ipse essentialiter vita est: idcirco nobis vitam æternam indulsit Videamus nunc quid de eius incarnatione Gabriel, cui creditum fuerat secretæ dispensationis sacramentum, ad Mariam virginem dicat. *Aue*, inquit, *gratia* *Luc. 1.* *plena, dominus tecum: cumque* turbata esset in sermone eius, subiunxit Angelus, *Ne timeas, Maria: inuenisti enim gratiam apud deum. Ecce concipies in vtero, & paries, & vocabitur altissimi filius.* Iamque credula angelicis dictis, cum ordinem tantæ natiuitatis inquireret, quo modo

Universidad de Deusto
Biblioteca

sine viro fieri possit, mox Angelus addidit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te, sanctum, vocabitur filius Dei.* Non enim ait, *adoptiuus* vocabitur filius Dei, sed absolute, *filius Dei*, & *filius altissimi.* Denique non de sola excellentia maiestatis eius loquebatur Angelus, sed potius de incarnata diuinitate. Porrò *quod* pronomen neutrius generis est, & *sanctum* similiter neutrius generis est, ait enim. *Quod enim ex te nascetur, sanctum, vocabitur filius Dei.* Et rursus Matthæus Matth. 1. Angelum narrat dixisse, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* vt non dubites de corpore dixisse, quod de inuiolata virgine sumpsit more sacri eloquii partem pro toto: vt per solum corpus totum intelligat hominem in anima rationali ex ea natum. Sed ne quilibet scrupulus ambiguitatis remaneret, quia de incarnationis eius mysterio dixit, statim post pauca sub infert, *Dabit ei Dominus* Luc. 1. *Deus sedem Dauid patris eius:* secundum carnem videlicet Dauid filius dictus est, non secundum diuinitatem. Habes igitur quoniam de quo supradixerat, *Quod enim ex te nascetur, sanctum, vocabitur filius Dei*, non adoptiuus, sed verus, non alienus, sed proprius: ideo subiecit, *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Nam quis eum adoptasse in filium credatur, cum tota sancta trinitas hominẽ Christum in vtero virginis operata sit? sicut scriptum est, & iuxta hi- Gen. 1. storiam de primo Adam, & de secundo, id est, Christo, in prophetiæ sacramento, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* vel certe quemadmodum in hac eadem Euangelica lectione angelica voce declaratur. Ait enim, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Habes Spiritus sancti tertiam de trinitate personam. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* in virtute namq; *altissimi*, *filii* persona demonstratur, quia ipse est Dei virtus deiq; sapientia, in altissimi nomine, patris nihilominus persona accipienda est. Dicant ergo, si valent hæretici, quod si nequeunt, Catholicis se humiliter salubribus subdant documentis. Quæ de his tribus personis eum adoptauerit, cum tota eum trinitas in vtero immaculatæ operata sit virginis? porrò *adoptiuus* dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus: & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur. Sicut nos aliquando cum essemus peccando filii iræ, alieni eramus â Deo, per proprium & verum filium eius, qui non eguit adoptione, adoptio nobis filiorum dona- Galat. 4. ta est, Paulo adtestante, qui ait, *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit*

misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus per ipsum. Proprius filius factus est ex muliere, non adoptiuus. Hinc alias idem ipse egregius prædicator dicit, *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Igitur cum ad Iordanis alueum Iohanne Rom. 8. comite, qui Christus à populis existimabatur, adpropinquaret, & vt sanctificaretur aquarum natura, mediis sese Iordanicis intinxisset in vndis, vt manifestius inter adoptiuum & proprium filium discerneret, statim vox patris intonuit dicens, *Hic est filius meus dilectus,* Matth. 3. *in quo mihi bene complacui.* Et rursus cum esset in monte sancto cum discipulis quos voluit, & visi essent cum eo Moyses & Helias loquentes, mox paterna vox fulgida per nubem discurrens intonuit: discreuit, qui essent serui per gratiam, & per adoptionem filii, & qui verus & proprius filius. *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus in quo mi-* Matth. 17. *hi bene complacui.* ipsum audite. In Adam quippe sibi DEVS pater displicuisse intonuit, qui peccando filii dignitatem amisit. *Pœnitet,* Gen. 6. inquit, *me fecisse hominem super terram.* In vnigenito sibi filio complacuit, qui propria non habuit, sed aliena peccata tulit: qui nunquam à paterna voluntate discordans, *factus pro nobis est patri obedi-* Philip. 2. *ens vsque ad mortem, mortem autem crucis. propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Si igitur iuxta hæreticos adoptiuo nomine censetur, vt nos puri & ingrati homines, quo ergo pacto Apostolus eum *nomen* perhibet *super omne nomen habere*? Adoptiuum etenim nomen non est super omne nomen, sed commune & infra nominum tenetur mensuram. Videamus iam nunc qualiter pastor Ecclesiæ fidei posuerit fundamentum. Nam cum magister & Dominus discipulos exploratius percunctaretur quid de se homines dicerent, & illi singulorum opiniones diuerso sermone retexissent, qui eum vnumquemlibet de adoptiuis filiis existimabant, quorum adoptionem nondum in re per mediatoris perceperant aduentum, sed adhuc in spei seruabatur occulto, illico Dominus quid illi de se fixius corde retinerent adiunxit, *Vos*, inquit, *quem me esse dicitis?* Moxq; beatus Petrus, cui non caro & sanguis, sed pater cœlestis reuelauit, *Tu es*, inquit, *Christus filius* Matth. 16. *Dei viui.* Ecce fidem beati Petri Apostoli, quam hæretici surda aure transiliunt, perfunctorie legere non pertimescunt. Petrus confessus est Christum verum filium Dei viui, & tu hæretice dicis, Christus *adoptiuus* filius est. Enimuero fortassis errigeres perfidiæ au-

rem, si absolute dixisset, *Tu es filius Dei viui*. fingeres forsitan, falsa argumentatione vt diceres, Secundum diuinitatem eum filium Dei confessus est: sed quoniam cum additamento dixerat, *Tu es Christus filius Dei viui*, omnium hæreticorũ ora fidei suę pugno adtriuit. Christi namque nomen ab homine quem adsumpsit accepit, quia vnctus in homine fuit. Nihil tibi restat quid dicas, nisi solito more facias. Sumas de officina mendacii veneno inlita spicula, quibus simplicium corda iaculando falsis adsertionibus perforare non erubescas. frons enim meretricis facta est tibi: erubescere noluisti. defraudatis etenim sanctam scripturam, paruipendendentes magistri gentium
2. Cor 2. prohibitionem dicẽtis, *Nolite adulterare verbum Dei*. Sed quid mirum, si stulti in his erratis quæ allegorica sunt, sylua condensa & vmbrosa, carpere nescitis docta manu de sub foliis literarum pendentia spiritalium fructuum poma? cum in propatulo per sanctos prædicatores eductam male intelligentes orthodoxam deprauatis doctrinam. Cuius temeritatis & audaciæ estis, ó infelices inflati superbiæ fastu, vt ipsa Iohannis Euangeliæ mirabilia documenta peruersis non erubescatis fabulis deprauare. Iuxta vestram vecordiam & non secundum sanam doctrinam intelligitis mystica sacramenta. Dici-
1. Ioan. 2. tis enim quod Ioannes scribat in epistola sua, *Habemus aduocatum apud patrem Iesum Christum*: & hoc sit aduocatus, quod & adoptatus: cum longe aliud sit *aduocatus*, & aliud *adoptatus*. Nam *aduocatus* ille mihi est, qui pro me iudicem interpellat, & causam necessitatis meæ propria tuitione defendit. Conuenientius quippe dici potest *propitiatus* quam *adoptatus*, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Cum enim naturam nostram, quam in se adsumptam in dextera patris collocatam ostendendo patri inceſſabiliter manifestat, propitium eum nobis aduocatus noster quasi interpellando efficit & benignum. *Adoptiuus* vero dicitur, cui nihil à patre adoptante debe-
Exod. 2 tur, sed gratis indulgendo conceditur. Abusiue namque & non essentialiter, adoptiuus est filius dictus: sicut Moyses in filium adoptatus est filiæ Pharaonis, alienus ab ea & generatione, & sanguinis adfinitate. Hoc ideo posuimus vt patenter daretur intelligi eum dici adoptatum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis. Vnde in Dei filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus filius, semper dominus, & post adsumptum hominem veri filii vocabulum no amisit, qui nunquam verus defiit esse Deus. Confitemi ni ergo, quod est deterius & blasphemia plenum, duos adoptiuos, filium

filium scilicet & spiritum sanctum. non enim negare valetis spiritum sanctum paracletum esse: quod enim Græce *paracletus*, hoc Latine dicitur *aduocatus*. Fatemini quinetiam, quod est super omne malum deterius, super omnem impietatem scelestius, duos adoptiuos filios, verbum scilicet, & spiritum sanctum. vt sitis deteriores Ario & Eunomio, & Maranatha, anathemate Macedonio digni. Adoptiuus enim non nisi adfectatæ locutionis alienus dicitur filius. Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem, quamquam etymologiæ suæ non videatur trahere similitudinis sonum. habet namque ex vtraque parte Vtinam aduerbium eleganter insitum, vt dicas, *Vtinam sis mihi in filium adoptiuum*, & contra, *Vti merear à te in filium adoptari*. Ex affectu quidem dilectionis pars subrepit pacti, vt in vtraque conueniat dilectionis affectus. Sed videant hæretici, qui portę sunt inferi, quid dixerint, quinimo peruerso garriant ore. Obdurata nempe illorũ corda mendacii latibula per abrupta perfidię debacchantes semper inquirunt, & ne veritatis luce perfundantur in spelæo se falsitatis occulere festinant. Cecidit, heu pro dolor, super eos inuidiæ ignis, & ideo iustitiæ solem non meruerunt videre. Sancta autem catholica & apostolica Ecclesia (quæ licet in toto sit orbe terrarum diffusa, vna tamen est amica, sponsi proxima & columba, quę pennis deargentatis sacri eloquii refulget pulchritudine, & in pallore auri posteriora eius per rectæ fidei puritatem claresçunt) confitetur sanctam & ineffabilem trinitatem in vnitate, salua scilicet inconfusibiliter proprietate personarum, inseparabilem substantiam confitetur: ita sane vt alius credatur pater, quia pater est qui genuit coæternum sibi, sine tempore & omni initio filiam: & alius credatur filius, quia filius est qui genitus est sine initio à patre non putatiue, sed vere: & alius credatur spiritus sanctus, quia spiritus sanctus est & â patre filioque procedit, & non est aliud pater & aliud filius & aliud spiritus sanctus, sed vnum sunt inseparabiliter pater & filius & spiritus sanctus. non vnus, sed vnum: quia alia est persona patris, alia filii, alia spiritus sancti: sed vna, & æqualis, & consubstantialis, & coæterna est patris filiique & spiritus sancti inenarrabilis diuinitatis maiestas, quia vnus est Deus. Vnionem namque in essentia confitemur, trinitatem vero in personarum discretione prædicamus. Dominum igitur nostrum Iesum Christum Dei filium verum semper in patre, semper cum patre, semper credimus apud patrem. In vltimis namque temporibus propter nos &

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter noſtram ſalutẽ ſecundum ſecretæ diſpenſationis arbitrium deſcendit de cœlo, vnde nunquam receſſerat. Venit nimirum in propria, vbi nunquam deerat. Natus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine dicente angelo. *Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt.* Matth. 1. Ioan. 1. Factus verus homo, iuxta id quod ſcriptum eſt. *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Permanſit verus & omnipotens Deus in vtraque natura. Vnus Dei filius, idemque hominis filius. Nihil enim humana natiuitas diuinæ præiudicauit natiuitati. Adſumpſit quod non erat, permanſit in id eſſentialiter quod erat, non commixtionem paſſus, neque diuiſionem: ſed in vna perſona Chriſti Deus verus & homo permanet verus. Non duo filii, Deus & homo: ſed vnus filius, Deus & homo: non alius filius hominis, & alius Dei: ſed vnus idemque Dei hominiſque filius. Vnde & eos valde execramur, qui eum adoptiuũ impio grunniunt ore. Quia ſicut præfati ſumus *adoptiuus* dici non poteſt, niſi is qui prius alienus eſt ab eo â quo adoptari deſiderat. Dei ergo Filius qua ratione credi poteſt adoptiuus, qui inſeparabiliter adſumpto homine in vna perſona, coeunte vtraque natura, non duo filii, alius Dei, & alius hominis, vt, ſicut illi errando æſtimant, adoptiuus ſit hominis filius, & ſine adoptione Dei filius, ſed in vna perſona vnus idemq; Dei & hominis filius, qui nunquam hominem quem adſumpſit deſeruit, etiã nec in cruce, quando iuclinato capite tradidit ſpiritũ: Paulo adteſtante qui ait, *Si enim cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Dominus gloriæ* dicitur crucifixus, cum ſola caro ſit crucifixa. 1. Cor. 2. ſed quia *dominus gloriæ* idẽ ipſe erat qui & hominis filius qui crucifigebatur, & nũquam hominem deſeruit, ſicut dictum eſt, quem adſumpſit, ideo dicitur dominus gloriæ crucifixus. Sunt etiam plerique qui adſtruũt ex tribus ſubſtantiis vnam mediatoris perſonam, verbi, carnis, & animæ, eum in cauſa fidei non videatur neceſſarium ſophiſtica diſputatione ſecularium literarum calculos ſyllogiſtica ſpargere manu. ſuffecerat enim, iuxta præcedentium catholicorum patrum ſaluberrimæ promulgationis doctrinam, ſincera ſimplicitatis voce ex vtraq; natura vnã perſonam confiteri, veri dei veriq; hominis Chriſti, diuina ſcilicet & humana: ſed propter eos vtiquequi ſemiplenam ſine anima rationali, & ad vicem animæ diuinam naturam in carnis diſpenſatione adſumptam ſuſpicantur, cum pſalmiſta alacri pectore Pſ. 53. dicat, *Ecce enim Deus adiuuat me, & dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.* Pro hac igitur re & huiuſcemodi erroris nubilo, ſtyli flabello ex aere men-

re mentis ventoſas nubium vmbras diſpergere feſtinamus: quatinus æterni ſolis perfuſa radio, micantes ſtellas per cœlos valeat puris obtutibus inſpicere ſcripturarum. Non enim ignoramus ex duabus ſubſtantiis humanam ſubſiſtere naturam, ex anima nimirum & carne, ſed vnum ſine altero perfectum non efficit hominem. Quid enim caro ſine anima, niſi terra: & quid anima ſine carne? nonne ſpiritus? Homo enim ex vtroque, & non ex vno. Vnde quia redemptor noſter perfectum hominem adſumpſit in deum, idcirco ex duabus naturis, Deum & hominem confitemur: Non enim caro ſine anima perfecta humana poteſt dici integraque natura. nam cum ex limo terræ finxiſſet Deus hominem, protinus inſufflauit in eum ſpiraculum vitæ, ſicut ſcriptum eſt, *Et factus eſt homo in animam viuentem.* 1. Cor. 15. Non igitur alter qui formatus eſt, & alter qui inſufflatus eſt, ſed vnus idemque. Ex flatu namque animata eſt terra tam incomprehenſibili arte mirabilique modo ſummi artificis manu configulata, vt inueſtigari plenius nequeat, qualiter & vnum ſit anima, & caro, quæ perfectum efficiunt hominem, & tamen diuerſa ſit ſubſtantia carnis & ſpiritus. Nam cum ſcriptum ſit, *Ad te omnis caro veniet*, & rurſus, *Non timebo quid faciat mihi caro*, & Pſal. 64. iterum, *Et videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri*, Luc. 3. nullo namque pacto ſine anima videre poteſt, vt videat ſalutare Dei: nec venire valet, vt veniat ad eum omnis caro. Ponamus igitur exempli cauſa ſecundum humanæ rationis affectum, neceſſitate per omnia compellente, materialia themata diſputandi. Nam ſicut in planis & ſolidis figuris linea, & in quadrangulis punctus, licet ſint indiſſecabiles, & diuidi nequeant, & idcirco egregie depingant dimenſionum figuras: omnium tamen numerorum multitudinis ſummam in ſe ſociatam retinẽt, & ex ſe vſque ad finitam numeroſitatem procedentes, & rurſus in ſe vſque ad vnum recurrentes, indiuiduam retinere probantur vnionis cenſuram. Fingamus igitur animam in forma corporis quaſi lineam, vel punctum in planis, ſolidis atque quadrangulatis figuris, cunctas membrorum, partium in ſe indiuiduè continentes poſitiones, vnum quodque in iunctura ſua inſertum ita vt vnum ſit & diuerſum. nam ſi ſubtrahas lineam & punctum, æqualitatis nobilitas degeneratur figuræ: inſtante autem linea iacentis primordio, punctique circunfuſa numeri quadratura, quiq; ſegregari vel non ſegregari poſſunt reſolui inſolubili ſectione in lineæ punctique priuilegio demonſtrantur. Ita ſane vis animæ cum ſit incorpo-

rea & inuisibilis, nec diuidi potest, nec recipit sectionum scissuras, totam tamen corporis molem, quæ diuidi vel segregari potest in se continentem mirabiliter regit, & per totum diffusa animando viuificat, & quasi punctus in medio suam indiuiduè retinet dignitatẽ, & in alienam non resoluitur qualitatem. Nam, sicut dictum est, cum sit incorporea, corporaliter cuncta per corpus disponit, & cum sit substantia, carnis corporea per incorpoream creaturam, id est animam, corporeas perficit actiones. Tanta etenim societatis conuenientia sibimet sunt vnitæ, vt vnum sine altero nihil possit, humanam constare naturam. Et idcirco placuit ex vtraque humanam definire naturam. Nam anima incorporea per incorporeos oculos videt, audit, sentit: & corporei oculi per incorpoream animam videre probantur. Nam si recedat anima, oculi aperti remanentes, & aures patentes nec videre possunt, nec audire. Per linguam loquitur anima, & lingua loquitur per animam. In qualibet enim parte corporis incisa carne anima dolet: sine anima vero in frusta secata caro nec dolere, nec sentire potest. Per carnem nempe anima, & per animam caro esurit, sitit, tristatur. Nunquid potest dici caro sine anima humana natura, cum nihil sit aliud nisi terra? animata vero terra humana perfecta potest dici integra perfectaque natura. Omne enim imperfectum amittit nominis proprietatem, nisi perfectionis ei commodius adiiciatur supplementum. Ex quatuor igitur diuersis alimentis humana subsistere fertur natura, calido, frigido, humido, sicco, id est, igne, aere, terra, & aqua. Cum ergo ex his quatuor variis homo subsistat naturis, nunquid debemus in vno homine quatuor substantias profiteri? Si hoc placet addatur quinetiam quinta, id est anima: vt constet homo ex quinque: & verbi omnipotentis sit sexta, & tunc quod est omni fatuitate profanius, omnique vecordia stultius, fateantur sex in vna Dei hominisq; Christi persona substantias. Tu forsitan suspicaris quicunque es nostræ refragator adsertionis, de memoria nobis auolasse, quia dixerit beatus Apostolus, *in interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Ephes. 3. Hæc nos tota deuotione mentis simpliciq; veraciter retinemus corde, & adiicimus ea, quæ de forsitan somniante latent, idem vas electionis Paulum dixisse reminiscimur, 1. Thess. 5. *ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: aut integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Tria, inquam, dixi spiritus, & anima, & corpus. Nunquid aliud est spiritus, & aliud anima? non diuisit substantias,

tias, sed dignitatem distinxit. Spiritalis quippe anima, & spiritale corpus vult, vt in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur, in hoc spiritale homine, qui & interior dicitur. Profitetur idem mirabilis doctor habitare Christum per fidẽ, in cordibus nostris. Nam est homo *animalis* & est *spiritalis*, non per substantiam, sed per meriti qualitatem. *Animalis* quippe ab anima, *spiritalis* verò à spiritu nuncupatur, quemadmodum idem liquidius videlicet doctor alterum ab altero discreuit, *Animalis* inquit, *homo nõ percipit ea, quæ sunt spiritus dei.* 1. Cor. 2. Hic est exterior, qui foras se ad exteriora appetenda effundit: *spiritalis autem diiudicat omnia*, id est discernit, *& ipse à nemine iudicatur*: hic Ibid. inquam est interior, in quo Christus creditur habitare, qui introrsus se per contemplationis gratiam retinet, & internæ refectionis dulcedine depastus, in amore sui conditoris suauiter requiescit. His ita prælibatis, ad ea quæ reliquimus reuertamur. Quæro igitur vt dicas mihi in qua natura ipse mediator dei & hominum homo Christus Iesus dignatus est esurire, sitire, passionum sentire dolores? quid moraris? non vales negare, melius vt profitearis quia secundum humanam. Diuina enim natura impassibilis, inuiolabilis semper permanet immutabilis. Verum est omnino, verũ quia in humana. Volo ergo vt liquidius definias, quid sit humana natura, sola caro, an sola anima, an vtraque, anima & caro. Non enim possumus, nec fas est, veritati contradicere, ex vtraque nihilominus humana constat natura, ex anima siquidem & carne. Dicito ego mihi, in sola carne, an in sola anima, an quod verius est, in vtraque pertulit vulnera passionum? caro enim sine anima nihil sentit, anima enim sine carne non esurit, neque sitit, nec potest crucifigi: & tamen crucifixa est per carnem: it. summis etenim palmis & in extremis crucifixa est plantis. Quod si non est crucifixa cum carne, cur sensit dolorem? Caro enim, sicut dictum est, sine anima nihil sentit. Quod si per carnis cognationem sensit dolorem, & caro per animam dolet incisa, nec caro enim sine anima, nec anima sine carne plena potest humana dici natura. Ex vtraque namque connexione, carnis scilicet & animæ perfecta constat humana natura. Vnde & maiores nostri hac definitione sancita (quorum sagacissima capacitatis puericia longe valde à nostræ tarditatis distat ignauia) placuit eis, sancto annuente spiritu, duas in vna Christi persona indubitanter profiteri naturas, diuinam scilicet & humanam: quia anima & caro non sunt duo, sed vnus homo. Dominum enim & hominem Dei filium confitemur.

1. Timoth. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Tim.2. *Mediator*, inquit Apostolus, *Dei & hominum homo Christus Iesus*, qui ex anima & carne, non duo, sed vnus est dictus homo. Cessent ergo iam nunc omnes superfluæ musitantium adinuentiones. Cessent calumniatrices querularum quæstionum obiectiones, quæ ad rem non pertinent, sed magis ad simplicium subuersionem. Doctrinis variis & peregrinis non abducamur, sed confiteamur cum sanctis patribus nostris Catholicis orthodoxisq; viris, qui rectam fidem & corde perceperunt, & inuiolabili ore Ecclesię filios salubriter docuerunt, duas in Christo naturas, diuinam nimirum & humanam, verum Deum verumq; hominem, in vtroq; proprium Dei filium, non adoptiuum, sed sempiterno ex patre, temporaliter natum ex virgine matre, consubstantialem in sua Deo patri sanctoq; spiritui, consubstantialem etiam nobis in nostra. Nostra dicimus in carnis conditione, non in
1. Pet.2. peccati vel miseriæ communione. *peccatum enim non fecit, sed alienum*
Esai 53. *tulit: nec dolus inuentus est in ore eius, sed dolores nostros ipse portauit: vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum & liuore eius sanati sumus:* Omnium autem hæreticorum peruersa dogmata cum auctoribus & sequacibus suis æterno anathemate percelli iudicamus Eliphandum namq; & Felicem, nouos hostes Ecclesiæ, sed veternosa fere perfidia pollutos, nisi ab hac stultitia resipiscant, & per rectæ fidei satisfactionem lamentis se abluant pœnitentiæ, indignos & ingratos eos à consortio Catholicorum perpetua animaduersione eliminare decerno: & à gremio sanctæ matris Ecclesiæ censeo alienos. Eos etiam qui post hanc tam salubertimam definitionem, quam plenaria synodus sancto afflata Spiritu concorditer subtili sinceritate terminauit, falsissimis eorum adsertionibus, siue clam, siue in publica voce præbuerint adsensum, simili eos sententiæ vindicta sancimus esse plectendos, reseruato per omnia iuris priuilegio summi pontificis Domini & patris Adriani, primæ sedis beatissimi papæ. Nos autem Domini & clarissimi fratres, sequentes præcedentium patrum sanam fidei doctrinam, rerespuentes per omnia deliramenta nugacium hominum, corde credamus ad iustitiam, ore autem confiteamur ad salutem, Dominum nostrum Iesum Cristum verum Dei filium, non putatiuum: proprium, non adoptiuum: æqualem & coæternum patri sanctoq; Spiritui, qui Ecclesiam suam proprio sanguine adquisitam, sine macula
Ephes.5. & ruga immaculatam custodiat, & corda nostra in rectæ fidei puritate immutilato iure conseruet, Catholicum atq; clementissimum sem-

semperq; inclitum Dominum Carolum Regem, per intercessiones beatæ & gloriosæ semperq; virginis Dei genitricis Mariæ, per quam meruimus auctorem suscipere vitæ, & beati Petri primi pastoris Ecclesiæ omniumq; sanctorum, verumetiam suffragantibus precibus vestris, omnipotens & sancta trinitas suum ea gratia circumcingat & defendat, vt faciat semper quæ illi sunt placita, quatinus cælestibus fretus armis inimicos nominis Christi auxilio fultus de cœlo ad terram prosternat: Barbaras etiam nationes infinita Deus omnipotens ditioni eius potentia subdat, vt ex hac occasione ad agnitionem perueniant veritatis, & cognoscant verum & viuum Deum creatorem suum: regenerati vnda baptismatis, in gremio adgregentur matris Ecclesiæ: vt impleatur, quod bonus pastor promiserat dicens, *Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vo-* Ioan.10
cem meam audient, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. Multiplicetur pax in diebus eius, vt sit sancta Ecclesia libera, & ab omni strepitu mundi secura: qua libertate Christus eam liberauit. liceatq; Domini sacerdotes iuxta Euangelicas & Apostolicas canonicasq; regulas simpliciter domino deseruire, militare in solis castris dominicis: quia iuxta eiusdem Domini vocem, *Nemo potest duobus dominis seruire*: Et pau- Matth.7.
lus, *Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus, vt placeat ei cui se* 2.Timoth.2.
probauit: Nemo sibi blandiatur, quod vtrumq; possit, & Deo & mundo seruire, quia veritas est, & mentiri non potest, qui hoc fieri non posse testatur. Vnde supplicandus est tranquillissimus princeps noster, vt illo pro nobis contra visibiles hostes pro Christi amore, Domino opitulante, dimicet: & nos pro illo contra inuisibiles hostes Domini imprecantes potentiam, spiritalibus armis pugnemus, quatinus vicariam ei rettributionem in illa die pro Ecclesia sua Dei filius rependat, vt quemadmodum illam, nunc eis inter tot mundanos tumultis constitutam reddit securam, ita eum ille cælestis regni faciat esse participem. Indulgeat captiuis, subueniat oppressis, dissoluat fasciculos deprimentes, sit consolatio viduarum, miserorum refrigerium, sit Dominus & pater, sit rex & sacerdos, sit omnium Christianorum moderantissimus gubernator, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, in trinitate perfecta, per omnia secula seculorum, Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE ALBIGENSIVM HAERESI IN HISPANIA extincta.

DE HIS SCRIPTA EST IOAN. MARIANÆ SOC. IESV in Lucam Tudensem præfatio.

ACADEMIARVM HISPANIÆ CATALOGVS.

CAP. II.

Ex Iac. Middendorpio, lib. II. de Academiis.

BARCINONENSIS in Cathalonia, in qua omnes disciplinæ docentur, Eloquentia, Philosophia, & Theologia. Hic Franc. Scobarius Medicus disertus & Pet. Ioan Nunnesius Valentinus annos fere XX. Philosophiam & linguam vtramque cum fructu docuerunt.

CÆSARAVGVSTANA in Aragoniæ regno ab Hadriano VI. PP. vt putatur, confirmata & à Carolo V. Instaurata vero Anno CIↃ. IↃ. LXXXIV. euocatis Professoribus à Petro Cerbina Episcopo Turcasonensi, Toleto, Simone Aprileo Lamitutano & And. Schotto Belga: qui eloquentiam, linguam Græcam, historiamque Romanam ibi docuit. I. C^ti^ vero Ioan. Costa, Miraueta & Ribas Cæsaraugustani: Medici vero Hieronymus, Ximenius & Tauarius aliique doctrina clari.

COMPLVTENSIS in regno Castellæ à Franc. Ximenio Card. & Archiepiscopo Toletano magnifice exstructa, Anno Dom. 1517. quæ complectendo linguas & bonas artes breui creuit in immensum. Testantur id Biblia trium linguarum Complutensia. De qua sic Desiderius Franc. Vergaræ ibi Græcas litteras docenti: *Complu-to*, inquit, *quod duorum Præsulum, Franc. Ximenii & Alphonsi Fonsecæ felicibus auspicibus, sic efflorescit omni genere studiorum, vt iure optimo πάνσοφον appelletur.* Hic Ioannes Petreius, & Ambrosius Moralis Cordubensis, Alfonsus Matamorus Hispalensis Eloquentiam docuerunt: Græca vero Demetrius Cretensis, Ferdinandus Pintianus annos 20. Franc. Vergara & Laurentius Balbus.

COMPOSTELIANA in regno Galliciæ.

CONIMBRICENSIS in Lusitania à Ioanne III. Rege Portugalliæ excitata, euocatis è Gallia Doctoribus, vt colonia esse videatur deatur Lutetia & Burdigala, opera Andræ Goueani Lusitani Theologi, Nicolao Gruohio Philosopho, Georgio & Patricio Buchananis Scotis. De qua Iac. Payua Andradius ad Sebastianum Regem *Conimbricensis & loci natura amœnissima, & omni litterarum genere clarissima Academia est, in qua ipse abineunte ætate litterarum studiis incubii.*

Eborensis in Lusitania. Nuper quoque ab Henrico Cardinali Lusitaniæ eiusdem ciuitatis Præsule constructa. De qua idem Iac. Bayua. *Quod si Academiarum* (inquit) *gloria magis litterarum & virtutum splendore quam antiquitate constat, hæc certe paulo ante constituta, cum antiquissimis, & toto orbe celeberrimis iure certe poterit. Satis enim illa præse fert specimen integritatis, prudentiæ, pietatis, fidei, & religionis: quibus mirum in modum excellit Henricus Princeps clarissimus, qui illam egregiæ fundatam, mirifice auctam omnibus necessariis rebus munitam, nobis & posteritati exædificauit.* Hæc ille. Hinc oriundus L. Andreas Resendius, porta pius, orator & Theologus, cui multum ob singularem sacræ antiquitatis cognitionem, scriptis contestatam, omnis Hispania debet.

GANDIANA in regno valentiæ, quam Franc. Borgia Gandiæ Dux erexit, vt ibi Patres societatis Iesu (in quam & ipse se contulit, fuitque tertius Præpositus Generalis) iuuentutem cum liberalibus disciplinis, & Philosophiâ, pietatem more institutoq; suo docerent: & sacræ ipsi Theologiæ vacarent.

GRANATENSIS. in regno Granatæ siue Bætico. Hic Ioannes Latinus Aethiops (res prodigiosa) nostra tempestate Rhetoricam permultos annos publice docuit, iuuentutemque instituit, & poema edidit in victoriam Ioannis Austriaci nauale m.

HISPALENSIS vetus Academia, quæ doctissimos & prestantissimos viros protulit. Syluester enim PP. M. hic eruditus est, vt, Volaterranus, Nauclerus, & Platina testantur. Auicenna etiam medicus & Philosophus, & S. Leander, qui sua eruditione, pietate & industria Herminigildum & Recaredum Gothorum Reges ab Ariana hæresi ad Catholicam fidem reuocauit. Isidorus quoque doctissimus, Præsul Hispalensis hic floruit. Ioan. Mellara nostro tempore illic docuisse fertur, ludumque aperuisse linguæ Latinæ, & Nicolaus Manardus rem medicam professus est.

ILERDENSIS in Gothalunia celebris Iuris tractatione, & Theologia vrbs ipsa vetustissima, de qua Iulius Cæsar in belli Ciuilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Horatius Flaccus: Aut fugies Vticam, aut vnctus mitteris Ileidam. Hinc Calixtus PP. III. vtriusque Iuris Doctor creatus est, & ius publice professus est teste Platina: & S. Vincentius Ferrerius sacræ Theologiæ magisterium accepit.

MAIORICANA seu Balearica in metropoli insulæ Maioricæ, quæ & Lulliana olim, eo quod ibi Raymundi Lulli infrugifera disciplina traderetur; manetque hodie ibi Doctoris munus, qui eius Labyrinthos, & ænigmata de superiore loco explicet: cuius & corpus ibi religiose asseruatur.

MVRGITANA Academia à Societatis Patribus sacra docentibus nimium quantum aucta.

ONNATENSIS in Cantabria quam erexit N. Episcopus Abulensis.

OSCANA in Aragoniæ regno miræ vetustatis, vt nulli hac in parte cedat. Hanc enim referente Plutarcho Sertorius ante Christi aduentum excitauit, vt Hispanam iuuentutem bonis illic litteris excolendam curaret.

OSSVNENSIS in Illiberico seu Granatensi regno condita nostra ætate à Comite de Vrenna, qua de vide Præfat. Alfonsi Matamori de Litteratis Hispaniæ viris.

PALENTINA sed in Salmanticensem mutata intercidit.

SALMANTICENSIS in regno Castellæ. De cuius institutionis tempore parum constare affirmat Sabarellus Card. clementina prima de magistris; alii tamen anno Do. 1404 erectam asserunt quam celeberrimam & florentissimam esse Iuris ciuilis præsertim de tractatione, variisque Pontificum Regumque priuilegiis exornatam comperi. Nam & inter præcipuas orbis terrarum Academias in hunc vsque diem numeratur, quibus ex Concilii Viennensis & Clementis Papæ V. decreto (Clement. 1. de Magist.) non artes solum, verum etiam Hebraica, Chaldaica & Arabica lingua doceri iubentur. Et Ioannes Goropius Becanus, qui & ipse eam lustrauit Salmanticam Scholarum magnificentia longe omnibus in Europa Gymnasiis præstare affirmat. Quare Hadrianus VI. nobiles quosdam Hispanos Adolescentes quam optimos, quam ornatissimos, quam doctissimos redditurus, ad Salmanticensem Academiam studiorum gratia mittebat. Ibi enim omne artium genus Pontificium Cesareumque ius à præstantissimis viris docebatur. Vnde & Ignatius Loyola primus societatis Iesu auctor litterarum fundamenta hic potissimum iecisse legitur. Statutum anno 1492. ne quis Priuilegiis vteretur, qui nõ annum vnum duas prælectiones quotidie audisset, & tunc matriculæ Vniuersitatis adscribitur Anno 1479. Petrus quidem Vxamensis hæretica quædam dogmata (sacræ enim hic Theologiæ Professor erat) introducere conabatur, sed in Complutensi Concilio conuictus, ea publice retractauit. Contra quem scripsit de Clauibus Petrus Ximenius, Episcopus Caurienſis, vt refert Marineus Siculus.

SEGVNTINENSIS qua vulgo Ziguenſana in finibus regni Castellę, vbi Theologiam docuit Martinus scriptis & Philosophicis & Theologicis clarus.

TARRACONENSIS memoria nostra inchoata à Gaspar Cervantes S. R. E. Card. anno D. 1572, vt hæc pro foribus inscriptio ostendit:

D. PAVLO APOSTOLO S.

CVM GASPAR CERVANTES GAETE S. R. E. CARD. OPTIMVS ATQVE RELIGIOSISSIMVS TARRACON. ANTISTES MAGNAM VIM AVRI EX QVO VECTIGALIA MERCEDIBVS SOLVENDIS PRÆCEPTORIBVS OMNIVM DISCIPLINARVM EMERENTVR REIP. NOSTRAE DEDISSET S.P.Q. TARRACONENSIS TANTO BENEFICIO EXCITAT LOCVM HVNC EISDEM DISCIPLINIS DOCENDIS EXTRVI IVSSERVNT, VII. EID. SEPTEMB. ANNO SALVTIS CHRISTIANÆ D. LXXII. LVD. IOAN. LIVLA. FRANC. FEBRER PET. LIBER. COSS.

TOLETANA florens Academia à Bernardino Sandouallio, Ecclesiæ Toletanæ longe sacerdotiis opulentissima, magistro scholæ instituta: in qua Aluarus Gometius Eulaliẽsis annos multos Græcam linguam docuit, quem exceperunt anno 1580 Andreas Schottus, post Petrus Pautinus Belgæ. In hac Andreas Lacuna multorum Pontificum medicus, lauream accepisse se gloriabatur. In hac vrbe Regia S. Ildefonsus à Deipara virgine Maria sacram vestem, qua in sacrificiis vteretur, accepisse legitur, quod ipsius perpetuam virginitatem scriptis & voce contra Eluidianos defendisset bonas artes ac sacram Theologiam didicit.

VALENTINA in gente Edetanorum ad discrimen Valentiæ Cauarum in Gallia vbi ius floruit docente Iac. Cuiacio. Hæc anno 1470 mirifice claruit, clarissimosque aliquando Theologiæ & præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipuæ Medicinæ Doctores habuit. Hic enim S. Dominicus ordinis Prædicatorum, vnde piissimi & doctissimi viri prodierunt, auctor bonis artibus & S. Theologiæ operam dedit, auctore Volaterrano. S. quoque Vincentius Ferrerius Valentiæ, quæ Philosophiæ & S. Theologię studiis clarissima vrbs erat, sacras litteras publice docuit. Inter medicos vero excelluit Iacobus Stephanus medicus & Mathematicus insignis, de quo alibi pluribus. Item Rhetores Pet. Ioannes Nunnesius, Laurētius Palmiremus, And. Semperius, Matthęus Bossutus Parisiensis, Barthol. Ledesma in Græcis egregiè doctus, & alii claruerunt: quorum plerique Lutetia Parisiorum, quo excollendi ingenii gratia, antea exortos ciuilis belli tumultus tamquam ad frequentissimam panegyrim proficisci solent, & vberes patriæ fructus reportarunt.

SALMANTICENSIS ACADEMIA.

Ex Apparatu Melchioris Cordæ Societatis Iesu.

TOpographiā fere absoluet, Salmanticēsis Academia, omnium, quæ sunt toto terrarum orbe, florentissima, de cuius conditore cum inter omnes constet à regibus potentissimis fundatam illam, & exstructam fuisse, & ab eisdem constitutos reditus, & amplificatos: nihil est quod multa verba faciam. Describam tamen maxime ædificium quod ad illorum laudem, qui tantam Academiam, tam præclare nobis fundatam reliquerunt, non parum re ipsa facere videatur. Atque Officinas Salmanticensis Academiæ, in maiores minores, minimas scholas tripartitas: quarum maiores in hunc modum ædificatæ sunt, vt totum ædificium lapideum sit in mirandam stabilitatem firmatum. Atque illæ perisylium habent, totum vndique porticibus circumcinctum: atque ipsum & porticus lapidibus stratæ sunt. In medio perisylio puteus est ex eodem lapide factus. Porticus sustentatæ columnis eminent altissimis, atque illæ decoratæ musæis, & officinis literariis: quædisciplinis maximis, doctrinisque duntaxat præstitutæ sunt, & sacello longissimo, amplissimoque ad rem diuinam scholasticis faciundam. In scholas has per tres portas ingrediūtur, quarum duæ ad templum maximum, quod Academiæ proprium est & aduersum, tertia ad vicos bibliopolarum spectat, & ad minores deducit scholas. Si per præcipuam ex duabus supra nominatis portum introibimus à dextra deflectentes in Gymnasium Medicinæ dictum incidemus: quod Rhatoricæ prælegendæ præ-

dæ præfinitum est etiam. Illi proximū est in altera porticu omnium maximum totius scholæ, cuius tanta est omnino capacitas, vt bis mille, & amplius scholasticos capiat, Iuri Pōtificio operam dantes: quod istius facultatis professor antiquior, primaria cathedræ moderator in re suo præoccupat. Consequitur aula Theologorum longa satis, & ampla, ei tamen ad sinistram conuersi contenderimus, in primam Iuri Ciuili destinatam classem incurremus: inde in paruum literis Hæbræis dicatum musæum scholasticorum numero sufficiēs: deinde in sacellum in longitudinem & in latitudinem maximam patens Beato Hieronymo sacrum. Et per alteram portā aduersam superiori voluerimus scholas intrare à sinistra deflectentibus occurret Philosophorum classis, quam proxime secunda consequitur aula Iuris Pontificii magnæ satis longitudinis, & amplitudinis, sed ad principis gymnasii capacitatem non comparanda: si vero ad dexteram nos conuerterimus secundum Iuri ciuili dicatum gymnasium in oculis & ore versabitur principis eiusdem facultatis obiectum & oppositum paulo superius statim vero post gymnasium istud sunt schalæ de lapide vetustissimo, per quas ascendimus in bibliothecam antiquissimam & opere concamerato factam, omnis generis librorum recentiorum & antiquorum, & etiam manu descriptorum pleniss-imam; quæ dies singulos mane & vesperi statas iam & definitas horas patet, & aperta est adeuntibus euoluendi versandique alicuius libri, causa. Ad dexteram deambulatio quædam est tecto obducta, satis magni spatii cum fenestra in peristylium spectante: per hanc rector, consiliarii, magistri & doctores omnes ad suos conuentus habendos ingrediuntur in palatium ex vna parte quadratum: quod subselliis circumdatum est, & à fronte lectus est præpositus subsellio rectoris, & illorum, qui à consiliis eo sunt anno, cæteri magistri Doctoresque ex ordine suo, pro sua omnes antiquitate considerent. Locus est suffragatoribus datæ ad cathedræ cuiusq; suffragia ferenda præsidentibus rectore consiliariisque summo cum splendore, dignitateque, & ille, qui bibliothecam antecedit canditatis deambulantibus, aut consistentibus dum illi suffragatoribus officia consueta præstant, dum colloquuntur, dum de iure suo docent, dum precant veteri, & vsitato more contendendi. Ita perisylum scholæ maximæ, quattuor porticibus constat, in quarum prima, in quam datur egressus per primam ad templum maximum spectantem portam, sunt duo gymnasia à dextra Medicinæ, à sinistra Auris Ciuilis primariæ

cathedræ. Aduersa porticus tria continet, vnum ad dextrã Iuris Cęsarei primariæ, duo ad siniſtrã, prius Philoſophiæ, poſterius Iuri Canonico, Inſtitutionibuſque Iuſtiniani conſecratum. Porticus tertia Gymnaſium maximum & claſſem ſacræ Theologiæ occupat, quæ aduerſa eſt huic, aulam Hebraicam, & ſacellum pulcherrimũ, ſchalaſque deſcriptas. Supra ſacellum turris eſt, & in illa horologiũ cum lapideis arietibus ab vtroque latere, ad ſemihoræ ſigna danda ſtatutis, quos artificio mirabili videre eſt, cum maturum tempus adeſt ſigni dandi, vnum ab hoc, alterum ab altero latere capitulis demiſſis leuiter præcurrere ad ſemihoræ ſigna danda, dato ſigno pulſuque ſemihoræ retrocedentes conſiſtere ſemper cymbalo ipſi oppoſitos & obiectos, quos Tyrones maxime demirantur, atq; ictus exſpectare ſolent, & ſtupidi ſæpe vel lætantes. Atq; id temporis maxime Tyrocinium illorum in ſcholis animaduertitur: nam antiqui feſſi videndis arietibus, audiendoque ſonitu nihil hos iã curant. Ab ſcholis maximis per portam ſecũdam primæ, de qua ſupra diximus, aduerſam, & antepagmentis ex lapide politiſſimo factis, multipliciq; imagine decoratis, ornatam, recta contendimus in ſcholas minores, per viam latam, lapidib. ſtratam, in qua ab vno latere tabernæ plurimæ librariæ continuatæ viſuntur: in altera ædes ampliſſimæ ſecretarii tolluntur, & altius aduerſis ædibus eminent in ingreſſum vſque, & minorum introitum ſcholarum. Illę quemadmodum maximę periſtylium habent quattuor circundatum porticibus: in quibus ſunt Gymnaſia liberalibus ſtudiis, atque aliis literis & bonis artibus conſtituta. Ad has ingredimur officinas litteratias præter prædictam, per duas alias portas; quarum vna per ſchalas lapideas ad diui Auguſtini ſpectat, altera rectâ deducit ſcholaſticos in minimas recentioreſq; ſcholas: quæ ad ſuperiorum rationem exſtructæ ſunt. Atq; inferioribus additæ ſunt porticus inferiores tecto pulcerrime laborato, factæ propter cubicula ad collegarum habitationem idonea ſatis & accommodata. Hæ Grammaticæ ſtudiis, & puerorum turbæ, ne illa maiorum inteturbet otium ſtudiorum, & celebrioribus Artibus atque diſciplinis maximis inferiores litteræ admiſceantur, ab hinc non multos annos officinæ litterariæ perfectæ fuerunt. Atque hæc de ædificio totius Academiæ in periſtylia diſtributo: quorũ ne cuiquam multitudo magnitudoque Gymnaſiorum admirationẽ faciat, commemorandæ ſunt à nobis prælectiones cuiuſque facultatis doctrinæque.

PRAE-

PRAELECTIONES.

ATque ab ſcholis maximis initium commemorandi faciam prælectiones. Iuris Pontificii nouem ſtatæ præſtitutæque ſingulos in dies numerantur: quarum duas mane ſibi primariæ duæ Cathedræ vẽdicant, totidem veſpertinæ diuerſis in Gymnaſiis, magno auditorũ concurſu: atq; primariæ ſeſquihoram, veſpertinæ horã explent. Proxima eſt ex planando decreto conſtituta prælectio, & ſecundum hanc ſexti eiuſdẽ iuris atq; dignitatis, quæ primarias proxime conſequitur. Reliquæ Iuris Pontificii prælectiones ad diuerſos decretalium titulos enarrãdos, explanandoſq; pro decretis, ſanctionibuſque Academiæ ſeruãdis pertinent. In hunc modũ Iuriſconſultorum reſponſa, leges, & iura interpretãtur earundẽ horarum ſpatiis legitimis, & expletis vnius prælectionis acceſſione facta: nã primariæ duæ ſunt, totidemque dicũtur veſpertinæ, duæ Codicis, vna digeſti veteris, vna etiam Voluminis, quæ denique inſtitutionum Iuſtiniani explicandarum: quæ temporibus ſuis horiſque legitimis partitæ ſunt. Ad Theologos venio, qui ſex quotidianis prælectionibus intereſſe poſſunt, mane veſperique: prætereo Medicos, Philoſophos, Rhetores & ſermonis Hebraici ſtudioſos, quorũ ordinariæ quotidianæque prælectiones ſuo definito numero continentur. Atque hæc de ſcholis ipſis maximis, & de prælectionibus, quæ intra maximorum parietes Gymnaſiorum enarrantur. Adeamus ſcholas minores, luſtremus liberalium artium officinas. Audies totidem Cathedraticos diuerſis horis liberales artes, tradentes, atque docẽtes de cathedris, quas proprietates vulgus appellat, hic docet cunabula, primaque rudimenta dialecticæ alter quærendi diſſerendiq; artem logicen tradit, tertius Phiſicorum difficultates nodoſque ſoluit, quartus Metaphiſicorum arcana patefacit; præter quos artium, & Philoſophiæ Magiſtros quotamis creantur noui Dialecticæ Philoſophiæque præceptores, qui curriculum ineunt & intra triennium abſoluunt. Ab his ad minimas claſſes, recentioreſque tranſeamus, in quibus Grammaticæ rudimenta prima, ratio ſyntaxeos, ſyllabarum dimenſio, auctorum, poetarumque diuerſitas explanatur & enarratur pueris in ſtudia literarum ingredientibus. Hæ ſunt ordinariæ ſtatæque prælectiones, quibus extraordinariæ plures accedunt & adduntur à competitorib. collegiorũ, cathedræ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que alicuius quorum vocibus personant minorum gymnasia scholarum diebus festis, atque omnibus horis, hyeme ab octaua ad vndecimam vsque & a prima hora post meridiem in quintam, verno & aestiuo tempore, a septima in decimam & a secunda pomeridiana in septimam vsque. Tanta est competitorum decertantium, de cathedris collegiisque multitudo: quæ vincit proculdubio, numero suaque celebritate præstantiam multitudinemque omnium cuiusque academiæ Competitorum. Atque cathedræ omnes, præter primarias & vespertinas, & quas vocamus proprietatis, quarto quoque anno vacant, & cuicumque de Academia viro facultatis illius laurea decorato, si collibitum fuerit, liberū est cathedram contendere, & ad illam ambiendam intra legitimum tēpus apud rectorem, consiliariosque nomen suum dare. Sed sunt adeo Silmanticenses officiosi, & amantes honoris alieni, vt nolint honorem huiusmodi ambire, quanquam cathedræ consequendæ fuissent certissimi, & illam habere se domi conditam putarent. Itaque tempus exspectant relictionis, vel vacuitatis, cum cathedraticus fuerat aliquis, qui se abdicet cathedra prouectus ad regum aliquod consilium: vel si presbyterorum itineribus cōtendens, sacerdotium amplissimum, vel Canonicatum aut dignitatem detulerit: nam qui ad proprietatis cathedram ascenderit, nisi eiusdem abdicatio, quod fere numquam accidit, per omne suæ vitæ tempus eam retinebit nunquam de possessione deturbādus. Quin præ reliquis Hispaniarum Academiis habet hoc proprium & peculiare ius ad labores diuturnos, maximosque præceptorum compensandos Salmanticenſis; vt cum anno 20. aliquam istiusmodi cathedram doctor moderatus fuerit, more veteranorum quondam militum à laboribus conquiescens, & omni cura solutus, quasi legitimis iam stipendiis confectis, & huiusce militiæ muneribus emeritis, in posterum sit emeritus, & quotidiano prælegendi onere liberatus, deinceps immunis emerita deferat, & tamquam bonus gladiator tandem aliquando curam accipiat. Ita præceptores istiusmodi emeriti vel ad scribendum se recipiunt, vel in regia consilia deliguntur, doctores omnium lectissimi, fama ac celebritate nominis admodum præstātes: vel si Theologi fuerint, mullius non Ecclesiæ conuentus in suum ordinem cooptandos curat: vt tantam sapientiæ præstantiam nanciscatur. Atque multi præfecturas Ecclesiarum, Pontificatus sedes honorificētissimas emeriti consequuti fuerunt. Sed in prælectionibus cernere est studium, & diligen-

diligentiam adhibitam, vt totam horam prælegendo præceptores expleant, de legitimo sibi ad suum pensum persoluendum tempore concesso, neque punctum minimum detrahendo. Quamobrem quadrātem ante inambulare solent peristylium, & exspectare tempus ingrediendi, quod simulatque signo dato inire visum est, recta Gymnasium contendunt, & quod aliis ingrediendi, aliis exeundi signum est: vt vno tempore hos introire, alios exire videas de Gymnasio prælectionibus absolutis. Nunquam equidem vacant Gymnasia præsentia præceptorum; cum post absoluta pensa noui recentioresque succedant functis iam officio suo doctoribus mane in tempus vsque prandendi, vesperi in occasum vsque solis. Atque præceptores sunt omnes cuiuscunque artis, atque disciplinæ flos ipse, decusque Hispaniarum, lumina & ornamenta sapientiæ, principes & coryphæi terrarum. Nam cum ampliores reditus habeant cathedræ & ipse munero plures stipendiis grandioribus auctæ, fama ac celebritate præstantiores de cunctis Hispaniarum Academiis habeantur, huc ex diuersis terrarum partibus, ex noua veterique Castella, ex Italiæ Lusitaniæque regnis Principes artium atque disciplinarum concurrunt ambitum, cathedram aliquam, simulatque relicta emanauit in publicum, & ad alieni genarum sedes perlata fuerint primariæ vacuitatis. Neque vero necesse est à nobis nominari plurimos. Satis omnes cognitionis habent, pluſquam ego pauculis meis verbis afferre potuero. Conimbrica, Pinelei, Acostæ, Hestores Voderici, & alii principes maximi, clarissimique Iuris prudentię Salmanticam aduenerunt. De Theologis vero quis nesciat florem dominicanorū in hac academia viguisse semper dominatumq; fuisse! Atq; de horum religiosissimorum sapientissimorumque patrum ordine versantes in aliis academiis optimos quosq; sapientissimosq; magistros in cathedræ primariæ vacuitate Salmanticam euocatos obtinuisse cathedrā annosq; multos ante moderatos. Fuit hoc proprium Salmanticēsis Academiæ lōge à finibus suis positos, in alienis Academiis versantes doctissimos, litteratissimosque homines ad res agendas litterarias, & ad præceptorum obeunda munera euocare, neque solum cathædra possessore vacua, sed stipendiis dum vacuitas alicuius adesset maximis oblatis, vberrimoque quæsto constituto. Quæ res omnibus iniicit cupiditatem Academiæ tantæ, & alicuius in ea cathedræ adipiscendæ maioris. In cuius vacuitate primū edicta exeunt in vulgus, & pro valuis Gymnasiorū affiguntur signo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cõsignata Academiæ, ad vim & auctoritatẽ publicarũ obtinendã tabularum. Atque ipse secretarius illius facultatis, disciplinęq; classem adiens indicto silentio, quod & iam fieri iussit præceptor id temporis prælegens, vt ille pedem intulit in Gymnasium, denuntiat, & edicit vacuitatem cathedræ ab illo die per mensem vnum: vt illo temporis spatio, quicunque velit de cathedra decertare nomen suum apud rectorem & cõsiliarios edat. Sepe tempus prorogari solet, dum exspectantur exquisiti de aliqua Academia præceptores, dum doctorum, & rectoris præsertim accersitu euocantur, dum per alios nomen dederunt, & illi sunt in tinere, neque temporis, aut viarum difficultatibus properare potuerunt, vt adessent mature. Sed ecce tempus prælectionum venit, & adest illa dies, cum prælectionibus decertationum initium daturi sunt candidati; & singulis dies datur, & designatur sortitione materia prælegendi pro antiquitate sua quattuor & eo horarum spatio expedienda proferendaque in publicum in Gymnasio maximo, quod ad eas concertationes locum habet amplissimum hoc plane theatro augustissimo, doctissimorumque hominum, suffragatorumque concursu. Absoluta prælectione vnisquisq; de suis studiis, de spatio tẽporis in facultate posito, de periculis ingenii factis, de rationibus ad appetendam deposcnedamq; cathedram suffragatores docet. Nemo quidem est tam desertus, qui non sui studiosos scholasticos, & amicos nõ aliquos habeat, per quos deducatur in Gymnasium, & domum reducatur. Vbi vero inter duos discrimen est, & decertatio potissimum, vt vnum, aut alterum certum sit cathedram ablaturum esse, magnus est, & numerosus comitatus vtriusque; plausu maximo deduct⁹ in scholas, collocatur in cathedra, descendenti, & non minore studio & grata admurmuratione acclamari solet, mediusque interiectus reducitur secundissimis domum clamoribus. Reliqui de præstantiore loco tenendo, de præeundo cum suffragiorum bono numero, de non manendo in extremis, de consistendo minimum intertiis laborant aque desudant: vt ad reliquas contentiones, ad primæ cathedræ decertationem aditum sibi patefaciant, & faciant gradum illustrem: quem in proximo consequuta candidati prædicant, quam maxima voce, & quasi ius suum dicunt atque confirmant, vt de proxime præterito recordati loco suffragia ferant, atque ade eidem fundant, cathedramque deferant.

SVF-

SVFFRAGATIONES.

SCire autem auetis prensationem candidatorum, suffragationes scholasticorum, delationem cathedræ. In officiis præstandis scitote illis temporibus nihil submissius competitoribus esse. Hic se ad minimum quemq; submittere, demittere corpus, aperire caput, genu leuiter flectere, & longo ante interuallo cum præuidere non potuit scholasticus, anteuertere suffragatores cunctos, pueros etiam & paulatim ad eos accedere, illis dedere se, deferre studium, operam atque diligentiam, deuouere animum inseruiendi cupidissimum, subridere semper & os & vultum lætum ostendere, multa dicere de spe, quam in virtute, in iustitia sua habeant, laudare tamquam bonos & integros & à muneribus incorruptos, amantes iustitiæ, quibus nihil opus est multa verba facere, dicere, hoc se facere consuetudinis potius, quam non fidentiæ causa, denique prensare competitores, non fuco neque fallacia, ambulationum aliquarum sermone omnia exhaurire, quæ dicere habeant necesse, quæque commendare pro iustitia in præsenti suffragatione seruanda, omni officiorum genere prosequi & in palatium vsque comitari suffragatorum, dimittere supplieiter, atque demisse, aperto demissoque capite, prono pectore & vtroque genu leuiter flexo, magno cum pedum crepitu, quos trahunt retrahuntque demittendo se, retroque cedendo, vt ipse in pauimento relinquant vestigia officiorum, & pulueris non parum excitati, semper intuendo oculis illis, cum beneuolis & lætis, tum in scholasticos coniectis atque defixis, & plane opem deposcentibus, atq; misericordiam humili supplicique obseruatione. Hos conuenire canditati, aliis salutem dicere plurimam, aliis longo interuallo caput aperire, concedere locum omnibus, cum his consistere, cum aliis deambulare, dimittere singulos, retinerẽ magis suspectos, iniicere manum pallio, orare, supplicare, illorum meminisse velint. Cum à suffragando scolastici exeunt, subridere, ore gestuque ipso gratificari, si quid dictum audiunt aut factum à suffragatoribus, leniter vel multũ arridere, vt se res dederint, vt tempus, vt persona, versare mentem, & ingenium ad omne calliditatis artificium, multa affingere non pauciora simulare. Procuratores cuiuscunque candidati agere partes demandatas, illos alloquendo, suspectos alios refutando coarguendoque suffragatores inconsiderantiæ, leuitatis, fallaciæ, falsitatis, corruptelarum. Nec enim mirum est in tanta

multitudine reperiri quenquam, qui minus recte quam licebat officium faceret. Modus suffragandi est is qui sequitur. Dum tot scholastici in palatium ingrediuntur, quot capere possint subsellia disposita, conclusis foribus, præsente rectore, consiliariisque, recitantur à secretario de scripto Academiæ decreta, sanctioneſque ad suffragia recte & à religione ferēda: vt qui sint idonei suffragatores, qui suffragatione prohibeantur, omnibus notum sit & exploratum: nemo autem suffragetur, nisi qui iustam & debitam suffragationem legibus & sanctionibus Academiæ probatam habuerit. Eo vero sunt suffragia præstantiora, quo maiore cursuum (sic vulgo appellantur) numero, & alicuius præstantia gradus excolluerint. Atque hæc auidius appetuntur in suffragatione & in suffragiorum exploratione spectantur maxime ad cathedræ delationem: propterea quod non exratione solum suffragiorum, sed ex numero cursuum & graduum, delationem cathedræ spectandam, metiendamque conditores decretis Academiæ sanxerunt, vt cum præstantia & excellentia maxima detulisse cathedram is prædicetur, qui cursu graduque plurimo præstiterit suffragatorum, quamquam tergo relinqueretur numero suffragiorum. Quod suffragatores magis probati, prastanteſque, qui melius de re literaria æstimare possint, indicium fecerint integrum & incorruptum: & reliquos ad hoc comparatos, vulgus boni æstimatores appellant, hos florem decusque facultatis, sed edicto recitata iurati suffragatores de manibus consiliariorum papyros paruulas accipiunt, & in illis nomina candidatorum inscripta, suis cursibus, & gradibus notata, compunctaque, & occulte taciteque, quam voluerint, eam deligunt, & complicant à ceteris disiunctam, & inspectante rectore consiliariisque, ne qua fraus aut fallacia possit esse, in vrnam dextram iniiciunt, in alteram improbatas reiectasque papyros. Durare solet tempus suffragationis propter multitudinē scolasticorū triduū aut quatriduū. Id tēporis in qua exspectatione: in quo metu sunt candidati? deducuntur, reducunturq; mane, vesperique magno comitatu, & vt spes est deferendæ cathedræ, omnium maxime honorificentissimeque comitati, præeuntibus & subsequentibus ipsorum studiosis scolasticis, præcipuequę suffragatoribus, amicis & familiaribus, & aliis diuersi ordinis, & classis corrogatis auditoribus, & iam iam ante cathedram dolatam victoriam nonnunquam inclamantibus.

DELATA CATHEDRA.

DVm iam suffragandi finis factus est, & candidati domum reuertuntur, ad suffragationem non amplius reditu cum scholasticis, & de cathedra deferenda nulla anceps contentio neque controuersia, nisi inter duos videtur esse, reliquis quanquam candidatis locorum magis quam assequendæ cathedræ obscura spe, & exspectatione pendentibus, non vtriusque partis gaudio lætitiaque efferuntur. Non domi conditam cathedram putant dum sibi ipsis gratulari posse confidunt, dum ex numero comitantium suffragatorū fęlicē exitū coniiciunt, dum sua cum alterius cōpetitoris suffragiis conferunt. Quoniam fit fere semper, vt aliquid affingamus in rebus lætis, quo faciamus id, quo volumus, lætius, hi fingunt abesse comitatu plurimos, qui sibi suffragati fuerint, aut propter offici simulationē: quod debere illos aduersario satisfacere dicunt. Sponsiones multæ fiunt de cathedræ delatione, de suffragiorum numero. Dum educuntur extrahunturque calculi, dum suffragia explorantur à rectore, cōsiliariisq;, dum cursus graduſq; numerantur, dū vtraq; conferuntur ad calculū, quæ in peristylio exspectatio? quāta obseruatio? qui sermones vltro citroq; habentur? quæ minima temporis puncta numerantur? quam oculi multorum in feneſtram intenti, vt simulatque aliquid de loco superiore significauerint speculatores, atque innuere visi fuerint accurrant, & aduolent denuntiatum victoriam adeptam candidato victori? Qui in peristylio sunt, & expectant significationem, nutum vel gestum indicem victoriæ consequutæ, vix minima significatione, nutuque prospecto inclamare victoriam, prædicare cathedraticum, suo compellare nomine, terga vertere, currere & aduolare domum victoris, illum, qui sunt eiusdem partis protinus consequi studiosi, fautoresque & aduersariis stupentibus & attoniis, & in peristylio manētibus, per vias, per loca celebriora cursu non desistere neque clamoribus abstinere in ædes vsque victoris. In quas cum hi se iniecerunt intruserunt que, cædere ianuas pugnis, pulsare vectibus, & dissonis & horrendis complere clamoribus, perstrepere, tumultuari, inclamare victoriam, cathedram prædicare suam, & cum numero, præstantiaque suffragiorum: candidatus continere se cubiculo, nolle aperire ianuam, magis claudere & pessulum foribus obdere: donec famulus adest rectoris & bidellus cum testimonio cathedræ delatæ. Cum vix longe prospicitur, clamores maiores tollere scholastici, vociferari vehe-

mentius, magis tumultuari & tota perstrepere domo, obuia quæque manibus cædere, & festinantius vehementiusque pulsare, sumere palmas in manus, lauras, oliuas tollere in sublime, motitare, agitare, efferre, demittereque confestim, alii præire, alii subsequi currendo, saltandoque, ingeminare iterareque voces, sæpius prædicare victoriam, cædere palmis, inclamare nolẽtem, & in itinere tabernas institorias pulsare, euertere, dissipare fructus venales, sursum deorsumque cursitare, sublatam humeris nouum comportare cathedraticum, & tunica amictum talari, solutâ fluentique sine pileo, lauro coronatum & iactatum crebro quassu corporis. Atque ex his nonnulli magis amici, familiares, & intimi de patrio solo, conductio equis cursus facere, iactare sese, & equites scholas ingredi, qua porta detur facilis ingressus, & egressus, circuire columnas, puteum, fores Gymnasiorum, obire sæpe, sæpiusq; currendo insanorum similes, & sui prorsus impotes. Sic deportatur victor, & in Gymnasium summo gaudio, maximoque plausu, illatus tãquam in currum effertur in cathedram: in qua respirans aliquantulum vix eum ducit & trahit spiritum præ anhelitu, pręque sudore maximo, cathedræ possessionem accipit. Iisque clamoribus, incitato cursu, strepitu, tumultuque maximo, diuerso, vel eodem itinere sublatus in humeros domum idem reportatur: atque scholastici se comparant ad lustrationem splendidam & illustrem in diem posterum adornandã. Hac primaria, cathedra reportata alias vacare videas plurimas, atque diuersas. Nam cum hic vespertinam cathedram obtinuisset, in primariam prouectus, suam relinquit vacantem ad quam dum alii nituntur ascendere, & hi plerumque ascendũt qui proximas huic tenuerunt, alii præoccupatis vacare alias, & sic nouarum semper vacuitatem esse, necessariũ est: quas suffragiis scholastici deferant præstantibus, & nobilitatis de Academia competitoribus.

GRADVS ET HONORES LITTERARII.

QVoniam has cathedras nisi laurea aliqua decorati petere non possunt, tria in Silmanticensi academia cuiuscunque facultatis alumnis honorum insignia deferuntur, Bacchalaurei, licentati, magistriq; dialecticæ, Philosophiæ, sacræque Theologiæ militibus: sed Iuris Pontificii Cæsareiq; cultoribus, pro magistrorum laurea fieri debet doctoris accessio. Triennio curriculum Dialecticæ, Philosophiæque,

phiæq;, quadriennio sacræ Theologiæ, quinquemio legum, atq; sacrorum canonum ad primum Bacchalaurei honorem, quo aditus, & primus gradus fit illustris ad cæteros omniũ artium, ad disciplinarum honores & insignia capiunda conficitur. Si quis Licẽtiæ laurea decorandus est in sacra Theologia, vel in Iurisperitia, biennium post confecta studiorum curricula præterire debet: quod datur his doctrinis, disciplinisque recolendis, interque parietes domesticos assidua cura incredibilique labore repetendas. Cum autem ad licentiæ gradum Theologus aspirat multas de totius fere Theologiæ misteriis theses in eodem gymnasio tuetur doctore grauissimo, sapientissimoque sacræ Theologiæ præsidente in eodem augusti celebrique tantæ disciplinæ Gymnasio. Atque disputationes huiusmodi consequitur relectio quædam in prælectionis modum, sed non de suggesto more prælegentium: de subtili aliqua, reconditaque diuinæ doctrinæ quæstione. Postquam peruenitur ad examinis occulti periculum subeundum, in hoc faciendo quattuor & viginti horarum spatio prælectionẽ à decano doctoribusq; designatã doctorib. ipsis duntaxat occultè præsentibus prælegendũ licentiatus accipit, atq; absoluta prælectione, argumenta maxima, acerrimaq; ponuntur in licẽtiatum, quæ ingenii sui acumine diluere debet, atque dissoluere, si vult omnium doctorum calculos summâ cũ approbatione deferre. In Iure Pontificio, Cæsareoque præter alia pericula ingenii, & in facultate progressionum documenta, quæ dare debet exornandus ad licentiæ lauream accipiendam, illud est periculosissimum, & ab omnibus valde formidatum; cum quattuor & viginti horarum interuallo responsum aliquod Iurisconsulti, vel decretum alicuius Pontificis per sesquihoram in confessu patrum sapientissimorum acute, & ingeniosè interpretatur explicans & enodans decreti responsique difficultatem. Et quidem licentiatus quæstionem multis difficultatibus obstructam, huc & illuc trahit oppositu vario, multoque decretorum & legum difficillimarum, quibus auget difficultatem quęstionis propositæ, & ad veritatem ex tenebris, & latebris eruendam, doctorum & recentiorum, & antiquorum opiniones in medium profert, ad obiecta respondet summâ cum perspicuitate, & confirmatione Iuris vtriusque, vt ex ipsis Iurisconsultorum, & Pontificum præscriptionibus responsa largiatur, tenebras deiiciat, lucem afferat, & quod effici debeat, & intelligi concludens, id multis rationibus, legibus, & san-

ctionibus regiis confirmet: vt nemini dubitationis locum relinquat. Inde progressus idem facit ad variam, multiplicemque legum intelligentiam, quibus lites diremtæ, sublatæ quæstiones, latæ multæ sententiæ in Regiis Prætoriis atq; hæc tanta cũ memoria, ingenii acumine, celeritate summa, ostentatione progressionum in facultate maximarum, vt iurisconsultum agere videatur, sesquihoram eximia doctorum voluptate explendo. Id quod comprobatio consentiens sine vlla discrepãtia suffragiorũ testata fuit. Quo de examine propter summam doctissimorum patrum sapientiam, & in legibus explicandis vsum, & notitiam intelligendo iure illustrem & insignem, non dicam quidquam amplius, quam quod summa cum Academiæ tantæ celebritate peruenit ad omnium fere mortalium aures, & in orbem terrarum vniuersum sparsum fuit, atque constanti sermone verissime dissipatum: ex doctissimis hominibus, qui non ingredi in Beatæ Barbaræ sacellum reformidet, ad periculum huiusmodi subeundum, & totis artubus, atque membris non contremiscat, esse neminem. Sic tonare visi sunt atque fulgurare iaciendis retorquendisq; argumentorum telis. Tot sunt Vlpiani, tot Sulpitii, tot Africani, tot denique Papiniani quot præsentes vrgere conantur, atque premere laurea licentiali decorandum: vt non casu aliquo, qui rebus popularibus dominari solet, sed diuino quasi consilio Beatæ Barbaræ sacellum, qui locus huiusmodi litterariis actionibus præstitutus est, nunc dicatum fuisse videamus: cuius in discessu felicissimo tonuisse cœlum horrendo quodam strepitu & fragore quasi ruentis ætheris non ignoramus. Itaque qui huc venturus sit, qui in sacellum Beatæ Barbaræ ingressurus, se ipsum nouerit prius: sicut viros doctissimos sapientissimosque Iurisconsultos esse, qui illum excussuri sunt, & scientiam in iure ciuili comparatam suis ponderibus examinaturi: ne postea, si quod deus malum auertat, non probatus hisce doctorib⁹, & litteræ alicuius. R. notis inustus, cõpunctusque de sacello decesserit, in partes iustitiæ amantes, sed in ipsius insc entiam, culpam omnem conferat: qui tanta loci maiestate indignus & viribus examinis inferior prouinciam tam arduam atque difficilem aggredi ausus fuerit. In quo iure seruando faciunt decernuntque patres isti sapientissimi de Academiæ honore, & sanctionibus honorificentissimis: quibus id datum est honoris & laudis Salmanticensis Academiæ laureis & insignibus, vt reliquarum Academiarum Licenciatis & doctoribus: qui fuerint de tanta Academia,

demia proferantur. Quare mirari desinamus, si Salmanticenses Licentiati doctoresque, tantum in orbe terrarum honorem, & gloriam consequantur: quique huic Senatui probati fuerint, omnibus se probatos esse merito semper atque optimo iure sperare debent, cum ad illum gradum tantis laboribus, tanta sapientiæ magnitudine, tanto honoris discrimine descenderint. Restat vltimus & omnium præstantissimus doctoris honos deferendus. Is defertur in templo maximo, in sacello magnificentissime ornato, tabulato, in altitudinem maximam excitato, vt in oculis & ore mortalium accipiatur magno consessu sapientissimorum patrum, suis insignibus versicoloribus tantam & tam honorificam actionem decorante litterariam. Qui quoniam cum ipsa lustratione complutensi & omni parte mirifice congruit, de vtraque re qui plura scire voluerit, Academię Complutensis exercitationem perlegat. Ego ad collegia properans festinansque transeo.

DE COLLEGIIS SALMATICENsibus.

AD memoriam laudum Salmanticensium, & ad Academiæ nobilitatem illustrandam, plurima collegia ædificata fuerunt, exquibus non minus quam de superioribus ornamentis, illustrissimum istud Mineruę Christianæ domicilium nobilitatur, vt qui prędicationē nobilitatemque collegiorum præterierit, iniuriam maximam Academiæ Salmanticensi feciſſe videatur. Omnes enim Hispaniarum Pontifices, omnes proceres nostrorum, qui vbique sunt, regnorum ad suas opes in hanc Academiam conferendas & in collegiorum multitudinē magnificentiamq; augendam certatim contendisse visi sunt. Quis enim ex illustrioribus Hispanię Pontificibus, ex maximis celsissimisque Archiepiscopis ad illustrandam sui nominis amplitudinem non Salmanticæ collegium ædificandum, exstruendumque curant? Quin & canonici quique dignitates habebant Ecclesiarum, suas pecunias ad hęc litterarum monimenta statuendi incredibili succensi pietate contulerunt. Id quod multitudo diuersitasque collegiorum declarat: quæ tot sunt plane, quot sunt dissimilitudines, varietatesque pannorum. Longum esset singula persequi, notiora duntaxat percurram. Atque illorum vnum est montis Oliueti, quod non procul à mœnibus ciuitatis disiunctum

est, alterum Beatæ Magdalenæ, tertium diui Thomæ, quartum Angelorum, quintum Beatæ Virginis nomine & honore affectum, sextum ab Archiepiscopo Hispalensi Valdesio conditum: & vt alia præteream quæ cunctis multo notiora sunt, quam mihi qui de collegiis ago; quis trilinguium obsecro collegium non audiuit? Inter omnia tenent principatum quatuor ab antiquitate nuncupata maxima: quorum, quemadmodum reliquorum, collegę suis insignibus notatissimi diiudicantur, & internoscuntur. Cum omnes togas talares, atque conclusas gerant tum longioribus focalibus ab vtroque humero decidentibus spirarum rotunditate vetustissima ab vna parte terminatis collegæ decorantur. Tria collegia maxima à Metropoli cuiusque Pontificatus nomen trahunt, vnum Ouetense, ab vrbe Oueto, quæ ciuitas est in Asturibus amplissima, & sedes Pontificis illius diœcesios, cuius Episcopus illud collegium condidit, appellatum: alterum, Conchense dictum est à ciuitate Concha, cuius præfectus conditor & fundator fuit illius collegii: tertium ab Archiepiscopo Toletano identidem conditore illustri, & insigni, nomen accessit: vltimum propter vetustatem, & antiquitatem suam vetus communiter appellatur. Conchenses collegæ ferrugineo colore togam, focaliaque gerunt: quemadmodum Bartholomæi fuscas vestes, focaliaque. Obetenses & Toletani vestem fuscam, hi tamen focale purpureum, cyaneum ostendunt: reliquorum Alumni collegiorum, præter montis Oliueti collegas, qui nigrum vtrumque insigne & Archiepiscopi Hispalensis qui viride corpore & humeris suis portant habitum fuscum induti focalium varietate dissimilitudineque distinguuntur: quæ persequi non est necesse, cum in tantam multitudinem collegia excreuerint, vt vix color reperiatur quo à ceteris collegæ possint internosci: si nouum aliquod decursu temporis condendum fundandumque sit. Sed vos si placet considerate ornatum & splendorem, quem aspicere possunt ingredientes in scholas & in diuersitatem differentiamque collegarum incurrentes: qui cum ipso aspectu & vestitus dignitate grauitatem habeant & amplitudinem maximam, videre tamen est omnium maxime quatuor, maximorumque florem collegiorum, qui cum licentiati iam, aut magistri sint, & multi de cathedris deferendis contendant, & ad sacerdotia

cerdotia maxima, ad dignitates Ecclesiæ, ad Regia aspirent consilia, & hi multis Academiæ litteratis hominibus præstent: sunt equidem decora & lumina Hispaniarum: neque vlla pars est terrarum quam non multitudine sua impleuerint.

Verte quæso teipsum ad cathedras Salmanticenses, quot istorum splendore collegarum illa decorantur? & aures scholasticorum vocibus eorundem personant, vel dialecticæ vel Philosophiæ vel Iuris Pontificii aut Cæsarei arcana recondita patefacientium? Lustra mentis oculis Ecclesias Hispaniarum, illarum subsellia huiusmodi collegarum dignitate, suam egregiam amplitudinem ostendunt.

Consilia Quæsitorum hæreticæ prauitatis, prætoria Regum, atque summi præpotentis Regii senatus sedes celsissimæ, his præcipue partibus, litteris, & virtute conspicuis tanquam clarissimis distincta luminibus illustrantur. Atque cum Præfecturas Ecclesiæ, Pontificatusque illustriores pleroſque percurrerimus, non eos tantorum hominum sapientia claritateque lucem accepisse videbimus, & omni tempore locis omnibus diffundere clarissimam. Neque vero in Hispania, neque in Indiis solum, non in ditionibus Imperiisque duntaxat nostris sed in quocunque ora regioneque terrarum dominari de collegiis huiusmodi delectos, exquisitosque doctores, & in Principe terrarum vrbe Roma, vel præsidentes summo gentium, ac nationum omnium Consilio, vel cum purpura, pileoque proximam à Vicario Iesu Christi dignitatem habere cæperunt. Nusquam illi locorum non sunt, nusquam non regnant, vbique dominantur atque florent, cum imperio, summaque dignitate. Atque mihi quidem collegia videntur huiusmodi præsidia propugnaculaque terrarum tutissima, firmissimaque: vnde collegæ subsidio veniant & sint omni tempore rebus Christianæ Reip. neque sæculi solum, sed Ecclesiæ. dignitates, & honores eximios illustresque gerentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE RECTORE ET CONSILIARIIS.

Hic tantus & tam illustris ornatus, tanta Academiæ amplitudo conseruatur, & capit in dies maiora gloriæ & honoris incrementa rectoris, & consiliariorum annuo magistratu. Rector numquam deligitur nisi nobili genere natus, & fumosis maiorum imaginibus insignibus, qui plerunque filius Comitis alicuius, Marchionis, Ducis & Procerum Hispaniæ clarissimorũ solet esse. Hunc facile est deligi tanto generis splendore clarum: propter quod filii huiusmodi principum flosque nobilitatis Hispanæ, in hanc Academiam Iurisperitiæ studium, & operam nauatum confluant, & hanc dignitatẽ consequi, pręesse vniuersæ Academiæ, summum quisque ducat honorem, & ad honores consequendos alios & ad generis sui nobilitati claram illustremque diffundendam: cuius partes sunt Academiæ gubernandæ, deferendæ cuiuscunque cathedræ, summi Iuris in scholasticos, in præceptores, in doctores habendi, cogendi etiam doctorum magistrorumque senatus ad deliberationes rerum, quæ de Academia haberi debent, denique obeundæ classis, lustrandique cuiuscunque Gymnasii, quærendi de præceptorum prælectionibus, de studio, de diligentia consueta. Quin hoc tempore ille moderator est, & gubernator totius Academiæ: cui obtemperandi ineunte anno, simulatque delectus est, scholastici, patresque supra nominati pulcerrimum dant, & sanctissimum iusiurandum. Atque hoc rector bis honore afficitur ab Academiæ scholasticis & alumnis omnibus, senatuque florentissimo: vt omnes illum vesperi pridie feriarium B. Martini, & mane quoque eidem die sacro, officii & honoris caussa, iterum feriis B. Catharinę dicatis domo in scholas vsq; deducant reducantque comitantes vespertinis precibus & absoluto sacro. Videre est scholasticos præeuntes omnes, binos ternosue, summos, medios & infimos, cum sui generis & ordinis æqualibus progredientes, togis omnes talaribus induti, præter seruos & famulos, qui breuioribus palliis amicti heros consequuntur. Cunctos igitur videbis longioribus amictos vestibus, splendidos atque nitentes summâ pompâ, gradibus fere numeratis in incessu, & ad omnem grauitatem ore composito, & longissimo agmine in duos ordines distributos, atque adeo longo, vt à rectoris ædibus, cum ille longissimo interuallo distent, & in vltima fere semper de industria ciuitate con-

re constructæ conducantur, in scholas vsque agmen perpetuum videatur. Cernes sequi collegas in habitu versicolore conspicuos, licentiatos, magistros denique, doctores ipsos proximos anteire rectori cum flore nobilitatis Salmanticensis permixtos, ipsum vero rectorem medium inter decanum & antiquiorem doctorem interiectum, tanta cum auctoritate, tanta cum grauitate procedentem, vt Episcopi in illo maxime dignitatem & amplitudinem se dicãt omnes intueri. Hic ego quid dicam strepitum viarum, quacunq; tanta multitudo præterit, & tantus & tam innumerabilis comitatus progreditur? quid commemorem florem, & decus omnis ordinis & fortunæ scolasticorum? quid proferam filios multorum de familiis clarissimis procerum & magnatum Hispaniarum? quid ostendam tam insignem collegarum præstantiam & amplitudinem diuersis colorum insignibus distinctam & illustratam? quid proferam tot Licentiatorum apices & insignia? quid referam decora & ornamenta Academiæ, magistros & doctores omnes doctrina, sapientiaque præstantissimos? quid effusiones oppidanorum ad spectandum? quid rectorem spectari? quid indicari digitis? quid præire clauarios duos cum clauis argenteis? quid consequi famulos, administrosque multos? quid quacunque procedebat, illum officiis omnibus genus hominum prosequi? plaudi rectori tanto tamque præstantihonorem omnem tribui? nominari denique rectorem Academiæ Salmanticensis quantum habet laudis in homine? magna est rectoris species, magnus honos, magna dignitas neque vlla in Academiis rectoris moderatione maior fuisset delata Salmanticensi, si quemadmodum rerum, quas prædiximus potestatem habet, ius & iam haberet comprehensionis, & animaduersionis in scholasticos: sed huiusce iurisdictionis causa præfectus scholarum est. Is iudicem habet qui iudicia scholasticorum exerceat: qui tanta est Auctoritate prædictus, quanta decet Academiam toto terrarum orb· florentissimam. Ille gerit dignitatem scholæ magistri clarissimam in Ecclesia Salmanticensi: a qua suo munere præclare functus Pontificiam fere semper exspectat accipiundam.

DE SPLENDORE SCHOLASTICORVM.

ET quidem si nihil eorum, quæ prædiximus, nostris oculis cerneremus, sed florem duntaxat scolasticorum, & splendorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

insignem & illustrem, id satis esset ad ample magnificeque de Salmanticensi Academia prædicandum: quos cum intueris, humanos, politos, vrbanos, totos aulicos posses appellare. Tantus est in corpore splendor, tanta in domestico victu præstantia, in comitatu famulorum à tergo sequentium numerus, in verbis & in sermone elegantia, in congressu communi officiorum omnium conformatio, & mira semper accuratio. Nam vestitus quamquam honestus, adeo tamen splendidus est, quia fere semper recens adeoque grauis, quia talaris, & ad nostrorū speciem clericorum: adeo magni pretii, & æstimationis, quia ex præstantiore & magis tenui panno: adeo compositus, & ex omni parte conueniens vt nulla non ex parte æquabiliter cadat. Atque illi cum sunt Adolescentes & multi apta membrorum conformatione, oris spectata dignitate, sui ipsius corporis non negligentes, egregiam habent speciem & aspectum illustrem: vt in omnibus filiorum plane locupletissimorum, in Ducum aut magnatum sobolem arbitreris te intueri. Ita incedunt omnes, qui non in famulatu sunt, tunicis & epilogiis talaribus induti, præcincti serica zona, lateque explicata, & à fronte nodo elegantei constructa, pileis capitibus venuste satis impositis ad vsum quem temporum varietas tulii. Quacunque progrediuntur, illos ad minimum bini famuli consequuntur, multos terni, quaterniue, non paucos copiosis, ac bene nummatis parentibus natos quique in filiorum ostentationem ad omnes sumptus largi sunt & effusi, famulorum greges maximi. Quid quod extremi isti mula vehuntur, & quidem ante ambulonibus semper præeuntibus & à tergo multo pueroum comitatu sequente: domibus autem ipsis viuunt ad locupletum & bene nummatorum morem: qui vero moderatissime, hunc sibi præfinierunt modum rationemque vescendi: vt numquam fructus temporis illius pro primis mensis, neque esca cum iure bene condito, atque aliquod quod prandium absoluat ab vsitatis mensis abesse debeat præter extraordinarias carnes assas hædinas ad minimum, vel venatione captas, delicatas atque suauiores quæ carnibus coctis petasone ollam absolutam atque perfectam plerumque præcedere debent. Dum autem scholastici Salmanticenses prandere, dum cœnare solent, astare famuli, pueriq; tunicati, capitib⁹ apertis ministrare, inferre escas, expedire patinas omni mūditia, elegantiaque politiore cernuntur. Quod factu facile est scholasticis Salmanticensibus qui diuites duntaxat & qui facere sumptus hos possunt, ad litteratum studia ex diuersis terrarum partibus confluunt. Qui faciendis sumptibus non sunt, famulantur. Ita autem illi domus conducunt, quas bini terniue, plurimi sine comitatu incolunt: nam Salmanticæ dedecori semper fuit quemquam cubiculum ad habitationem annuam conducere: neque hæc in Academia contubernia, quæ sunt in aliis honorifica, æstimantur. Ita viuunt, vt omnes sui iuris esse videantur, & domos habeant conductas ad suam & suorum habitationem famulorum. Dum ipsi domi sunt, togas addunt tunicis talaribus, aut apertas aut ex omni parte concluſas, & multis condiilis sericis earum manicas, & oras in circuitu distinguunt, collaria interiora gausupino eleganter exornant, & à sumno leuiter reuocant per circuitum ad speciem & aspectum illustriorem. His amicti pro foribus esse, lustrare viciniam, domos adire proximas amicorum, rusticari solent & sub dio esse noctis partem aliquam, verno & æstiuo tempore. Atque cum hoc scholastici ornatu sint, cum tam splendido videantur more viuere, vitam agunt scholasticorum propriam, & laborum atque difficultatum pleniſſimam: qui totos dies, mane, vesperique prælectionibus audiendis ponunt. Nocte qui minus diligentes sunt, eisdem relegendis tres horas continuas à sexta in nonam vsque consumunt, qui diligentes habentur, & nomen scolasticorum adepti sunt, post tres horas ante cœnam litteris tributas cænati duas, vel sesquihoram nocturnis studiis addunt: neque cubitum eunt, nisi matitunarum precum signo, quod noctis hora duodecima dari solet, audito. Tantum autem studium in litteris & diligentia adhibetur, vt diebus festis res litterarias inter se conferant, iurisconsultorum responsis, Pontificumque decretis explanandis, dent operam domibus ipsis, intra domesticos parietes inuitaritione scholasticorum: qui mutuo seipsos ad huiusmodi litterarias exercitationes inuitare solent. Ita viri euadunt doctissimi. De quibus plura non dicam contentus communibus & vsitatis scholasticorum iocationibus: quas quoniam inter illos communes esse video, non prætereundas fuisse silentio iudicaui.

COMPLVTENSIS ACADEMIÆ.

AVCTORE MELCHIORE DE LA CERDA Societatis Iesu Hispali Rhetore lib. de Apparatu Latini Sermonis.

PERISTYLIVM.

DESCRIBETVR Complutensis Academia, quæ parens bonarum atium, & admirabilis disciplinarum officina celebratur. Quæ cum tria habeat peristylia, in primo sunt musæa studiis, & grauioribus diciplinis dedicata: quæ in hunc modum ædificata sunt, atque constructa, vt ædificum sit amplum, atque altum: cuius in aditu, introitus præpositus est Gymnasiis omnibus duplex, atque vterque visendus, sed præstantior est, qui ad diui francisci sacram ædem spectat: qui cum altissimus sit, & longissimus totus ex lapidibus mitifice politis ædificatus, tum multis & variis picturis, & imaginibus lapideis, antiquo opere & singulari artificio factis ornatus. Infra quē, in via statum, quæ scholasticos in Academiam deducit, templum est Beato Ildefonso sacrum, in quo ab Albente cœlo nunquam sacra intermittuntur in vndecimam vsque horam: vt præ frequentatione sacrorum, nullum matutini temporis spatium rei diuinæ non interesse possint scholastici. Atque templum cum mirificum sit, & amplum, tum Academiæ celebritate dignissimum est.

PORTICVS SVPERIORES.

AB illo igitur introitu, qui per valuas maximas datur, pauculos ascendendo gradus lapideos in peristylium cademiæ ingredimur quatuor porticibus ornatum, quibus ædificii superior pars collegarum cubicula continens sustentatur, atque porticus columnis fulciuntur non tam politis, quam crassis admodum, quæ non parum firmitatis ac roboris habent ad stabiliendum, magisque perpetuandum ædificium. Porticus vndique Gymnasiis, & triclinio, ad prandia,

dia, cœnasque collegarum amplissimo, longissimoque circundatæ sunt. Cum quadratum peristylium sit, tum lapidibus stratum politissimis. Gymnasia huiusce scolæ octo numerantur. Cum autem duo sint aditus ad has scolas, & tabernacula litteratum, vnus ad ædes (vt prædixi) franciscanorum, alter ad medium spectat peristylium, quod inter maiores, & inter minores liberalium artium studiis dicatas scholas interiectum est: si per illum ingrediaris, à dextra est Gymnasium medicinæ, à sinistra Matheſibus sacrum: si per alterum introeas, à dextra excitatum est iuri Pontificio, & à sinistra Philosophiæ tabernaculum dicatum. Porticus dextra à lateribus continet tria Gymnasia, inter quæ duo nobilissima, celeberrimaque commemorantur, vnum reginæ disciplinarum omnium sacræ Theologiæ consecratum, alterum habet multum celebritatis & honoris, quod in illo bachalaurei, & licentiati subeant periculum examinis, quod adeunt ante lauream vtramque consequendam: atque in istud præceptores liberalium artium, atque Philosophiæ conueniunt suis disputationibus præfuturi. Cum Porticus pateant in longitudinē & latitudinē tantam (capiunt enim quatuor deambulantes scholasticos spatio suæ latitudinis transuerso) tum picturis multis, & insignibus decoratæ nitent incisis ad memoriam rerum ipsarum sempiternam. Ab hoc Peristylio datur ascensus per duas scalas ad cubicula superiora collegarum, & ad Rectoris Academiæ palatia hoc orificentissima: quæ quadruplici portu superiore decorantur, & illa spectat ad impluuium Rhetoricæ, in quo sunt duo Gymnasia, arti benedicendi vnum, & alterum Hæbraicis, & Græcis literis factum: ad quæ per transitum, qui nos in suum impluuium deducit, quatuor porticibus decoratum ingredimur: in quo Ampliſſimæ sunt valuæ in diui Ildefonsi per gradus descendentibus aditum præbentes. In peristylio maximo horologium est cum Indice horas, & illarum partes, & interualla & designans. Nunc ab his scholis, per medium peristylium, ad Dialecticorum, & Physicorum Gymnasia nos conferamus: sed si in hoc medio paululum consistamus, vim & multitudinem admirabimur scholasticorum ex maioribus, & ex minoribus Gymnasiis exeuntium. Hos videas consistere, & in circulis, & in conuenticulis visitatis, alios binos, aut stantes, aut deambulantes, quæ audierunt relegentes, & conferentes inter se: & ob eam causam impluuium istud vocibus scolasticorum agentium, & disputantium de rebus litterariis nunquam non

personat. Scholæ minores non minus longo, latoque peristylio, & columnis ornato magnificis, quæ totum superius ædificium, & collegarum cubicula trilinguium sua firmitate sustinent, cum porticus quatuor, & quinque contineant gymnasia, tum in vna theatrum est amplissimum, atque magnificentissimum. Istud quadratum est ex omni parte, totum nitidum atque collucens, siue pauimentum siue gradus illius, siue parietes, atque tectum, denique suggestum velis intueri. Totum enim stratum est tessellis perlucidis atque splendentibus, gradibus circumdatum plurimis, atque tessellatis, quorum summus à cæteris, quos magistri præoccupant suis insignibus, orna te in cohonostandis honoribus litterariis, à doctoribus disiuncti separatique, cancellulis ferreis interiectis magis eminet, atq; præcellit doctorum cuiusque facultatis numero, & dignitate pro sua antiquitate considentium decoratus. Parietes altissimi sunt & incrustati mirabiliter, & coloribus picti venustissimis, fenestris ornati patentibus ad spectandos ludos literarios, & doctorum lauream in hoc orbis gentium augustissimo celeberrimoque theatro deferendam. Cum tabulatum valuis aduersum, à terra non multum excitatum sit ad res literarias hoc in loco exercendas, tum suggestum omnium, quæ viderim, & audiuerim, opere spectosissimo, magnificentissimoque factum est, totum deauratum, & valuis ipsis obiectum atq; oppositum. Tecta laqueata, & auro obducta purissimo, plurimis illustrata artificium ingeniis magnam addunt theatro dignitatem, & conditoris præstantissimi Cardinalis Ximenii celsitatem expressam relinquunt ad posterorum memoriam immortalem. In hoc theatro habentur orationes publicæ, declamant Collegæ trilingues, deferuntur honores literarii. In eodem legationes, quæ à paranymphis id est, à legatis nomen acceperunt, singulis annis obiri solent, & pridie illius diei qui doctorum illustrationi datur, disputationes haberi debent, proponente puero quæstionem, quæ huc, & illuc argumentis trahenda est, & orationem rhetore clarissimo habente de sella magnificentissima, de laudibus vnius viri laureã accepturi: quam consequuntur ridicula dicta, & iacta in nouum doctorem, vt à rebus seriis, & grauibus, quæ antecesserunt, ad iocos & ad ridicula mentes auditorum aliquantulum auocentur, atq; homines exhilarati de theatro ridentesque discedant.

GRADVS

GRADVS LITERARII.

IN eodem denique, ea, quæ sequitur, Domini die, doctoris insignia deferuntur à Decano academiæ, magno plausu & acclamatione, frequentissimo confertissimoque theatro, ipsisque magistris separatim à doctoribus theologis, iurisperitis, & medicis intra cancellos amplitudine, varietateque incundissimâ considentibus. In hoc doctoris honore deferendo multæ res præcedũt & consequuntur risu, audituque iucundissimæ. Habentur orationes, & ad petendam lauream, & ad gratias pro consequuto honore agendas, Decanus autem ad deferenda insigina doctoris vsitatam pronuntiat oratiunculam, distribuntur manicæ, & pecuniæ pro dignitate magistris, atque doctoribus. Doctor nouus cancellos circumiens, vnumquemque magistrum singulosque doctores amplectitur lætus & hilaris, in tantum & in tam honorificum locum adscriptus. Qua laurea donatus reuertitur cum Academiæ Rectore ad maiores vsque scholas, tibicinum & tympanorum cantu personantibus impluuiis omnibus suis insignibus decoratus.

LVSTRATIO DOCTORIS.

NOn omittenda est hoc in loco lustratio doctoris publica, plena honoris, plena ostentationis, quæ diem laureæ antecedit, cum per vias publicas, atque celebriora ciuitatis loca vehitur, si medicus est, equo mirifice strato visendus omnibus, atque spectandus in habitum fere formamque triumphantis. Nam cum præeant tympanistæ, atque tibicines, illi semper crebro pulsu tympanorum, multo ante doctoris speciem, & aspectum illustrem, totamque lustrationis pompam præcinentes, tibicines suis interuallis, omnibus in locis personantes mirifica tibiarum dulcedine excitant oppidanos, & scholasticos vt ad nouum doctorem, & ad lustrationis magnificentiam spectandam sese effundant, & aduolent, & de suis ædibus, de fenestris, pro foribus spectent. Primum magistri liberalium artium, cum ephestride splendente sui ordinis, ac dignitatis insignibus ornati capita, & pectora clarissimis præeunt. Illis proximi progrediũtur medici decorati pallido, iurisperiti, sacrorumque canonum doctores, rubro viridique

colore, Theologi candido albicantes ornatu procedunt: omnes bini loca omnia præterueheuntur, æquabiliterprogressi cum auctoritate summa & illustri mirandaque varietate. Eques ornatu visendo decoratus præferebat signum elatum in sublime,& stemmatibus noui doctoris illuminatum. In media vero pompa, summo apparatu & splendore versicolore amicti veste pueri nitebant,& in equis vecti eleganter stratis paropsides gerentes rotundas,& amplitudine maximâ, & in illis insignia doctoris pulcerrima, venustissimaque, galdro affixa & in circuitu liciis ipsis latissime sparsis diffusisque. Vltimus omnium Academiæ proximus eques consequebatur nouus ipse doctor, aperto capite, pretiosissimo cultu corporis ornatus. Præibant clauarii Academiæ cum clauis argenteis & deauratis: & famuli plurimi equum circumsistebant qui versicoloribus distincti insignibus non parũ habent venustatis, atque splendoris. Hac pompa& splendore à collegio maximo cuncti discedunt. Qua in lustratione cum varietatem tantam & multiplicem ornatum admiremur, magis suspiciemus ordinem hominum equitantium, in quibus iudicia grauitatis, constantiæ, firmitatis, lumina & ornamenta litterarum & totium sapientiæ possumus intueri.

DE COLLEGIO MAXIMO ET RECTORE.

SEd vt vnde digressi sumus, nihil omittendi causa, reuertamur ad scholas maiores; & habitatores maximi collegii,& præfectum illius maximũ videamus: sunt enim Collegæ sapientissimi, litteratissimique, curriculo iã sacræ Theologiæ & suorum studiorũ confecto; qui partim iã doctores sunt, partim ad laureã doctorũ aspirãtes actus iã instituerũt suos: quib. & vniuersę Academię Rector pręest amplissimus, & literis,& auctoritate,& omnibus sapientiæ luminibus illustratus. Cuius magistratus annuus est, & in illius locum alter facta sortitione succedit. Quem videre est amictu collegarum talari, & à fronte epitogio concluso cum focali ab aduerso collo in tergum ex vtroque humero ad imam vsq; vestem delapso cum spira rotunditate mirabili facta ad speciem, & amplitudinem, quem exeuntem de palatio suo multi comitantur officii, & honoris causa: atque illi præeunt, alii subsequuntur: à tergo famulus egregia atque liberali forma laciniam longiorem manu sublatam portat. Semper duo præeunt accensi cũ clauis speciosissimis in humeros impositis, ornantes, decorantesque dignitatem & amplitudinem rectoris insignem: qui in statu, in incessu, in oculis & ore auctoritatem Pontificis maiestate dignissimam sustinet. Huius humeris inclinata recumbit Academia vniuersa. Cuius partes sunt gubernare Academiam, cogere doctores ad deliberationes rei literariæ, prouidere rebus Academiæ, obire gymnasia, quærere in præceptores prælegentes: Qui ius & potestatem habet in scholasticos, quocunq; alio iudice solutos ac liberatos. Hi enim scholastici simulatque in Academiam hanc ad literarum studia percipienda venerunt, adeunt & singulos semper annos, anno ineunte, domum secretarii, qui in catalogum scholasticorum illos ascribat: vt prærogatiuis, & immunitatibus Academiæ datis perfruantur. Atque rector improbos carcere, vinculis & suppliciis coercendi facultatem habet, iurisdictionis potestate sibi tradita ex Academiæ sanctionibus. Idem debet edicta proponere cuiuscunque cathedræ, quæ vacauerit, suffragia scholasticorum accipere, & ex numero suffragiorum maiore deferre cathedram, collegia reliqua alere sumptibus,& impensis collegii maximi, stipendia persoluere præceptoribus suis præstitutis temporibus. Denique quoniam omnia munera sigillatim persequi non possumus; proprium est rectoris vniuersæ consulere Academiæ, atque curare inter alia per bidelos, vt suis horis ingrediantur ad prælectionem,& à gymnasiis expletis temporibus prælectionum legitimis exeant prœceptores, nec partem vllam temporis amittant: vt pro decessione temporis delectione facta, magistri pecunia mulctentur, tantoq; minus de suis stipendiis accipiant, quanto plus temporis, quod insumendum erat in prælectionibus, citius excundo detraxerint.

PRAELECTIONES.

NIhil hic opus est enumerare prælectiones cuiuscunq; facultatis, atque disciplinæ, nec plures habentur in vlla nostrarum, aut aliarum gentium Academia. Quotannis duo curricula iniri solent liberalium artium; atque vnumquodque curriculum quadriennium durat. Præceptores duo vtriusque cursus biennio primo quotidie quinquies in gymnasia ingrediuntur. De Theologicis prælectionibus reliquas æstimate, quæ in singulos dies sex numerantur. Atque cum prælectiones Rhetoricæ quatuor commemorentur, & à singulis explicatæ præceptoribus singulæ: quid vnamquamque facultatem hoc in genere, disciplinamq; persequar?

Universidad de Deusto
Biblioteca

RENVNTIATIO DOCTORVM.

VNum non omittam, quod ad horo es licentiatorum (sic illos vulgus appellat) & ad lauream doctorum spectat, quæ dissimili reliquarum Academiarũ more, maximaq; differentia mandatur: & ob eã causam toto terrarũ orbe renuntiationes Cõplutenses pluã atiris habẽtur In reliquis Academiis post periculũ examinis cõmune, si suffragiis doctorum approbatus fueris, lauream honorificam accipies æquandam tamen honore, & gloria sua cum Complutensi gradu: vbi non vnus duntaxat bacchalaureus, sed multi de loco superiore contendunt inter se: & dum quisque æqualibus, & loci celebritate consequuti, superior esse contendit, dici non potest, quantos illi bacchalaurei labores suscipiant, quas exorbeant difficultates, quantis se frangant vigiliis, sæpe in medio cursu, antequam honores laureæ consequuntur, fracti, confectiq; laboribus intereunt. Nam cum examinandi sint & honoribus afficiendi facultatis suæ, ne condiscipulis aliis inferiores sint, ne in mediam coniiciantur turbam, neque sint ex vltimis, vt primum locum deferant, aut secundum, aut saltem renuntientur inter principes, qui laurea decorantur Licentiati, qui ad nouem vsque, aut decem in renuntiationibus numerantur, cum amplius sæpe octoginta lauream accepturi sint: cum suorum ingeniorum & studiorum publice ratio reddatur, & agatur honos illorum, agatur gloria non minus, & existimatio in posterum ad reliquum studiorum cursum, ad contendendos honores sæculi, ad Ecclesiæ sacerdotia cõsequenda: non libros solum & codices legendo, versandoque, sed seipsos in Phisicis, in metaphsicis, in Philosophia, in libris conterunt, & exhauriunt valetudinem: cum in examinis discrimen adducendi sint, & mori malint, quam vllum dedecus & ignominiam reportare cum etiam condiscipulis vnusquisq; antecellere omni ratione contendat. Deliguntur igitur Iudices, qui examinatores dicuntur, optimi & præstantissimi de Academia magistri, doctoresque, qui parati præmeditatique veniunt ad rogandum, & ad argumentandum, qui tam subtiliter & acute queunt, tanta vi respondentibus instant, acrius vrgent atque premunt, vt ex concessis ad absurda, & repugnantia compellere bacchalaureos detrudereque contendant: vt nihil sibi prius videatur esse, nec quod magis contendant & enitantur; quam respondentes bacchalaureos in angustias maximas adducere, quam responsa coarguere, quam palam

palam & manifeste, si possent, cõuincere, & ab eo prorsus abducere, quod concesserunt, aut negauerunt. Sed bacchalaurei versare ingenium in omnes partes, huc illucque mentem accurate flectere, hæc concedere, illa negare alia distinguere scienter, eisdem vestigiis insistentes in proposita permanere sententia, eamque tamquam rationi consentaneam, & Aristoteli probatam & ab aliis philosophis acceptam, & suorum auctoritate magistrorum, confirmatam tueri, laudare id temporis omnes ingenium, acumen in cœlum tollere, vim celebrare refutandi, dignos prædicare spectatores, quibus sine controuersia prima deferantur.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE.

HÆc si in dialecticorum & metaphisicorum disputationibus tam præclare præstantur, in Theologorum concertationibus, quæ plus habent admirationis, & qui propugnatores sunt & oppugnatores plus etiam ætatis & progressionum in sacra Theologia habuerunt, quorum oppugnatores sunt exquisiti de Academia præceptores, doctores ipsi atq; professores primarii sacræ Theologiæ, lumina & ornamenta sapientiæ, quanto maiorem illi vim & contentionem adhibebunt? quanto acriora difficilioraq; ponent argumenta? quanto magis conabuntur vrgere? Nihil ibi loci est subterfugiẽdi difficultates; summo iure & ad viuum omnia resecantur. Propono mihi inter alias Theologię disputationes omniũ celeberrimas (quas Complutenses Alfonsinas appellant) quæ vnius diei spatium præoccupant, nunquam puncto temporis à Gymnasio discedente propugnatore, neque interquiescente, nisi horam vnam ad summum ex duodecim, & amplius nullam: quoniam actus si verno tempore concelebrantur, quibus dies longiores sunt; nonne, cum Gymnasium hædera, aut herbis aliis conuestitum sit, & aliquot interuallis interiecta hieroglyphica, & emblemata, versus multi papyris elegantissimis, & grandioribus literis, vt ab omnibus possint de suis stationibus prælegi, exarati de laude propugnatoris, de celebritate Academiæ, qui præses est de suggesto præsidet? nõ propugnator in sella sedet in inferiore loco proximo suggesto, & reliquis, qui in suis renuntiationibus numerãtur magistris? Oppugnatores suas sedes occupãt pro antiquitate venerabundi, suspiciundique patres, robora & firmamẽta Academiæ; in quib⁹ maxime cõsueuit iactare se sacra Theologia illustri

tantorum progressionum scientia, telis argumentorum fortissimis, & acerrimis iaciendis, eorumque rationibus, negationibus etiam, & concessionibus appositissimis. Quemadmodum oppugnatores vnum, & alterum ad labefactandas propugnatoris responsiones obiiciunt & opponunt, vt id totum euertatur progressione antecessionum, & consecutionum, quas aiebat aut negabat, aut distinguebat propugnator, & nullo semper incommodo eorum, quæ sacræ Theologiæ consentanea, & ex libris SS. patrum, ex decretis conciliorum ex Iesu Christi, & sacrarum literarum doctrina præcepta sunt, & exhausta? Sed ago iam propositũ argumentationis, ipsam dico propositionem, assumptionem etiam, atque complexionem, & partes singulas intueamur: videbimus ab argumentorum initio quæstionem discussam & agitatam, susceptas oppugnandi propugnandique magnas partes atq; difficiles, in omni denique conflictu sic vtrunque se gessisse magnifice; vt ille manus respondendi sustinuerit, egregie doctoribus satisfecerit, cumulatè fallaces argumentationes detegendo, celeriter declinando, infringendoque facillime: ne quidquam efficeretur ex his, quæ probare contendebat aduersarius, atque concludere. Atque ita præuidisse consequentia, reiecisse repugnantia, antecessiones & progressiones non oblitum propugnatorem constat, vt per omnem argumentationis decursum magna laus ei tributa, plausus datus non vulgaris fuerit ab spectatoribus, & dignus ab eisdem iudicatus, qui inter viginti viros doctissimos primũ in honorum renuntiatione locum consequeretur. Atque hoc minime mirum videri debet legentibus exercitationem nostram, qui nouerint tam præclarè constitutam Academiam hanc, tam optimus legibus atque institutis temperatam. Ex hac enim in omni scientiarum genere prestantissimi doctores tanquam ex equo Troiano prodierunt; qui Ecclesias omnes Hispaniarum, atque adeo Pontificum sedes sua sapientia compleuerunt & illustrarunt. Hinc oratores summi, & singulares, qui Periclis similes orando tonuerunt & fulgurarunt. Hinc præstantes Aristotelis interpretes, magistri Philosophiæ prestantissimi. Hinc Abbates multi, multi Iasones, & Innocentii, multi Baldi, Bartoli, & iurisconsulti celebres Hispaniarum, & insignes. Hinc Galeni, & Hypocrates plurimi, Regum Hispaniæ Medici Protomedicique celebrati. Hinc decora & ornamenta Theologiæ prodierunt, tot patres amplissimi, imagines & simulachra sacrorum patrum expressa: quibus cum aliæ Ecclesiæ, cum omnes Christianorum

rum sedes, tum Ecclesia iusto, pastorique sanctissimis martyribus sacra, tam insigniter decorata, tantum habet dignitatis atque splendoris; quantum nullæ aliæ de ditionibus Christianorum imperiorum omnibus consequentur vnquam: cum illæ quamquam de nobilitate, de virtute, non tamen de virtute magis, & de sapientia gloriari possint, quam Academia Complutensis: quæ plena magistris, plena doctoribus, decorata est & illustrata doctissimis sapientissimisq;. Istud enim inter alia, qui sacerdotiorum huiusce Ecclesię reditus reliquit Cardinalis Ximenius, sanxit atq; stabiliuit, quod nulla posterorum ætate mutaretur, nec violaretur vnquam: vt ad istius Ecclesiæ canonicatus doctores, ad portionem quamlibet magistri Philosophiæ pro antiquitate vocarentur. Atque hi viri tot ferè magistri, tot pœne doctores, cum ex Academiæ disciplina prodierint, tam præstantes & admirabiles; tum non pares insignes sunt, qui in collegiis tantæ Academiæ alti institutique fuerunt: fuerunt enim maximo alia plurima, quæ dicuntur minora, subiecta collegia, duo Grammaticorum, quatuor Dialecticæ & Philosophiæ nauantium operam. Duo alia sunt, vnum collegarum trilinguium, qui in literis Latinis, Græcis & Hebraicis per aliquot annos suum studium & laborem ponunt; alterum & Theologorum, à quo gradus à plurimis factus est ad maximum: in quo collegio permixti Theologis aluntur Medici. Vnum quod regium est, & si quod aliud fuerit, a conditore Cardinali Ximenio exstructum non est. Quare sit in æterna gloria conditor Academiæ tantæ Franciscus Ximenius Ecclesiæ Toletanæ Archiepiscopus, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis amplissimis: qui tantam literarum officinam, domicilium veræ sapientiæ florentissimum, fortunatissimam & pulcerrimam doctorum hominum altricem, parentemque fundauit hanc Complutensem Academiam.

BIBLIOTHECA COMPLVTENSIS.

NOn oblitus fui Bibliothecam Complutensem mirificam atque singularem Bibliis, quæ in illa continentur, toto terrarum orbe celebratam: quæ omnis generis librorum refertissima est. Hanc Cardinalis Ximenius magnis impensis, Latinis, Græcis, Hebraicis, Historicis, & ad Dialecticam & ad Philosophiam pertinentibus libris inferfit, auxit plurimis iurisconsultorum voluminibus & scriptis medicorum omnium, atque ipsis monumentis sacræ Theolo-

giæ illustrauit mirum in modum, Bibliis præsertim ad Græcam & Hebraicam fidem restitutis per doctissimos & vtriusque linguæ peritissimos ex diuersis terrarum partibus sumptibus maximis & intolerandis accersitos huius Academiæ solum illustrandæ causa. Atque hæc Bibliotheca aucta magis, & locupletata omnis generis varietate librorum, & cuiuscunque facultatis, atque disciplinæ auctorum visitur, & ab omnibus magis magisque celebratur. Libri sub pluteis, foruliſque continentur non soluti, ne de pluteis in terram decidere aut ex manibus delabi possint scholasticorum sed vincti suisque astricti catenulis, vt minus detrimenti capiant, cum tot conterantur manibus, & ab hinc tam multos annos in eodem inhærentes loco. Patet Bibliotheca duas horas matutino tempore & totidem vespertino: si cui prælegendi auctoris auiditas alicuius, aut difficultatis inuestigandæ necessitas fuerit allata. Et quamquam longissima latissimaque sit, numquam tamen propter fenestratum amplitudinem ipsius luce diei caret ad legendum, & ad describendum, si collibitum fuerit aut necessarium cuiquam tempus vsque claudendi portas ipsas in Bibliotheca permanere. Atque hæc satis fuerit nos mandasse literis de Academia Complutensi, pro celeritate, qua festinamus ad exercitationis exitum.

CAP. III.

DE REGIA BIBLIOTHECA ET MONASTERIO HIERONYMIANORVM Sodalium ad S. Laurentium Escuriaci.

IOAN. MARIANA SOCIETATIS IESV
Lib. III. de Rege & Regis Institutione
Cap. X.

IAVDEM ædificandi nostra ætate Philippus secundus Hispaniæ Rex maximus habeat necesse est, tum ob alia tota in prouincia ædificia, arces, villas superbo structuræ genere, sed præsertim insana atque regia substructione eius templi, quod à Laurentio Martyre nomen habet. Cuius si formam, spatia, partes explicarem, operæ pre-

ræ pretium me facturum putabam. In parte Segobiensis agri, qua se Carpetanis finibus late infert, pagus antea ignobilis, nunc celeberrimus fama situs est, Scorialis ex eo nomine, quod iis locis ferrariam, quales in Hispania vbique occurrunt, antiquis temporibus extitisse quidam suspicantur. Priora eius pagi ædificia rudi opere & male materiatæ erant, nulla elegantia: vt solent Agricolæ incuriosi ædificandi esse, vtilitati magis seruire quam decori. Solum circum sterile ac multo impeditũ lapide, vix vt currui sit peruiũ, vnde malignior prouẽtus existunt frumenti, vinique prioris aliquanto, maior copia propter pabuli opportunitatem æstiuo maxime tempore, præcipuam aeris temperiem, cum interior prouincia solis ardoribus torreatur. Præterea ex vicinis montibus perpetua niue rigẽtibus, auræ suauissime frequenter spirant, aquæ copiosæ deriuãtur, magnum incolis momentum, agrisque, vt grata oculis niteant viriditate. Supra cum pagum ad occasum mille circiter passus, atque ad radices ardui montis in reducta valle, loco non omnino plano, ingens moles, ac cui nulla veterum miracula comparentur, imposita est Laurentii Martyris nomine, cultuque religiosa, magnis cæmẽtis ad culmen vsque perducta, quattuor & viginti circiter annorum spatio incredibili sumptu & vix fidem facturo, si ad numerum impensa referatur. Præter variam supellectilem, vestẽ pretiosam omnifariam, vasa auro & argento grauia, plena artis, plena ingenii, supra millies ducẽties sestertiũ, hoc est, milliones tres, insumptũ atq; in rationes relatum fama fert. In quadrum vniuersa fabrica descripta est, nisi qua parte ad ortum regiæ pars eminet, craticulæ cui Laurentius est impositus, ad reddendam similitudinem artificioso cõmento nobilis architecti. Longitudine à meridie ad septentrionẽ septingentos viginti pedes porrigitur, ab ortu ad occasum quingentos septuaginta mensura vulgari, quattuor turres ad totidem cæli plagas angulos muniunt, ornantq; specie eleganti magis quã minaci, ab imo ad culmen fenestris pertusæ, pluribus fortassis ęquo, hoc aliis etiã partibus cõtingit. Nimirũ artis id præcepta exigũt: nos inepti æstimatores & rudes ex oculis modo de tãti operis elegãtia iudicam⁹. In tres partes vniuersum opus tribuitur, cœnobiũ monachorũ & Hieronymiano ordine, cui⁹ spatiis dudum fere vniuersæ fabricæ ad Austrũ cõprehẽditur. Ad septentrionẽ musæũ est, tũ iuniorũ eius ordinis Monachorũ, tum externorũ puerorũ, qui regiis sumptib. delectuq;, cõmuni mensa haud pro leui beneficio viuũt, eruditioni destinatũ. Succedit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad ortum regia ſpatiis ampla, Principis eſtiuo tempore domicilium. Templum his ædificiis omni ex parte circumuentum ſurgit ex media area ſuperbo ſtructuræ genere, fornicato opere auguſtum, ſublimius ceteris. Medio ſecundum lõgitudinem ſpatio, qua mons coniunctus erigitur, ianua pro modo operis inter octo ingẽtes quidem ſed ſtructiles columnas pãditur: quibus minores quattuor columnę ſunt impoſitæ, Laurentiique Martyris ex lapide effigies medio intetuallo arguta artificis manu perfecta. Ex vtroque latere ſingulæ minores ianuæ in ea fronte eleganti & ipſę operæ cernuntur, vſibus tum cœnobii, tam litterarii collegii ſeruientes: tametſi præcipuus & communis ad vtroſque aditus alia parte eſt. Ianuæ præcipuæ veſtibulum iungitur quamuis magnam turbã accipere & reddere idoneum. Veſtibulo bibliotheca impoſita, maiori longitudine omnino pedum centum octoginta quinq;, lata pedes triginta duos, libros ſeruat præſertim Græcos manuſcriptos, præcipue pleroſque vetuſtatis: qui ex omnibus Europæ partibus ad famam noui operis magno numero confluxerunt: auro pretioſiores theſauri, digni, quorum euoluendorum maior eruditis hominibus facultas contingeret. Quod enim ex captiuis & maieſtate reuinctis litteris emolumentum? Bibliothecæ parietes elegantes picturæ exornant, artes ingenuas artificioſe exprimentes, cum antiquis comparandæ. Succedit compluuium pedes ducentos triginta extenſum, latum centum circiter triginta, nullis diſtinctum columnis, nullis eminentibus pergulis, niſi qua parte è regione veſtibuli tẽplo coniuncta porticus eſt: ad quam ſeptem gradibus aſcenditur ex compluuio, ſex columnis nihilominus in porticus fronte erectis, quibus ſex Reges inſiſtunt, præceteris Iudaicæ gentis pietate & rebus geſtis clariſſimi, pedum octodecim ſinguli: quorum capita & manus è candido marmore ſunt, corpora è lapide rudiori, ſed diligenter expolito. Sub hac porticu triplex ianua templi patet, atque ab vtriuſque lateris fronte duæ aliæ ianuæ quibus tum ad monaſterium, tum ad collegium communis aditus eſt: Præterea ad læuam minor ianua, qua in regiam eã parte penetratur. Ergo monaſterium in duas æquas partes diuiditur, prior ad Occaſum quatuor periſtyliis conſtat, quæ vſibus domeſticis deſeruiunt pari menſura: media cochlea ab imo ad ſummum pertinet turris ſpecie faſtigio eminens, multis circum feneſtris accipiendo lumine: quoniam ea parte fontes abluendis Monachorum manibus ſunt, adituſque ad triclinium multo

circum emblemate, ſed fictili ex argilla eoque minori gratia variatum, maligno lumine, quippe ex frõte tantum gemina feneſtra, neque cum reliqua operis maieſtate conſentiens (ſic nobis quidem eſt viſum.) Parte altera Monaſterii, porticibus circumdatum maius periſtylium ad Auſtrum & ortum tenditur, parietes marmorato tectos variæ picturæ exornant, Chriſti Dei res geſtas eleganter explicantes. Pauimentum vario lapide conſtratum in laqueos eo artificio diſtinctum, vt ſerendis herbis relinquantur ſpatia viridarii ad inſtar: aqua per tubas irrigua, ex medio fonte, cuius ſtructura templi octanguli ſimilitudine eſt; intus vario iaſpide veſtiti, exterius rudiori lapide, quatuor labra pari interuallo adiuncta in quæ aqua ex ſtatuis decurrit, quę circum eam molem ſunt poſitę è candido marmore quattuor Euangeliſtarum. Eæ porticus ad ducendam pompam deſeruiunt, cum è templo egreſſi monachi ianua laterali ſtatis diebus ſupplicationes propitiando numine habent. Variæ circum cœnationes, exedra ibi domeſtici monachi conuentus habent, ſed vincit elegantia & amplitudine ea, vbi ſacræ veſtes ſeruantur & vaſa, ad inſtar ærarii ſacri. Ex parte altera totius ædificii, primum collegium ad plagã Septentrionalem occurrit & ad occaſum, muſis deſtinatum domicilium: & ipſum in quattuor modica periſtylia diſtinctum? gemina Monachis, qui litteris dant operam, pueris duo alia data ſunt regio delectu & beneficio in id Collegium cooptatis. Surgit in medio Cochlea alterius ad inſtar, coniunctuſque amplus xyſtus ſuſtentatus columnis, ſuſpenſus fornicibus deambulationi deſeruiens, commentationique addiſcentium, præterea publicis diſputationibus. Regia ſupereſt gemina porta ad latus ædificii ſeptentrionali patens, ampla ſatis ſpatiis multis circum cœnationibus, variis cubiculis tum Principis habitationi, quo tempore æſtiuorum cauſa loci temperiem ſecutus, vrbanos æſtus vitat, tum in regiæ familiæ vſum. Omni ex parte porticus ſunt ſuſtentaræ columnis, impoſitæ pergulæ. Ex his quæ ad regium Conclaue pertinet, eleganti pictura exprimit pugnam, quæ Ioanne ſecundo Caſtellę Rege cum Mauris ad Cranatam comiſſa à ficu nomen habet, ex linteo ampliſſimo forte in turri arcis Segobiẽſis reperto: quo arguta pictoris manu tendentium ordo, caſtrorum loca, inſolentes eius æratis veſtes & arma exprimuntur, grata nobiliſſimæ victoriæ poſteritati memoria. In intima regia pone templum, ac qua parte ædificium eminere ad ortum diximus, gynæceum eſt à virorum oculis ſub-

ductum, Regisque ipsius penitioria cubicula. Reliquum templum in medio opere medioque spatio eminet, & ipsum quadrata forma in tres partes descriptum, quæ columnis ex ordine fulciuntur testudine imposita. Duo priores eius molis anguli totidem turribus muniuntur, quæ nigro tectæ lapide sunt, medium fastigium testudinis turris tertiæ ad instar, candido lapide nitet, gratum oculis spectaculum, præsertim è vicino monte. Additur quadratę areę ipse aditus templi spatium inter primas duas turres, cui odeum est impositum, vbi monachi noctu atque per diem frequentes cantu diuinas laudes celebrant insigni apparatu & cæremonia: vt est ea natio hominum prę ceteris in eo genere diligens & attenta. Sedes è vario ligno, Hebeno, Hacana, Buxo, Carba, Cedro, Nuce, Terebintho, sunt factæ eleganter colorum iucundâ varietate nigri, rubri, candidi, vndantisque flaui. In summa odei fornice beatorum ordines & gaudia, & sedes elegantissime sunt depictæ, & ipsæ grata admiratione intuentium oculos aptæ detinere. Adduntur quadrato duæ viæ ab vtroque latere ad eas ianuas desinentes, quibus ex Monasterii amplo peristylio atque ex regia aditus est, libera ex omnibus partibus commeandi facultate. E regione præcipuæ ianuæ sacellum maximum araque præcipua obiicitur: quibus perficiendis videatur ars cum natura certasse, seipsam vicisse. Ad aram vario lapide rubro & viridi structam octodecim gradibus ascenditur nihilominus: quibus infimis Regum busta sunt, superius parui recessis quattuor, rubro iaspide vestiti vario pauimento: vnde Princeps sacris operatur sine principali apparatu, nullo regiæ cortinæ, vti moris est, antistite. Totius templi pauimentum ac sacelli præcipue tessellato opere lapides, vario colore atque in laqueos elegantur dispositi exornant. Quod præcipuum & maximum operis miraculum, & maiori esset eloquentia explicandum, ne tenuitate ingenii perderet gratiam, suggestus imaginum aræ impositus, columnis octodecim haud exiguis continetur, è rubro seu fuluo lapide, venis candidis, notis flauis, quæ columnæ in quatuor ordines dispositæ in hunc modum sunt: senæ columnæ in primo & secundo ordine cernuntur, in tertio quattuor: in summo fastigio Christi Dei cruci affixi effigiem duæ columnæ complectuntur. Ex eadem materia viridique lapide recessus & scaphæ accipiendis statuis: triglyphi, proiecturæ, teniæ, meropæque sunt suis singulæ locis aptæ in speciem frontis elegantis

elegantis ædificii omnibus numeris seruatis. Media spatia æreæ Diuorum statuæ auro inductæ, aut elegantissimæ tabulæ implent. Atque in imo opere geminum sacrarium templi ad instar fornicati alterum in altero, vbi Christi corpus in achate includitur, Iacobi Trezzi Hali nobilissimi statuarii atque cum antiquis comparandi marmora dolandi scientia, opus præclarum. De quo plura dicere religio prohibet, ne elegantiam artificii culpa ingenii deterare videamur. Sed maius tamen sacrarium rotunda forma altitudine pedum sedecim, varii iaspides deaurato ære vincti constituunt: ambiunt octo columnæ ex fuluo lapide, venis albis, notis rubris distinctæ, adamante ob duritiem dolatæ, duodecim, æreæ Apostolorum statuæ apto ordine auro inductæ In summo fastigio globi forma iaspis collucet sempedali fere magnitudine. Minus sacrarium iaspis item sed auro & argento incluſus componit, Smaragdus distinguit, atque in culmine eminet nunquam par, claudit fornicem topacius, vincitur tamen materiæ nobilitas & pretium ceditque arti, vtriusque tabernaculi ianua è christallo est, interiorem etiam artem & elegantiam oculis repræsentans. Multa circum altaria, omnino ad octo & triginta cœlestium nominibus erecta tabulis conspicua excellentium artificum illustria monimenta ex Hispania, Gallia atque Italia, nostræ & prioris ætatis. Quod caput est cœlestium exuuiis, quæ ex omnibus locis eo quasi ad præsidium confugerunt incredibili numero & sanctitate, religione plenus locus: plenus numine est. Philippi Regis pietatem omnibus seculis prædicandam ostendit. Iis exuuiis cineribusque cultu religioso conseruandis, gemina sacraria sunt destinata, duorum laterum templi vtramque caput: sed finis dicendi esto. Vniuersum opus ex quadrato lapide est, simplici tamen atque rudi maiori ex parte ad minuendum sumptum, festinandam fabricam prudenter excogitata ratio, tribus fere coenaculis sublatum, plumbo & nigro lapide tectum. Ad Austrum & ortum viridario cingitur herbis odoratis atque floribus, in ordinem apta mensura dispositis areis: sub quo maiora spatia serendis arboribus. perpetuus murus & humilior includit. Ad occasum atque septentrionem platea ambit constrata lapide haud angusta, nimirum ad septentrionē centum quadraginta pedes latitudine patet, ad occasum qua præcipuus aditus panditur, ptor-

sus ducentos mensura vulgari. Multa alia ædificia adiuncta sunt in iusti oppidi modum, de quibus dicere nihil attinet. Sed vnde tamen ad veterem pagum via molliter decliuis ducit, ab vtroque latere vlmorum duplici ordine consita, qui prohibeant solis radios per æstatem, ad maiorem commeandi facultatem vtrinque in alterum partem.

IOAN. PABT. CARDONÆ EPISCOPI DERTOSANI.

DE BIBLIOTHECA REGIA S. LAVRENTII in Hispania Consilium.

QVAMQVAM non nego, Bibliothecam, præsertim Regiam, & multitudine, & varietate librorum nobilem esse oportere: debet tamen illa bonitate eorundem, & raritate aliis omnibus præstare. itaque illam maxime librorum Hebræorum, Græcorum, & Latinorum vetustas commendabit. sed & aliarum omnium linguarum libri in eam recipientur tam papyro, quam charta, & membrana, quaue alia in materia descripti.

Cum autem constet ex veterum auctorum, qui supersunt lectione, alios præterea innumerabiles scripsisse quorum libri intercidisse creduntur, nota habere eorum nomina oportet: vt si quid eorum ad bibliothecæ præfectum perferetur, minime negligatur.

Neque vero ii tantum libri colligi debent, qui numquam antea sint impressi; sed & qui iam excusi sunt, si quæ sint eorũ exempla vetustiora, præsertim manuscripta. Accidere enim sæpe videmus, & magno reip. litterariæ incommodo experimur, vt inter imprimendum quædam vel omittantur, vel addantur, vel in peius mutentur, librariorum vel incuria, vel audacia, vel malitia, & animi peruersitate. Hæc igitur peccata librariorum, & fraudes diligenti veterum librorum collatione deprehendentur, & loco, quem male occuparant, pellentur & suus illis nitor, sua mens restituetur. Quod nuper factum esse in scriptis D. Hieronymi videmus Mariani Victorii opera, & diligentia; cui sanctæ memoriæ Pius V. Pont. Max. eam prouinciam

uinciam mandarat. Similem quoque operam Iacobus Pamelius in Tertulliani, & Cypriani libris nauauit: sed alii plerique auctores sacri, & profani hac potissimum ratione adhibita quotidie emendantur. Et certe non est certior alia ratio emendandi. Quod ego quoq; experiri volui in SS. Hilarii, & Leonis Papę operibus, quorum octingentos amplius locos restitui in pristinum nitorem, & dignitatem. Quanta autem hinc vtilitas ad omne genus litterarũ emanet, quamque vberes fructus inde capiantur, neminem ignorare arbitror, qui aliquem habeat gustum doctrinæ elegantioris: quæ contra ea vna re neglecta detrimenta litteris importentur, nemini debet esse obscurum. nam si in contractibus ciuilibus vnius nominis suppositio rationes priuatorum ita perturbat, quid in studiis litterarum fiet, si non librorum deprauationi occurratur? Si Hippocratis, si Galeni scripta ad medici manus veniant inemendata, & exempli caussa, in locum vnius drachmæ venerint plures, librarii errore, quove alio casu: periculum certe erit, ne medicus imperitior pro vna plures iubeat sumi drachmas, & præscribat; atque ita ægrotum è medio tollat. quid autem si in iure ciuili, si in Pontificio, si denique in libris diuinis idem cõmittatur? certe remp. omnem, & religionem turbari erit necesse: præsertim cum hæretici id vnum moliantur, & sua quotidie somnia typis mandent, confundantque ea, & inculcent libris veterum auctorum, & sanctissimorum; quo & nobis ea fraude, & posteris imponant. Quæ mala vt ne accidant in posterum, aut vt iam late serpentibus medeatur, est valde prouidendum, ab eo præsertim Rege, cui & iure optimo, & omnium consensu Catholici nomen defertur.

Iam vero librorum non pretium idem, & æstimatio erit. certe enim quem auctor sua manu scripserit, omnibus aliis est præferendus. quo etiam loco habendus is, quem non auctor quidem scripsit, verum scriptum tamen ab alio ipse emendauit. Secundo loco erunt illius exemplа. & sic deinceps vel pluris, vel minoris æstimabuntur pro temporis prærogatiua. Neq; vero ideo velim reiici alios omnes à Bibliothecæ Regiæ præfecto. nam & multos libros videmus manu quidem recenti descriptos, multo tamen aliis puriores, & integriores: quod sint exempla priorum, & probatissimorũ, vnde quasi è fontibus emanarint. pateat his igitur etiam aditus, sintq; vnius libri exempla plurima. Iam vt verum sit (vt certe est) libros describendo deprauari; illud tamen negari non potest, pleriſq; in locis veram

scripturam retineri, aut certe vestigia quædam illius adumbrari. quo fit, vt cum antiquiores sint pluribus locis meliores, tamen alicubi male affecti cum sint, recentiorum ope sæpe adiuuantur: præsertim si quæ eorum litteræ obsoleuerunt, vt nisi lumine hinc accenso perpetuis tenebris damnentur.

In libris manuscriptis, qui recipientur, antequam in Bibliothecæ vincula coniiciantur, additis principio eorum aliquot paginis, curabit Bibliothecæ præfectus, vt nomen auctoris, si de eo constabit, adscribitur grandioribus, & elegantioribus litteris Græcis, si Græci erunt; Latinis, si Latini: præterea argumentum, de quo agitur; quæ sæpe in manuscriptis desiderantur. Vtile etiam erit, lectorem admonere, si quid in volumine aut desit, aut supersit, loco diligenter notato. Quod si volumine eodem diuersorum auctorum libri erunt, id quoque animaduertetur: etiam si integri non sint, sed particula quædam eorum. Idem etiam obseruabitur, si eiusdem auctoris diuersa opera eodem volumine continebuntur. Neque id fieri negligenter oportet, quasi parum referat, paginæ vnius mentionem non feciſſe, cum paucorum etiam versuum, atque adeo verborum animaduersione vberes sæpe fructus percipiantur: atque id nonnumquam intelligatur, quod in magnificis, & ingentibus aliorum voluminibus est nequidquam quæsitum.

Iam vero intellecto animo Regis librorum colligendorum, & studio honestissimo reip. litterariæ iuuandæ, Principes multi & Hispani, & exteri, multique etiam homines eruditi glorioſum putabunt, libros rariores, quos nacti fuerint, ad regem mittere quibus libris folia quædam præponentur, in quibus epistolæ describantur ad Regem missæ: vnde intelligi possit librorum raritas, auctor, vnde sit, è qua regione, & Bibliotheca. Quoniam autem fieri poterit, id quod legimus Ptolemæo Regi accidisse, vt gratiæ Regiæ magis aucupandæ causſa homines mentiantur, & falso inscribant nobilissimis auctoribus, quæ sunt aliorum; de ea quoque re iudicabitur à Bibliothecario adhibitis eruditis.

Ad codicum autem quod attinet vetustatem certius deprehendendam ratio hæc poterit iniri: mandabitur prouincia studioso cuipiam, & antiquario, qui assidua membranarum, codicum, lapidum & nummorum veterum lectione & inspectione notatas habeat varias litterarum formas, pro temporum varietate, & vsu earum dissimili: quique possit ætatem coniicere prudenter. is librum conficiet eiusmodi characterum in ætates distinctum diligenter, & cuique ætati suos tribuet characteres: vt horum comparatione facta facilius in Bibliotheca de cuiusque codicis ætate certius possit iudicari. sed & significationes litterarum & singularum, & complexarum eo in libro adscribentur: item notæ ponderum, & numerorum. idque non Latine modo, verum etiam Græce, proque aliarum linguarum varietate. Qui etiam labor magnum afferet adiumentum legendis veter. monumentis. Quamquam hanc certe prouinciam non vni, sed pluribus mandari velim.

Quoniam autem sunt homines quidam in Hispania eruditissimi in studiis literarum assidue occupati, quiq; aliquid semper vel commentantur, vel scribunt; neque tamen commentationes suas, aut scriptiones vmquam edant, quod vel eas poliendo superbissimo aurium iudicio nunquam satisfaciant; vel pudore quodam, & modestia impediti quamquam probent, domi tamen contineant: vel, vt nihil horum impediat, non sunt iis facultatibus, quæ possint sufficere sumptibus librorum imprimendor. horum igitur vigiliæ, & lucubrationes ne pereant, valde est prouidẽdum, & curandum, vt in Regiam Bibliothecam comportentur. Certe multa latere in angulis scimus, in quibus sunt Martini Aialæ Archiepiscopi Valentini, Antonii Augustini, Archiepiscopi Tarracon. Didaci Couarruuiæ Episcopi Segobiensis, Michaelis Thomasii Episcopi Ilerdensis, Petri Ciaconis, Aluari Gomezii, Alfonsi Salmeronis, Achillis Statii, Sepuluedæ, Zuritæ: sed & eorum qui nunc viuunt, Bened. Ariæ Montani, Petri Iohannis Nunnesii, Io. Baptistæ Perezii, Io. Bap. Monlorii, & aliorum, quorum corpora non tam cibis, quam studiis animi aluntur.

Mire autem & ad studia prouehenda, & ad illustrandam Bibliothecam conducet, si descriptionibus ea multis, variisque ornabitur: quar. aliæ sint rerum cælestium, aliæ ventor. aliæ orbis terrarum, aliæ prouinciarum, aliæ vrbium, & oppidor. aliæ insularum, aliæ nauigationum: præterea quædam vasorum. quædam vestium, quædam machinarum, quædam armorum, aliarumque rerum, & instrumentorum. erit autem in primis Hispania coloribus variis elegantissime descripta. sed & Romæ antiquæ, & Hierosolymorum fuæ erunt descriptiones.

Neque vero alienum est à Bibliotheca præsertim Regia, vt doctorum hominum imagines in ea collocentur, Hispanorum præci-

pue, qui olim floruerunt. Quoniam autem ea nō Regis cuiusuis est, sed Philippi nationum omnium consensu Catholici, principem sibi in ea locum vindicabunt Hispanorum eorum imagines, qui sunt insignes litteris, & sanctitate.

Habeat præterea Regia Bibliotheca varia genera globorum tam cælestium, quam terrestrium, & omnia Mathematica instrumenta, & sphæras tam communes, quam quæ confectæ sint ad Græcorum normam: neque in iis desit Aratea ad Arati Phænomena intelligenda vtilis, & necessaria. Sint quoque clepsydræ, & alia genera horologiorū minus vulgaria in Bibliothecæ atria diuisa, & distributa. quorum quidem nobilius sit primo in atrio vsui toti Bibliothecæ futurum.

Quoniam autem numismata, & lapides antiqui ad historiam, Cosmographiam, & emendatam scribendi rationem magnam afferunt vtilitatem, iis quoque colligendis opera dabitur, vt in atrio Bibliothecæ claro, & illustri collocentur. Poterunt autem lapides intra atrii parietes ipsos locari, vt sint parietum partes. ita enim neque erunt impedimento, neque tam temporum iniuriæ obnoxii: multoque magis erunt vsui, & commoditati. Veteribus autem nummis armaria fabricari eodem in atrio oportet: & claues eorum, & custodia antiquario earum rerum intelligenti commiti. qua re fieret, vt multi eius generis multa ad Bibliothecam comportarent ex tota Hispania: atque ita paullatim quidquid est in ea antiquitatis, in Bibliothecam Regiam quasi in litterarum & antiquitatis emporium confluerit.

De situ autem, & forma quæ conuenit Bibliothecæ, multos scripsisse puto: itaque scribere de iis supersedebo. neque solum ob hanc causſam, sed ideo quoque, quo S. Laurentii ædem lustrarim numquam, ac ne viderim quidem. neque enim placet scribi ea, quę sint minus explorata, præsertim ad Regem. Verum illud tamen cogitandum puto, coniungine plane debeat cum æde S. Laurentii Bibliotheca, an seiungi, ac seorsum ædificari.

Porro quod ad librorum ordinem spectat, & dispositionem, mihi quidem videtur talem esse oportere, vt non doctrinæ cōfundantur, & inter se permisceantur: sed rerum quę tractentur habita ratione, ad idem argumentum, qui pertineant libri congregentur; vt vno quidem loco sint Medici, alio Mathematici, alio Theologi, alio qui ad studia referuntur ea, quę humaniora appellantur. Iam qui ad eandem artem, scientiamve pertinebunt, ita præterea distinguentur, vt principes quasi familiam ducant, interpretes sequantur. Exempli causſa, in Medicina præferetur Hippocrates sua ipsius lingua: excipient illum Græci eius interpretes temporum ordine seruato. Neque vero illud displiceret, vt Græcis Latini supponerentur ordine inferiori ad studiosorum laborem leuandum. velim enim Bibliothecam linguis ita distinctam esse, vt ea distinctio nullam exhibeat molestiam studiosis: quod in Regia fieri commode poterit in tanta copia librorum. quid enim prohibet, in ea Bibliothecæ parte, quæ Latinis libris assignetur, Hippocrates esse aliquot Latinos; vbi autem Græci seruentur, Hippocrates Græcos aliquot, & totidem Latinos in ordine inferiore? Sic quoque in Theologia Bibliis dabitur primus locus: quis autem in Bibliotheca Regia eum locum inuideat Regiis? itaque exemplum Bibliorum Antuerpiense Regiæ Typographiæ in Regia Bibliotheca iure primum locum tenebit membranis impressum: postea sequentur commentarii eorum, qui temporibus Apostolorum fuere propinquiores: tertio loco erunt ii, qui præcepta posteris intelligentiam sacrarum litterarum tradiderunt; qui genera locutionum sacrarum obseruarunt, & linguarum proprietates, & alia generis eiusdem: vt est apparatus Ben. Ariæ Montani. quarto loco ponentur, qui historiam ecclesiasticam conscripserunt: quinto autem ii, qui aduersus hæreticos disputarunt: deinde concilia omnis generis, siue generalia ea sint, siue propria nationum, siue prouinciæ vnius, siue quæ synodorum nomine proprie intelliguntur. hæc scholastici auctores consequentur. scholasticos proxime sequentur ii libri, qui cærimonias, & ecclesiæ ritus obseruent. neq; vero omittentur ii, qui sanctorum res gestas, & vitas perscripserunt.

Neque vero illud omittendum, atria quædam esse debere in interiore Bibliotheca, intra quorum parietes armaria sint spatiosa, vbi libri magni pretii repositi diligentissime, litteris vetustate euanescentibus, ne adsidua contrectatione deterantur, planeq; intercidant. sed & serica quidem interponi vtile erit, ne sese paginę contingant, & conterant contactu.

Vbi etiam custoditi ea oportebit quæcumque iurisdictionem, & ius Hispanum complectentur: seu sint ea Hispaniæ totius communia, seu prouinciæ, & partis propria alicuius. sed & Pontificum priuilegia hic concludentur. Quæ quidem omnia non patebunt cu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuis; sed iis, quibus permiserit Bibliothecæ præfectus. quod Romæ fieri vidimus in Vaticana.

In primo autem atrio Bibliothecæ, quod erit populare, & frequentius, loco oportuniore, & editiore mensa cum scamnis erit, quæ commode capere possit quattuor scriptores: & ante virgæ quædam ferreæ transuersæ; quarum neque crassitudo, neque multitudo esse possit impedimento iis, qui erunt in atrio. oportet enim eos, qui describent, expositos esse, & patere omnium oculis. quibus etiam conueniet custodem aliquem assidere, ne qua fraus fiat, neve libris contrectatione damnum aliquod importetur.

Quod quidem caput postulat etiam illud, quod est summe, diligentissimeque cauendum: vt scilicet nemini vlla ex caussa copia fiat, extra Bibliothecam librum aliquem exportandi. nam si cui semel id detur, alii exemplum secuti, erũt importuni, ac molesti: sicq; ipso tempore paulatim alii idem impetrabũt; & vel à libris ipsis paginas aliquot eximent, vel ipsos etiam auertent, custode vel corrupto, vel oblito.

Atrium vnum quoque esse conuenit libris recentiorũ auctorũ recipiendis, qui adhuc viuant, aut è vita paullo ante excesserint. Et certe sunt homines honoris, & gloriæ ita appetentes, vt si quid ediderint, id in hoc atrio legi, & haberi cupiant vehementer, & reponi curent ambitiose; hinc sibi & nominis immortalitatem, & libris auctoritatem quasi augurantes. Neque vero liceat eos in alia atria transferre: & ei, qui ausit contra facere, siue auctor ipse erit, siue custos, siue alius quispiam, pœna certa constituatur. Neque vero video, cur libri huius atrii perpetuis tenebris debeant damnari, vt fit in Vaticana: pateat etiam illud studiosis habeantque auctores hoc saltem præmium suarum vigiliarum.

Esse præterea aliud atrium oportet commodissime diuisum, valdeq; instructum mensis, armariis, vbi sit copia optimi atramenti, minii, & humorum alterius coloris: item membranæ, papyri, & librariorum alia instrumenta: vt si qui libri sint compaginandi, si quid describendum antequam vetustate plane euanescat, si formæ literarum renouandæ, si quid assuendum, id fiat non ab imperitis, & temere: sed ab eruditis, & magna animi attentione, atq; adhibita, & moderatione: alioqui enim multo melius fuerit non attingi; cum vna litterula in alterius locum succedente, possit sententia auctoris in deterius commutari, atque ita corrumpi.

Siue

Siue autem scamna, quos pluteos appellant, in Bibliotheca erunt, siue armaria, habebunt suos indices librorum quicumq; in illis locati fuerint: & eos vel fixos ita, vt immobiles sint, vtpote binis cuiusq; plutei lateribus, & armariorũ singulorũ foribus adglutinatos; vel in tabellis mobilibus, & appensis diligenter notatos. & quidem malim tabellas appendi, vt si qui libri priori numero vel accedunt, vel decedũt, possint in indice, & tabella commodius vel adscribi, vel deleri.

Iam vero in primo Bibliothecæ ingressu indices quosdam esse oportet generales, Hebræos, Græcos, & Latinos, & aliarum linguarum: qui libros omnes complectantur, quicumq; in Bibliotheca Regia erunt, notato diligenter atrio, loculo, & numero cuiusque libri: aut certe librum aliquem litterarum ordine digestum, qui titulum præ se ferat librorum Regiæ, & catholicæ Bibliothecæ S. Laurentii.

Sed & alioes indices esse oportet, non, vt superiores, literarum ordine distinctos; sed rerum, quę quoque in libro tractantur, varietate. Exempli caussa, qui auctores sint in Bibliotheca, qui scripserint de sanctissima Trinitate, & quo illi loco sint, diligentissime notetur: similiterque de aliis rebus. præstat tamen librum componi ea de re, qui constet chartis pergamenis: futurum enim est, vt multorum manibus teratur. Erit autem hoc opus vtilissimum, & commodissimum etiam in primo statim ordine librorũ Bibliothecæ. neque vero tantũ totius alicuius operis mentio in eo fiet, sed & pagellæ vnius, quæ sit eiusdẽ argumenti. Oportet autem Bibliothecæ præfectum, atq; adeo custodes ipsos sæpe hunc librum versare, habereque auctorum nomina in digitis tamquam in numerato; vt hominibus eruditis responderi possit, qui, ne longo itinere frustra tempus terant, per literas prius quærent, sitne hic, an ille liber in Bibliotheca.

Neq; vero in Bibliotheca tantum sint hi indices librorum Regiorum, sed, & aliorũ qui in aliis Bibliothecis reperiuntur: vt in Veneta, Florentina, Romana quę est in Vaticano; itẽ in Regiis aliis Bibliothecis, quæ sunt vel in Gallia, vel in Vngaria Matthiæ Regis, vel alibi aliorum Regum: sed & priuatarum, propriarumque Bibliothecarum indices colligendi: vt Augustanæ, quam mercatores quidam confecerunt; Siculæ, quæ fuit Archimandritæ; & aliarũ vt Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconen. Ben. Ariæ Mon-

Universidad de Deusto Biblioteca

tani, Francisci Turriani. ex quibus omnibus indicibus componi vnum quasi corpus oportet, amplius in margine relicto: vt commodissime adnotari possit è regione, qui eorum iam sint in Bibliotheca Regia, qui desiderentur. Atque hic quidem Bibliothecarum commentarius proxime Regiæ Bibliothecæ commentarium collocabitur.

Pontificiam tamen priuatam legem impetrari oportet, qua liceat Regibus Hispaniæ habere in ea Bibliotheca eos libros, quibus est aliis omnibus interdictum vel à Pontificibus, vel ab Inquisitoribus: dum in loco publico Bibliothecæ nõ sint, sed secreto; neq; liceat eo cuiquam accedere, non prius facta potestate ab Inquisitore generali propria, & speciali.

Sanctione etiam opus est Pontificia, quæ grauissima quæq; interminetur iis, qui clam inde librum abstulerint, foliave exemerint, corruperintve data opera. accedat præterea Regia constitutio, quæ eadem de re diligentissime, seuerissimeque caueat. Quæ constitutiones in loco publico Bibliothecæ proponantur in ipso statim ingressu.

Illud præterea Regem pro maiestate sua prouidere conuenit, vt sit habitationi locus, in quem se recipiant, & commode esse possint ii, qui ad Bibliothecã se, cõferant libros veteres aut descripturi, aut cum impressis collaturi. neq; enim honestum est, virũ aliquem litteris, & doctrina excellentem cum eo venerit, tectum non habere, quo se recipiat, & vbi esse tam diu possit, quam diu descriptioni, aut emendationi operam dat assiduam. Multi quidem sunt anni ex quo Romæ Decretis Gratiani corrigendis opera nauabatur, quod mire id corruptum fuerit. ad eam autem rem missi sunt à Gregorio Pontifice Romano cum mandatis, qui inspicerent concilia quædam antiqua Bibliothecæ Regiæ S. Laurentii. neque sane ea opera vana fuit: tum quia in ea Bibliotheca concilia eiusmodi inuenta sunt, quæ nos Romæ minime habebamus; tum quia, quæ ibi erant manuscripta, visa sunt melioris notæ, & scripturæ purioris, quam quæ impressa habemus. Nunc quoque apud exteros antiqui Patres maximo studio, & opera pristinæ suæ scripturæ restituuntur: neque dubium est, quin ii, qui in hoc studio honestissimo versantur, postquam cum iis exemplaribus, quæ habent, impressos eorum auctorum libros contulerint, huc se ad Regiam Bibliothecam conferant vltimam manum laboribus suis imposituri. neque hi tantum, sed

sed & alii, qui his studiis delectabuntur, ad hanc Bibliothecam, quasi ad quoddam emporium antiquitatis, & eruditionis cõfluent: pauci illi quidem, verum præstantes doctrina viri. His igitur locus constitui debet, in quem se commode recipiant sine vlla mercede. nam quod & alia attinet victui necessaria, sua eos pecunia comparare oportet: aut ea de re pacisci cum iis, quibus domus eiusmodi curæ erunt. Atq; hos quidem inquilinos oportet esse homines non auaros, & sordidos, quique artificio quodam hospites pecunia emungant. Quoniam autem multi specie quadam virtutis, & studiorum non tam famam aucupantur, quam victum quæritant, mandabit eam curam Rex alicui: isq; eos viset, deq; laboribus eorum, studiis, & vitæ instituto cognoscet.

Dubium autem non est, quin toti Bibliothecæ præfici vnus debeat, quem *Bibliothecarium* inde appellant. eum eruditum esse oportet, & bonarum litterarum in primis studiosum, & prudentia quadam singulari in scriptis veterum cognoscendis, & inter se diiudicandis. neque sane parui referre puto, quem Rex ei muneri præficiat: solent enim hi, vt plurimum deinde præstantissimi euadere. cum enim iam antea eruditione præstent, si accedat deinde assiduitas quædam studiorum; quod necesse est in tanta librorum copia, & varietate, ac litterarum amore; incredibilem quoque fieri eruditionis accessionem erit necesse. id quod Augustino Eugubino nostra ætate accidisse scimus: qui cum multiplici iam antea eruditione esset, Vaticanæ deinde Bibliothecæ præfectura tantos in litteris progressus fecit, quantos fecisse ex scriptis illius intelligunt eruditi. sed & Gulielmus Sirletus antequam in amplissimum Cardinalium collegium cooptaretur, Bibliothecarius Apostolicus erat; eoque etiam vsque ad extremum vitæ spiritum functus est. Oportet autem eum, quem Rex suæ Bibliothecæ præficiat, in honore esse; & non in angulis, sed in luce hominum etiam versari, & ab ipso Rege præmiis ad maiora etiam excitari, præsertim honorifice functum ea præfectura. nam si is in ecclesia sua mansisset, eamque & concionando, & docendo ita iuuisset, vt non eum operæ suæ pœnitere deberet, & à Rege præterea præmium speraret; quæ caussa est, cur præsentem operam Rex ipse aspernetur, quæ sit illi nauata ab eo, qui patriam, aut ecclesiam, aut vtramque simul reliquit, vt illi inseruiret? Quod non ideo dicitur à me, quasi in mentem veniat hoc de te, Philippe, Regum, qui sunt, quique vm-

quam fuerunt, potentissime, & liberalissime, subuereri: sed quia cum hæc ad te scribantur, posteris etiam scribuntur, quamquam enim à me tenui huic operi immortalitatem non possum polliceri, libet de tuo nomine, cui hoc inscribitur, eam augurari.

Conuenit autem, vt huic Bibliothecæ præfecto custodes omnes, & alii ministri subiiciantur. Custodum partes erunt, in atriis Bibliothecæ deambulare quotquot horis studiosis ea patebit, & diligentissime cauere, ne vllum vmquam atrium sine custode sit; & inspicere eos, qui legent; multoque etiam magis illos, qui aliquid describent: ne quid damni codicibus afferatur, aut labe aliqua vitientur, aut quo alio modo fiant deteriores. Præterea curæ iis erit, Bibliothecæ fenestras aperire, & claudere pro diei, & temporis ratione, ventique & solis: quæ sunt duæ librorum pestes, si negligantur.

Et quidem patere Bibliothecam satis est tribus horis antemeridianis, nisi si industriæ, & eruditionis cui uspiam habita ratione ei priuatim à Bibliothecario concedatur, etiam ibi post meridiem esse: clausa tamen ianua, & præsentibus minimum duobus custodibus.

In hieme primo tantum in atrio loco commodo, & editiore prunæ erunt: quæ extra Biblothecam, non in ea accendantur, appositis iis lignis, quæ nihil, aut parum edant fumi: qualia dicuntur à Græcis ἄκαπνα. quod fieri vidimus in Pontificia Bibliotheca Vaticana.

Iam vero è Bibliothecæ ministris vnum esse oportet Græce, Latineque non mediocriter eruditum, qui bene cognitos habeat codices earum linguarũ: nam quod ad libros Hebræos attinet, Chaldæos, & Arabicos, poterunt Rabbini accersiri. Sunt autem Romæ quidam eorum, qui iam Dei Opt. Max. benignitate, Christo nomen dederunt, pieque & honeste viuunt: vt est Andreas Iulius, & Paulus, & alii Romæ notissimi. Accersendus etiam qui Persicam calleat, & Turcicam, & alias pergrinas. & certe est Stephanus quidam à pueritia apud Selymanum educatus, quique apud illum multum gratia valuit: is in pugna nauali, cum præfectus esset duabus triremibus, captus est, Regioque stipendio nunc Neapoli sustentatur; qui esset huic muneri non ineptus opinor: certe maiori vsui, quam est Neapoli, apud Regem esset, propter peritiam, quam habet singularem rerum Turcicarum.

Hos

Hos Bibliothecæ ministros multas ob causas (quas, quia sunt in promptu, omitto) sacerdotes esse oportet; aut populares, quos laicos appellant. vt autem sit vnde honeste, commodeque viuant, possent ecclesiæ reditus, & fructus quidam Bibliothecæ Regiæ accrescere sine cuiusquam querela, obitu scilicet quorundam; quorũ sunt in Hispania & summæ, & pinguissimæ dignitates. quis enim queri de eo iure possit, quod cũ decrescat dignitatibus, nullo prope damno earum, tamen iis accrescat, qui sese totos Regi suo, studiis litterarum, & ecclesiæ mancipant?

Bibliothecarium Regium in orbe viuere oportet, & in luce hominum versari; vt & audire, & intelligere multa possit, quæ ad incrementum, & dignitatem pertineant Bibliothecæ: præsertim si ea prudentia, & sapientia est, vt possit ipsi Regi sæpe vsui esse. Visere eum tamen Bibliothecam frequenter oportet, & minimum sexies, aut septies quotannis, idque de improuiso. Erat tanto huic muneri aptissimus Antonius August. Archiepisc. Varraconen. vir clarissimus, & omni memoria dignus; qui superioribus diebus è vita excessit suo magis, quam studiosorum tempore. Vt quidem nunc est, aptiorem video nullum Garcia Loaisa, viro genere, literis, & vitæ grauitate, atque integritate singulari; cuius felicissimis manibus in disciplinam Philippus Rex noster filium heredem educandum, instituendumque tradidit. Custodum autem ipsorum vnum esse oportet, qui sit quasi Bibliothecarii vicarius, cui alii pareant omnes: vt erat ante aliquot annos in Vaticana Hieronymus Sirletus, frater ipsius Cardinalis; nunc autem Federicus, qui eiusdem Cardinalis fuerat domesticus, & familiaris. hic autem, vt ceteri custodes, non in vrbe, sed in Bibliotheca domicilium habebit.

Præter Bibliothecarium, & vicarium illius ceteros Bibliothecæ ministros, ac custodes nulla esse aut sacerdotii, aut qua alia dignitate necesse est; sed homines esse satis est palliatos, & vitæ laudatæ: etsi non ea prudentia sint, vt grauia iis committi negotia aut possint, aut debeãt. Huiusmodi autẽ multos facile erit inuenire, neq; magnos fieri sumptus erit necesse, cum sint plerique eorum paruo contenti; & præterea huiusmodi tantum rebus vtiles, ceteris autem fere inutiles, & inepti: quales in scholis reperirentur non pauci, aut etiam in ecclesiis, adhibita diligentia, & delectu. Et quosdam eorum melius est iuuenes esse, vt cum annis accedente, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

potius crescente vitæ ita institutæ studio, & amore, fiant quotidie bonarum litterarum studiosiores, tanta librorum copia ad id eos inuitante: atque ita euadant præstantes doctrina viri, & rebus etiam grauioribus aptiores.

Habeant vero omnes Bibliothecæ Regiæ ministri, propinquum ei domicilium: vicarii tamen domicilium cum Bibliotheca ipsa coherebit. vnde etiam in Bibliotheca ostiolũ aperietur, vt possit clam, sineque vllo strepitu introire in eam; aut ei aditum dare, qui facultatem à Bibliothecæ præfecto habebit. neq; enim id ostiolum patere alii debet. Multæ autem causſæ sunt, ob quas id non vtile modo, verum etiam necessarium esse videatur. Est autem eiusmodi ostiolum etiam in Vaticana.

Prius tamen quam Bibliotheca Regia instructa, constitutaque sit, de ministris, & operariis illius cogitandum. Ante igitur quam vltima manus Bibliothecæ imponetur, cura ea suscipienda est à viris bonis, & eruditis, quor. Antistes quispiam sit quasi antesignanus; qui diligentissime conquirant, deque Hispanis potissimum deligant eos, quicumque sint ei rei accommodati: quorum omnium opera, & consilio instructa iam, ornataque Bibliotheca se ad suos quisque recipiat. sed antequam ii domum ad suos redeant, non inutile erit, quemque eorum seperatim sententiam suam scripto mandare, qua breui complectatur ea, quę illi in eo concilio visa sunt, quæque tum videntur. Atque ex hoc quidem eruditorum hominum congressu occasio nascetur bonos viros, & eruditos, qui sunt in Hispania, propius cognoscendi: & dabitur etiam Regi facultas de iis eligendi, qui sint aptissimi Bibliothecæ. quos iubeat iterum accersi de Antistitis, & concilii sententia. Neque hoc etiam erit inutile iis, qui in Bibliothecam tum non recipientur: cum enim ad notitiam Regis ea occasione peruenerint, si erunt in posterum vel Bibliothecæ, vel aliis rebus necessarii, habebitur a Rege ratio eorum.

Vbi autem de custodum, aliorumque ministrorum numero constiterit, conuenire iussu Regis homines eruditos oportebit, quiq; longa rerum experientia valeant, et prudentia; vt leges Bibliothecæ diligentissime, sapientissimeque conscribant: quibus cuiusq; ministri munera, & partes describantur, poenis in eos, qui contra eas quid fecerint, constitutis. Quarum omnium codices duo conficientur: eorum vnũ præfectus, alterum vicarius habebit. Sed neque illud improbauerim, æneis eas tabulis, aut marmoreis, quave alia materia

materia perscribi; & publico, ac patenti aliquo Bibliothecæ loco collocari.

Instructa iam Bibliotheca indicem eius imprimere oportebit diligentissime; qualem etiam Reges Galliæ, aliique ediderunt: cum quo vna etiam priuilegium Regis imprimetur, per quod liceat omnibus libros inde quos velint describere. Qui quidem indices in Italiam, Galliam, & alias prouincias mittantur.

Quoniam autem totum hoc, quod ad ordinem, incrementum, statumque pertinet Bibliothecæ, à præfecto eius, & ministris proficiscitur; & per eos futurum est, vt Bibliotheca suam retineat dignitatem, sunt ii sapientissime deligendi; & studia multorum, & cupiditates maxime fugiendæ. In delectu autem non tam eorum ratio habebitur, qui vnam aliquam scientiam callent; quam eorum, qui multiplici sint eruditione instructi, & moribus etiam elegantioribus perpoliti: quos ii, qui sunt in Regia apud te viri iudicio acri, & sapientia præstantes, tibi poterunt indicare. Et certe in delectu habendo hominum eruditor. Ant. Augustinus vnus omnium maxime, si incolumis fuisset, iudicio suo, quo valebat, acerrimo, & multiplici eruditione, tuæ poterat satisfacere voluntati.

Cuius viri mentio facit, vt locum de aliorum Bibliothecis colligendis, quem supra attigi, latius nunc persequar: in quibus fortasse primum locum tenet huius tanti viri Bibliotheca. nullam equidem priuatam vidi illa meliorem, siue copia librorum, siue præstantia eorum, & raritas spectetur, tam Græcorum, quam Latinor. de qua Regiæ adgreganda agi esset nunc oportunum: postea enim libri in multas, ac varias partes distracti vel peribunt, vel difficillime colligentur.

Quod verum esse intelligitur ex Michaelis Thomasii Episcopi Ilerdensis Bibliotheca: quæ post domini sui obitum fluctuauit, & in scopulos illisa misere fecit naufragiũ. fuit is, dum viueret, eius colligendæ, ac locupletandæ studiosissimus: itaque multos partim de optimis describi quam fidelissime curauit; habebatque iam ad duo milia voluminum impressorum, & manuscriptor. Græcorum, & Latinorũ (quamquam Græcorum numerus multo erat minor) neque hanc colligere fuit illi admodum difficile; nam præterquam quod industria valebat, multos sibi plurimis officiis (fuit enim officiosissimus) obstrinxerat; & à multis propter animi dotes, ac virtutes amabatur: & in vibe Roma multo tempore fuerat. Hanc ego Bibliothe-

cam tam Romæ cognitam habebam, quam dominus illius: quæ vna cum hereditate iacuit, controuersiam de facultate testandi Nuntio Pontificis mouente. Vtile quidem esset, codices manuscriptos conquirere diligenter, & in Regia Bibliotheca collocare. Posset eadem diligentia in aliis Bibliothecis Regiæ adgregandis adhiberi; vt in ea, quæ fuit Hieronymi Zuritæ historici diligentissimi, quam ille dum viueret cuidã monasterio reliquit: vnde non inuitis monachis in Regiam transferetur, neque id erit præter spem, & voluntatem defuncti domini, cuius ex consuetudine, & sermonibus quotidianis is animus non obscure intelligebatur. Habuit & Paez Iurisconsultus Bibliothecam bene instructam, & libris veteribus refertam: quæ an distracta sit adhuc, & dissipata, videndum.

Sed & Gulielmi Sirleti Cardinalis Bibliotheca non solum numero librorum, sed & bonitate excellit, non Latinorum modo, verum etiam Græcor. manuscriptorum: in qua colligenda diu, multumque laborauit. neque sane multi anni sunt, ex quo x i i. arcas librorũ veterũ, & manuscriptor. in eam coniecit, qui Marcelli patroni illius, & Pontificis fuerant: neque ad id vsq; tempus vendi duobus aureorum millibus potuere. Posset autem à Rege Legatis ea cura committi, vt si quæ Cardinalium, aut aliorum Bibliothecæ, morte dominorum consecuta, distrahendæ essent, eas coemerent. Quoniam autem in tot libris cogendis, nisi id iudicio fiat, erit opera, & labor inanis, dabitur id negotii Alfonso Ciaconi homini erudito, & diligenti, vt antequam libri comparentur, videat eos diligenter: & ita habito delectu, emantur: sed & Ioscpho Stephano Valentino, nunc Vestano Episcopo; qui ambo Romæ viuunt libentissimè, non alio vmquam migraturi.

Habet quoque Bibliothecam nobilem Sfortia Cardinalis, cui Regio beneficio, & liberalitate Hispaniæ patrocinium commissum est, ea non tam multitudine, quam bonitate librorum excellit; quod multa in ea sint autographa, aut certe antiqua Græcorum volumina. Sed huius emendæ spes nulla plane relinquitur, quod ea familiam Sfortiam & heredem sequatur, magnaq; cura, & diligentia custodiatur. possent tamen inde libri nonnulli diligenter describi: index quoque confici, & ad Regem mitti.

Libri etiam aliquot haberi poterũt è Bibliotheca Achillis Statii Lusitani, qui Romæ diu vixit, & ibi duobus abhinc annis mortuus est: in ea libri sunt varii, qui à fadalibus cõgregationis S. Hieronym

nymi asseruantur. In his commentarius ipsius in Maronem Virgilium hactenus ineditus.

Item Neapoli in ecclesia S. Iohannis Carbonarii, quod est cœnobium D. Augustini, est Cardinalis Siripandi Bibliotheca integra, vbi & exemplaria, & monumenta quædam sunt antiqua, quæ fratres ipsi quodammodo videntur aspernari. inde igitur non esset admodum difficile, quædam deligere, data ab eo opera, qui pro Rege Neapoli esset, adhibitoq; aliquo eiusmodi rerum intelligente: qualis est Portius quidam Abbas Simonis Portii medici, & Philosophi nobilissimi filius, qui Petri Toleti floruit ætate. quod negotium Abbas susciperet libentissime cum aliis omnibus tum illo, quod est a Rege non ita pridem, vt intellexi, Monopolitano Episcopatu in eo regno ornatus. Sed & alia quædam antiqua Bibliotheca est Neapoli S. Seuerini, quæ in puluere negligitur; vnde sumi etiam possent aliquot volumina, & in Regiam transferri.

Sunt deniq; in multis prouinciis præsertim in Italia multæ Bibliothecæ priuatæ; Vincentii Pinelli nobilis Genuensis, qui habet Patauii domicilium; vt Petri Victorii Florentini, vt Fuluii Vrsini Romani, vt M. Antonii Mureti Galli, qui diu vixit in vrbe Roma, & paulo ante è viuis discessit; Petri Iohannis item Nunnesii Valentini Philolophi eximii, qui Barcionensem iuuentutem nunc instituit, relicta dulci patria Valentia, non sine magna bonarum litterarum iactura: quam hoc tempore, quo pristina dignitas, & gloria misere in sordibus iacent, reliquisse, quodammodo prodere est? pro qua certe mori, & cui nos totos dedere, & in qua nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus. Aliæ priuatorum hominum Bibliothecæ reperientur, quas non est necesse hic commemorare, cum sint apud Regem homines eruditi, quorum ad notitiam & hæ, & aliæ quamplurimæ peruenerunt. Hæ igitur, si quando distrahendæ sint, curent Regii ministri, ne intercidant.

Maximo etiam vsui esset, bonum aliquem virum, & rei typographicæ bene peritum Regiis sumptibus & liberalitate foueri, cum operariis eius rei intelligentibus, & exercitatis: variaque illum, & elegantia habere genera characterum Græcæ, Latinæ, & aliarum quoque linguarum: & præterea correctores eruditos, minimeque vanos, & arrogantes. ex qua typographia, & Regia literarum officina emendatissimi veter. libri in lucem ad communem omnium vtilitatem ederentur, Regia insignia præferentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sumptibus autem typographiæ valde consuleretur pistrino, chartæ faciendę ædificato, loco opportuno. neque valde de eo laborandum, si ea forte melioris notæ non esset: cum neque in Flandria, neque aliis plerisque in locis vbi libri imprimuntur, optima ea sit, quid, quod libros semel impressos statim alibi iterum, ac sæpe imprimere solent papyro meliori: atque ita toto orbe terrarum è Regia catholica S. Laurentii Bibliotheca editi libri propagarentur. Antonius Augustinus cum esset adhuc Episcopus Ilerdensis, Complutensem typographiam Ilerdam transtulit, & chartæ faciendæ pistrinum erexit. idem etiam Tarracone typographiam suis sumptibus non inelegantem sustentauit.

Vnum pæne omiseram libris colligendis aptissimum, quod Florentiæ diligentissime obseruatur. Nemini in ea vrbe licet, qui librarius sit, librum vllum manuscriptum cuiquam vendere, nisi prius illum homini cuidam erudito ostēdat, cui à duce Florentinorum id negotii datum est. is librum videt: si est alicuius momenti, curat persolui pretium librario, & librum in Bibliotheca publica reponi: atque ita non pereunt monumenta veterum scriptorum, neque etiam in priuatis Bibliothecis quasi sepeliuntur. Eam curam in Hispan. Regem Episcopis ac professoribus mandare vtile esset, vt in sua quisq; diœcesi ea ratione curaret, ne veterum libri perirent; sed colligerentur ab iis, & ad Regiam Bibliothecam mitterentur: ad eamq; rem adhiberet quisque eorum homines intelligentes.

CAP.

CAP. IV.

GENTIVM, VRBIVM, MONTIVM, FLVVIORVM HISPANIÆ CATALOGVS ALPHABETICVS LATINIS VVLGATISQVE NOminibus, ex Annalib. Hisp. Io. Marian. Soc. Iesu.

A.

Acci, Hisp. *Guadix.*
Anas fl. *Guadiana.*
Anagarum, *Nauarra cuidad.*
Aquæ calidæ, *Auria, Orense.*
Areuaces, vbi nunc *Vxama.*
Argentarius mons, *Mons Segura.*
Ætabrum promont. *Cabo de Sant Iban, o Aroca.*
Assidonia, *Medina Sidonia.*
Astigis, *Eccia.*
Astura fl. *Astorga.*
Atramenti fl. *Rio de azige.*
Auca, *Oca.*
Augustobriga, *Villar del Pedroso. & Murus prope Agredam.*
Ausa, siue Ausona, *vique.*

B.

Bætica, *Andalucia.*
Bætis, *Guadalquiuir.*
Baleares, *Mallorca, y Menorca.*
Barcino, *Barcellona.*
Basti, *Baca.*
Bastitani, *Comarca de Baza.*
Berones, vbi nunc *Villorado.*
Betulo, *Badalona.*
Bilbilis, *Calataiud*, aut prope.
Bletisa, *Ledesma.*
Bracara, *Braga.*
Brigantinus portus, *la Corunna.*
Brioca, *Brihuega.*

C.

Cæsarianum, *Xerez.*
Cæsaraugusta, *Zaragoça.*
Calataiuba, *Calataynd.*
Calæcia, *Galicia.*
Calpe, *monte donde esta Gribaltar.*
Cantabria, *Viscaya.*
Caraca, *Guadalaiara.*
Carcunium, *Caracuel.*
Carpetani, *el Reyno de Toledo.*
Carteia, *Tarifa.*
Carthago naua, vel Spartaria, *Cartagena.*
Castra, Cæcilia, *Caseres.*
Castra Iulia, *Trugillo.*
Castulonensis saltus, *Nauas de Tolosa.*
Cauco liberis, *Colibre.*
Caunus mons, *Moncayo.*
Ceretani, *Cerdania.*
Chalybs. *Rio de palma en Portugal.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chartdemum promont. *Cabo de Gatas.*
Citerior Castella, *Castilla la nueua.*
Clunia, *Corunna.*
Complutum, *Alcala de Henares.*
Consaburo. *Consuegra.*
Contestani prouincia vbi nunc *Murcia.*

D.

DErtusa, *Tortosa.*
Dianium, *Denia.*
Durius, *Duero.*

E.

EBusus *Iuiza.*
Eccleſta, *Inneſta.*
Edetani, pars citerioris Hiſpaniæ vbi nunc Valentia
Egabrum, *Cabra.*
Egelaſte, *Iueſta.*
Egita, & melius Idigita, *la ciudad Guerdia Porto.*
Elbora *Talanera.* Io. mariana lib. 4 Annalium, cap. 14.
Elepla, *Niebla.*
Elicrota, *Lorca.*
Exilienſis Dominicus, *S. Domingo de Silas.*

F

S. Facundi monaſterium, aut oppidum, *Sahagun.*
Fenares fl. *Fenares.*

G

GAdeis, & Gadira, *Cadiz.*
Gegio Gyon in Aſturibus.
Gerunda, *Girona.*

H.

HEraclea. *Gribaltar.*
Heluia, *Ielues.*
Hiſpalis, *Seuilla.*
Hondarribia, *Fuenterrabia.*

I.

IDigita, *Guerdia ciudad de Portugal.*
Idubeda, *Montes Deoca.*
Ilergetes, populi ad ripam Sicoris, vbi *Ilerda eſt.*
Ilicæ, *Elche* aut *Alicante.*
Ilipa, *Penaflor & Zalamea.*
Iliberis, *Colibre.*
Illiberris ſiue Eliberris vrbs olim prope granatam.
Illiturgis, *Anduiar.*
Iria Flauia, *El patron* in Calæcia.
Ita lica, *Seuilla la Veeja.*

L.

LAcetani, vbi nunc *Iaca* in Aragonia.
Lamecum, *Lamego.*
Laminitanus campus, *Monticlus campus.*
Lauretanus portus, *Lauredo.*
Legio, *Leon.*
Lucus, *Lugo.*
Luſitania, *portugal.*

M

MAlaca, *Malaga.*
Marchia, *la Mancha.*
Mariani Montis, *Sierra Morena.*
Martia, *Marchena.*
Melaria. *Beſer de la Miel.*
Minius fl. *Minno.*
Mirobriga, *Ciudad Rodrigo*, alii Capella.

Mond.

Monda fl. *Mondego.*

N.

NErium promont *Cabo de finis terræ.*
Numantia, vbi nunc *Soria.*

O.

OBulcum, *Porcuna.*
Olarſó promont *Fuentærauia*
Olgæ, *las Huelgas.*
Oliſipo, *Lisbona.*
Onoua, *Heulma.*
Opta, *Huere.*
Oretani, *Comarca de Almagro.*
Oroſpeda, *Conchæ*, & *Molinæ Montes.*
Oſca, *Hueſca, & Hueſcar.*

P.

PAaterniana, *Paſtrana.*
Pax auguſta, *Padoxor.*
Pax Iulia, *Beſa.*
Pelendones, vbi nunc *Agreda.*
Peninſula, *Peniſcola.*
Pincia, *Valliſo letum.*
Piſorica fl. *Piſuerga.*
Pompelo, *Pamplona.*

R.

RHodope, *Roſes.*
Rocida vallis, *Ronces valles.*
Rubricatus flumen, *Labregat.*
Rucones, *Riuogia Rioia.*

S.

SAbora, *Cannete.*
Sacrum promont *Capo de Sant Vicente.*
Saguntum, *Monuredro.*
Salacia, *Setubal, o Alcaçar de Sal.*
Salmantica, *Salamanca.*
Salo fl. *Xalon.*
Saltus vaſconum *Ronces valles.*
Sancti Etnetrii portus, *Sanctander*
Sarabis, *Toro ciudad.*
Scalabis, *Santaren.*
Selambina, *Salobrenna.*
Sentica, *Zamora ciudad.*
Septimancæ, *Simancas.*
Seria, *Xerez de Badajor.*
Sicoris, fl. *Segre.*
Singilia, *Antequera.*
Singulis fl. *Xenil.*
Solorius portus, *Salu puerto de Tarragona.*
Staberus, fl. *El rio de Segura.*
Suero, *Xucar rio.*
Sueſſetani, tractatus cuius caput erat *Sangueſa.*

T.

TArraco, *Tarragona.*
Tarteſſus, *Tariffa.*
Talones *Azudas.*
Tritium, *Najera.*
Tucci, *Martos.*
Turduli & Turdetani, Baticæ populi.
Tude, *Tux.*
Turia fl. ad valentiam *Gualdalauiar.*
Turiaſo, *Taraçona.*

V.

VAleranica, *Perlanga.*
Varduli, Caſtellæ veteris pars.
Varea, *Vera.*
Vaſcones, *Nauarra.*
Vero fl. *Huecar*
Vicus cuminarius, *Santæ Cruz Laçarça.*
Viruesca, *Briueſca.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Vlterior Castella, *Castilla la vceja.*
Vrbicus fl. *Oruiego.*
Vrsao, *Ossuna.*
Vxama, *Osma.*

Adhibe his si vacat Hispaniæ veteris tabulam ex Ptolomæo, quem Coloniæ in Vbiis Gerardus Mercator tabulis ornatum euulgauit: itemque eam quam in παρέργῳ Theatri orbis terrarũ Hispaniæ veteris tabulam exhibuit, & cum recentibus committito.

Item Marianam ipsum rerum Hispanicarum, Cap. 15. & 16. De Episcopatuum diuisione.

VRBIVM, OPPIDORVM, FLVVIORVM, VICORVMQVE HISPANIÆ CELEbrium CATALOGVS, Latinis, vulgatisque nominibus.

EX ITINERARIO ANTONINI AVGVSTI, NOtisq; eruditis Hieronymi Suritæ Cæsaraugustani Coloniæ Agrippinæ, anno 1600. euulgatis.

ex pag 89.	Hispan.
SALSVLÆ.	Salses.
Iuncaria.	Iunquera.
Gerunda.	Girona.
Barcino in Laletanis Ptolomæo, vbi tamen malè λαιήτανοι pro λαλήτανοι editur.	Barcelona.
Tarraco.	Tarragona.
Ilerda.	Lerida traiectis litteris.
Toleus.	Montione, prope Cingæ ripas situm, in Aragonia, esse puta Surita pag. 353.
Pertusa.	Nomen retinet ad Conadrim f qua Montione Oscam itur.
Osca.	Huesca.

Ilergetum vrbs: in Triumphorum fastis & Liuio frequens C scens

scensis argenti fit mentio, & in Nummis *vrbs victrix* cognominatur, vetus quoq; Academia est auctore Plutarcho in Sertorio.

Cæsaraugusta.	Zaragoça.
Malè Cęsareaugusta, vnica enim per hyphen dictio. Prudentius enim in hymno Sapphico. *Cæsaraugustam vocitamus vrbem.* Itaq; in Nummis & inscriptionibus antiquis apud Suritam, pag. 536. & Antonium Augustinum V. C. singulari de patriæ antiquitate epistola.	
Cascantum.	Hodie quoq; nomen retinet & in Nummis Tib. Cæsaris, corruptum tamen in Ptolomæo.
Calagurris.	Calahorra.
Plinio duplices Calagurritani: Nassici & Fibularenses: fortè vt hodieque & alterum affine oppidum *Caltruega* B. Dominici patria: vt altera Quinctiliani & Vigilantii. Ausonius: Ad serat vsq; licet Fabium Calagurris alumnum. Paulinus quoq; montanam facit.	
Varia.	Varea hodie in Varię vrbis vestigiis iuxta Logronium.
Tritium: aliis Tritium.	Nasara.
Tuboricum, quod est Tritio metallino diuersum Surita, pag. 541. a. 607.	
Virouesca: Plinio ac Ptolomæo in Autrigonib. Hodie in Riogiæ regionem oppidum nomen retinens.	Biruiesca.
Lancia.	Mansilla de las mulas.

Dion lib. 53. Asturiæ vrbem maximam facit.	
Legio VII. gemina.	Credo esse *Leon* regni caput.
Carthago Spartaria Elegesta vrbs Straboni.	Cartagena, nunc Inhiesta in Māciæ regione, vocant.
Pag. 90. Castulo.	Cazlona.
Ruscino.	Hodie Turris Rossilionis nō procul Perpiniano nomē retinet.
Aquæ vocaniæ.	Paldas aquas in Auseltanis.
Secerræ.	Credo esse S. Coloma.
Pag. 91. Dertorsa.	Tortosa.
Saguntum.	Monuedro.
Valentia.	Valencia.
Sucro fl. in Contestanis Ptolemæo.	Xucar præterlabitur Setabim, quæ hodie Xatiua.
Ilici.	Alicāte aliis Elche in eodem tractu. Vnde Sinus & portus Ilicitanus Plinio, Ptolemæo in Contestanio.
Basti.	Bassa oppidum Bastitanis nomē tribuit.
Acci.	Guadix.
Acatucci for. Tucci, quę cognominabatur Augusta gemella.	Vulgo Martos dicitur Episcopali sede celebris.
Mentesa.	forte Iaen.
Calpurniana.	Carpio.
Vrgao, forte Vrsaonem legendū. Vrgano in veteri.	Ossuna, forte.
Castulonensis saltus.	
Iliturgi.	Portus S. Stephani Surita, p. 552.
	Andusar olim celebris Episcopatus; vocabaturq; Forum Iulii.
Pag. 92. Sexitanum forte Sexi vel Hexi.	Motril.
Murgi Bæticæ finis.	forte Mursia.
Malaca.	Malaga.
Calpe.	Gibraltar.
Carteia olim Tartessus.	Algezira.
Mellaria.	Tariffa.
Belon.	Veicl, credo esse.

Bassippo

Bæsippo.	for. Chiclana, quia eo itinere itur Gades.
Ad Herculem.	La torre de Hercules.
Asta.	Xeres de la frontera, aliis Medina Sidonia, quæ & Asindum.
Ilipa.	Penna Flor. Pag. 93.
Ostippo.	Estepa.
Antiquaria. Ibidē Lapides antiq, Singiliam cognominant à fl.	Antiquera.
Vlia.	Montemaior, vt quidam putant ex inscriptionibus.
Corduba.	Cordua.
Astigi.	Ecija.
Italica.	Seuilla la Vieia Lucæ Tudensi Episc.
Carmo.	Carmona.
Obucula.	Porcuna. al. Obulia, Ant. Augustino.
Regiana.	Reyna oppidum, in eo tractu situ conuenit.
Emerita.	Merida.
Metellinum.	Metellin.
Salacia.	Alcaçar de Sal in Lusitania. Pag. 94.
Ebora.	Euora.
Ossonoba.	Silua in Algarbiis.
Scalabis.	Santaren.
Olisipo.	Lisboa.
Talabrica, quia in Lusitania collocatur non est Talauera, quæ in Carpetanis est, quam Elboram esse docet Io. Mariana.	Pag. 95.
Bracara.	Braga.
Asturica.	Astorga.
Brigantium.	Betancos, non longè à Portu Brigantino. Pag. 96.
Lucus Augusti.	Lugo.
Pons Neuiæ. in eo tractu portus est venustissimus, qui Nauia dicitur.	
Pax Iulia.	Beia non Badaior.
Balsa.	Tauila.

Pag.97. Interamnium Flauium.	Ponferrada vt credo.
Limia.	Puente de Lima.
Tude.	Tuy vulgo.
Aquæ Celeniæ al: Celinorum, Myrtilis.	Orense. fort. Mersola.
Pag.98. Onobo fort. Ossonobo supra, pag. 94.	
Ilipa.	Niebla fort. oppidum eius tractus vetustissimum.
Castra Cæcilia.	forte Metallina. vulgo Medelin.
Cappara.	Vetus oppidum, vbi nunc Las ventas de Cappara en el camino de la plata.
Sentice fort. Sentica.	Zamora.
Salmantica.	Salamanca.
Ocellus Duri fl.	fort. Puente de Duero. Eius vestigia iuxta Fermosel.
Septimanca.	Simanca.
Segouia.	Segobia.
Complutum.	Alcala de Henares.
Arriaca.	Guadalaiara.
Pag.99. fort. Carraca legendũ ex Ptolomæo.	
Segontia.	Siguenca in Areuacis, quæ sedes ex Medina Zelin translata.
Arcabriga.	Arros.
Aquæ Bilbilitanorum.	Aquas de al Hama.
Bilbilis.	Calataynd.
Nersobriga.	Ricla.
Cæsarauguſta.	Caragoça.
Augustobriga alias ruinæ eius in oppido Muro iuxta Agredam.	Pedrosa de la Sierra.
Pintia.	Valladolid, Vallisoletum. Suritæ tamen pag. 594. oppido *Benna Fiel* conuenire potius videtur.
Rauda.	Aranda ad Durii ripas, vt forte hic Randa legendũ videatur.

Clunia

Clùnia.	Corunna.
Vxama.	Osma.
Numantia.	Soria.
Turiaso.	Tarazona.
Allabo.	Alagon oppidum Aragoniæ vnde Archidiaconus Cæsaraugustæ Alagonensis.
Mirobriga.	Diudad Rodrigo. Pag.102.
Larcuris.	Alarcos hodie.
Laminium.	La Mancha ager ex oppido collapso.
Contabrum, f. Consabura legendum.	Consuegra.
Libisosa.	Lebazuza ager ex ruinis eius oppidi.
Gallicum. fl.	Gallego.

De Lucensi vrbe in Galæcia à Maurorum vastatione integra permansisse creditur, vt constat è Priuilegio Alfonsi Casti Regis his verbis eius sæculi propriis: VRBEM *præfatam, quæ sola integerrima remanserat à Paganis, destructo murorum ambitu: quam etiam Alfonsus Rex Petri Ducis Cantabriæ filius; (qui de Recardi Regis Gothorum stirpe descendit) similiter populauit, ac de Ismaelitarum tulit potestate.* Hunc autem Alfonsum II. Casti cognomento regnasse ferunt. Era 829. 18. Calend. Octob.

VRBIVM, OPPIDORVM, FLVVIORVM VICORVMQVE HISPANIÆ CELEBRIUM Catalogus, Alphabeti serie vulgatis & antiquis nominibus.

EX IOANNIS MARIETTAE DOMINICANI Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 22. Reiectis interim iis, quæ ex Annio Viterbienſi ad Pſeudoberoſum deſcripſit.

Hiſpan.	Latine.
AYamonte in Bætica ad Anam fl.	Fama Iulia.
Almũnecar in Bętica iuxta Malacam.	
Alaba prouincia cuius Metropolis Victoria.	
Almeria in extrema Bætica.	
Alcala de Henares in Carpetanis Academia.	Complutum.
Auila vrbs Caſtellæ veteris mediterranea.	Abula.
Anduiar prouinciæ Bæticæ ad Bætim fl.	Iliturgi.
Andaluzia prouincia vlterioris Hiſpaniæ à Vandalis dicta.	Bætica à Bæti fl. qui Guadalquibir Mauris eſt.
Aragon Regnum Hiſp.	Celtiberia ab Ibero fl.
Aſtorga ciuitas Aſturiæ.	Aſtures.
Alcantara Caſtellæ nouæ oppidum, vbi pons à Traiano Imp. factus, cum inſcriptione, quã explicat And. Reſendius.	
Agreda Aragoniæ oppidum.	
Aſta Bæticæ oppidum.	
Alicante Valentini regni portus.	Alone, Ilice, portus Ilicitanus.
Barcelona Metropolis Catalauniæ.	Barcino.

Badaior.	Pax Auguſta.
Beiar.	Pax Iulia.
Balbaſtro in Aragonia.	
Braga in Luſitania.	Bracara.
Burgos in Caſtella veteri Metropolis.	Burgum.
Bilbao Cantabriæ portus.	Flauiobriga, Ant. Nebricenſi: alii villa de Berineo, Cantabrorũ Metropolim ſic indigetant.
Briones.	
CAbo de finisterræ, in Galecię finibus.	Nelium promontoriũ & Celticum, aliis Artabrorũ promontorium.
Cadiz Bæticæ peninſula.	Gades.
Calataiud in Aragonia patria Martialis.	Bilbilis.
Cordoua Bæticæ ciuitas.	Corduba.
Ciudad Rodrigo in Portugaliæ finibus.	Ciuitatenſis Epiſcopatus.
Camora Caſtellæ veteris.	
Caragoça Metropolis Aragoniæ.	Cæſarauguſta.
Carrion à flumine ſic dicta, qui Nubis olim dictus.	
Cartagena, ad intimum mare.	Carthago noua, & Spartariæ.
Caſtilla reyno, noua & vetus. Noua à Toleto cõplectitur omnia ad mare mediterraneum vſq;. Vetus vero Cantabriam vniuerſam, Burgos, & finitima.	
Catalunna regnum, & Cantalauni.	Gotalania à Gothis & Alanis. Olim Tarraconenſis prouincia.
Colibre.	Iliberi: aliis Granata.
Coymbra Luſitaniæ Academia.	Conimbrica.
Compoſtella, hodie Santiago.	
Cuenca Caſtellæ Nouæ ciuitas.	Cõcha, à forma ac ſitu inter duo flumina.
Cocentayna oppidum Valentini regni, aliis, vbi nunc Murcia.	Conteſtani.
Calahorra, Caſtellæ vereris.	Calaguris, patria Quinctiliani.

Caleruega, oppidum Vxamensis Episcopatus, patria S. Dominici.	
DAroca in Aragoniæ regno S. Sacramenti miraculis illustris.	
Denia Regni Valentini.	Diainum.
Duero rio.	Durius flumen.
EVora Lusitaniæ ciuitas.	Ebora, & Iulia liberalitas.
Epro rio.	Iberus Aragoniæ fluuius vnde Iberia dicta Hispania.
Eziia in Bætica.	Astigi.
Estella in Nauarræ regno.	Stella.
FVenterabia, Cantabriæ portus.	
GAlizia reyno ad Oceanum.	Galetia.
Gribaltar. in Bætica.	Fretum Gaditanum, vbi Herculis columnæ, Calpe & Abila.
Girona Cataluniæ Episcopatus.	Gerunda.
Guada laiara iuxta Complutum oppidum.	Carraca.
Guadix in Granatensi regno.	Acci.
Guadiana rio in Bætica.	Ana fluuius.
Guadalete rio.	
Guadalquibir rio, Bæticæ fl.	Bætis.
Guadalupe monasterium, B. Virgini sacrum.	Ad aquas Lupias.
Granada regnum Bæticæ.	Eliberis al. Illiberris.
HVesca Arogonici regni Academia iam inde à Sertorio.	Osca Plutarcho in Sertorio.
IAca ad radicē Pyrenæi in Aragonia.	
Ibiza insula Tarraconi obiecta.	Ebusus.
Iaen Bæticæ Episcopatus.	Hic Veronicæ velum spectatum imagine Christi impressum.
LEon Castellæ Veteris & regni caput.	Legio.

Lerida Cataluniæ Episcopatus, & Academia.	Ilerda & Ilerdenses.
Logronno in Cantabriæ finibus.	
Lisboa Metropolis Portugaliæ.	Olisipo.
MEdina Sidonia in Batica.	
Moncayo Aragoniæ mons iuxta Cæsaraugustam.	
Monuiedro regni Valentini oppidum.	Saguntum.
Murcia regnū Beticæ & Metropolis.	
NAiara in Calaguritano Episcopatu.	Tricium. Tiburicum.
OSma Castellæ Veteris oppidum.	Vxama.
Origuela Regni Valentini Episcopatus.	Oriola.
Ouiedo.	Ouetum.
PAlentia Castellę Veteris.	Palantia.
Pamplona regni Nauarræ Metropolis.	Pompelo. al. Pompeopolis: non placet Ortelio.
Placencia Castellæ Nouæ Episcopatus.	Placentia.
Porto Lusitaniæ oppidum portu clarum ad Durii fl. ostium, vnde Portugaliam dictam, quasi Galeciæ portum autumat Resendius.	Portus.
Portugal regnum.	Lusitania à Rege Luso. Plinius lib. 4. Cap. 21.
Puerto de santa Maria. iuxta Gades oppidum.	
RIoia quasi Dicas El rio Oia. Vnde prouinciæ nomen.	
Rio Tinto.	Iberus.

Rio Salado. Vide Hieronymum, lib. 7. Annalium Aragoniæ Cap. 53. & Stephanum Garibay lib. 14. Hist. Cap. 15.	
Salamanca, Academia Castellæ Veteris.	Salmantica.
San Lucar de Barrameda, portus Bæticæ ad Mare.	
San Sebastian, portus Cantabrię.	
Segouia Castellę Veteris Episcopatus.	Segobia.
Santaren regni Portugaliæ.	Scalabis, à Sancta Irene sic dicta.
Sahagun oppidum Legionensis Episcopatus, corruptum nomen videtur à S. Facūdo martyre ibidem passo.	
Setubal Portugaliæ oppidum mari vicinum.	Setobriga & Setrobrix, Melæ, Ptolemæo, & Anton. Augusti.
Seuilla Bæticæ Metropolis.	Hispalis.
Seuilla la vieia, eius ruinæ non procul Hispali.	Italica patria Traiani, Hadriani & Theodosii Impp.
Siguença in Aragoniæ finibus.	
Simancas oppidum iuxta Vallisoletum.	
Segorue regni Valentini oppidum.	*Segobriga.*
Soria.	Numantia, fide Romanorum inclita.
Santo Domingo de la Calçado oppidum Episcopatus Calaguritani.	
Segura. } oppida sunt Guipuzcoæ in Cantabria.	
Salinas de Lenniz }	
Tajo.	Tagus fl. aurifer.
Tarazona in Aragonicæ finibus.	Turiaso.
Tarragona Catalauniæ Archiepiscopatus.	Tarraco.
Tortosa Catalaunię Episcopatus.	Dertusa.

Toledo Carpetanorum Archiepiscopatus.	Toletum.
Torquemada Palentini Episco. quasi dic. Turris cremata: duos tulit insignes Dominicanæ familiæ sodales Thoncam, & Ioannem Card.	
Tuy Galeciæ Episcopatus.	Tude. hinc Lucas Tudensis Episcopus.
VAyona portus est in radicibus Pyrenæis, Gallorum sedes.	
Valladolid Castellæ veteris ciuitas.	Pintia & Vallisoletum.
Valencia regni caput.	Valentia.
Vique Catalauniæ ciuitas, Episcopatus sedes.	
Vizcayia in Hispaniæ finibus ad Oceanum.	Cantabria.
Victoria caput prouinciæ Alabæ in Cantabria.	Velica Camarica Ant. Nebruensi, & Alexio Vannege.
Viseo Episcopi sedes in Lusitania.	Visensis Episcopus.
Vergara oppidum Guipuzcoæ.	
Vrola fl. Guipuzcoæ.	
Villafranca oppidum ibidem.	
Vrgel ad radicem Pyrençorum.	Vrgeli.
Xalon fl. Aragoniæ.	Salo martiali.
Xatiua regni Valentini.	Setabis, & Augusta Valeria.

FLVMINA HISPANIÆ ALPHABETI SERIE, QVORVM PRÆCIPVA LATINE & maiusculis litteris notamus.

ADaia.
Arga.
Aragon.
Arlanzai.
Arlanzon.
Alberche.
Bayas.
Besos.
Badolonia.
Barbate.
Barrosa.
Carrion.
Zadorra.
Conguedo.
Cinia.
Cuerno.
Clodiano.
Duero, DVRIVS.
Duraton.
Deua.
Ebro, IBERVS vnde Iberia.
Estela.
Ezla.
Fruega.
Francolin.
Guadiana, ANA.
Guadalquiuir, BAETIS, vnde Betica.
Guada enim Arabibus fluuium designat.
Guadalquiuireio.
Guadarrama.
Gallego.
Guadalete, lethe.
Guadaliniar.
Guadalote.
Guadagenil.
Guadiaro.
Gucar.
Guerna.
Guadiela.
Henares.
Heban.
Limario de Galizia.
Lucero.
Lobregat.
Millas.
Minno.
Mondego.
Mearon.
Molma.
Naierilla.
Nerbion.
Oia.
Orbego.
Pisuerga.
Rio Tuerto.
Rio Salado.
Rio tinto corre por Niebla.
Ramagon.
Riguelo.
Segre.
Segura.
Singa.
Tormes.
Taio, TAGVS aurifer.
Taxunna.
Tyron.
Vrola en Guipuzcoa.
Xalon vidazo ibidem.
Xarama.
Xucar.
Xenie.

Plures Centum quinquaginta fluuiis additis minoribus, ac riuullis alii numerant: nos præcipuos profunditate, & piscium feraces recensuimus.

CATALOGVS EPISCOPORVM Ac SANCTORVM.

QVIBVS OPPIDIS HISPANIAE AVT PRAEfuerint aut colantur, potissimum ex Io. Marietta ordinis Prædicatorum Theologo.

CAP. V.

ALCALA *de Henares*, Lat. *Complutum*. Academia colit: Iustum & Pastorem Martyres sexto Augusti, quorum & prudentius meminit. Tulit & Felicem Martyrem Cordubæ 15 Iunii, & B. Didacum Laicum ordinis minorum, à Sixto V. Sanctis ad scriptum, anno 1588.

Abula, vulgo *Auila* Episcopum primum habuit S. Secundum 11. Maii, aliis 15. Item Priscillianum, sed hæreseos damnatum, teste Sulpicio Seuero in Chronico, & Io. Mariana lib. 4. Annalium Hisp. cap. 5. Habuit contra Catholicum Episcopum postea Alfonsum Tostatum, qui & Abulensis à sede cognominatur, cui Matricalium Vicus patria est. Floruit anno Christi 1440. Patria quoque Abula Virginis *Teresæ Iesu*, quæ Excalceatarum Virginum Carmelitarum fundatrix. Vitam descripsit Franc. Ribera. Obiit 1581. Sepul-

chrum apud Dominicanos Thomæ Turrecrematæ, Quæsitoris fidei violatæ.

Andujar, in Bætica, olim *Illiturgis*, Episcopum primum habuit, Euphrasium Martyrem, coliturque 15. Maii.

Astorga, olim *Asturica* præsulem habuit Toribium 15. Aprilis colitur, & Ditinum Episcopum 11. Iunii.

Alicantara, hic ordo militaris residet, & pons spectatur antiqu operis cum Latina inscriptione.

Agrada, elegans opidum Aragoniæ, Martyrum abundat reliquiis.

Asta, Bæticæ oppidum tulit tres Martyres, quorum festus 21 Nouemb. Honorum, Eutychium & Stephanum.

Barcino, hodie *Barcelona*, Episcopum habuit Seuerum, in facti sacris 6. Nouemb. & Pacianum Episc. de quo B. Hieronymus in Catalogo 9. Martii, & Eulaliam virginem & Martyrem 12. Febr. & S Cucufatem 25. Iulii, & Raymundum Penniafortem apud Dominicanos, quorum tertius Generalis Diuis adscriptus est à Clement 8. anno 1601. Hic ordinem B. Virginis Mercedis in Aragonia instituit, approbante Gregorio 6. anno 1239. Iuxta est B. Virginis Monte ferrati ordinis S. Benedicti Monasterium, in quo & reliquiæ mult in his S. Laurentii.

Braga, antiquitus *Bracara*, in Lusitania, Episcopum habuit primum Petrum 26. Aprilis, item Fructuosum, qui decimo Concili Toletano interfuit 16. Aprilis, & S. Victorem 12. Aprilis.

Burgos, Sanctos seruat plurimos, vt Cæsaraugusta Helenat Martyrem, coliturque 13. Aug. item Sentollam eius sociam 4. Aug S. Victoriam 23. Decembr. Item S. Iulianam vulgo Santillana nominant. In Monasterio S. Petri Benedictinorũ cc. Monachorum Martyrum reliquiæ. In S. Pauli Cœnobio Paulus Carthagena h Episc. conditus est, qui Scrutinium Scripturarũ edidit, auxitque L ranigloſſam. Et proxime filii eius Alfonsi sepulchrum, qui ibidem Episcopum egit. In Cœnobio S. Trinitatis, & ad S. Augustinum crucifixi imago miraculis clara frequentatur, ab exteris iuxta atque incolis. Hinc oriundi Andreas Olinos Ord. Minorum, & Didac Velasces auctor ordinis Calatrauæ.

Cordoua, antiquitus *Corduba*, in Bætica, habet S. Zoilum cu 19. Sociis, Martyrol: 27. Iunii. Item Acaselum S. Marcelli filium, cu sorore Victoria, tribusque filiisque Fausto, Ianuario & Martiali

Octobr

Octobris. Item S. Secundinum, S. Lupum, Narcissum, Æmilianum, Hieremiam, Olympium, Parmenionẽ, aliosq; prope innumerabiles quos Io. Marietta hic enumerat, vitasque descripsit. & S. Eulogius singulari libro Cordubensium Martyria. Episcopos habuit Gregorium, & Osium Episc. de quo ambigi video: periisse Arianismo plerique putant: negat Baronius Card. Tomo 3. Annal. Ecclesiast. ad annum Christi 357. affirmat Io. Mariana lib. 4. Annal. Hisp. Cap 17. Cordubenses fuere sed Ethnici Seneca Rhetor eiusque filius Stoicus Philosophus, Neronis præceptor: item Lucanus poeta Senecæ patris ex Mela filius. Item Sextilius Hena vel Hemina, ac Porcius Latro Declamator; Arabes item, Auicenna Medicus, & Auen. Ruys Philosophus Commentator dictus. Hic natus & Io. Mena poeta, & Ambrosius Moralis historicus, qui de hac patria vrbe Tomo 2. Annalium suorum.

Ciuitas Roderici, qua itur Salmanticam, ædes est sacra Dominicanorum Sodalium in honorem B. Virginis, dicta Penna de Francia, ab exteris etiam frequentata.

Camora, Episcopum habuit S. Auillanum Ordinis S. Benedicti Tarraconensem. colitur 5. Octobris. Tenet & corpus S. Ildefonsi, capta à Mauris Hispania eo traductum 13. Ianuarii.

Cæsaraugusta, vulgò *Caragosa*, ædes hic relligiosę frequentatæ ab incolis B. Virginis in Columna, in qua S. Iacobo Apostolo apparuisse traditur. Innumerabiles hic quoque Martyres passi sub Deciano: quorum dies festus 3. Nouemb. Hic Engratia Lusitana cum octodecim Sociis passa 16. Aprilis in Martyrol: celebranturque hymno Prudentii. & asseruãtur corpora apud Hieronymianos. Hic & S. Lambertus agricola, qui capite truncatus, manu tenuit, vt de Areopagita fertur. Episcopum hic egit S. Valerius de quo in Vincentii Martyrio legas, & in Fastis 29. Ianuarii. Item S. Braulius in 4. Synodo Toletana creatus, cœlitus igne misso seditque annos amplius viginti, coliturque 26. Martii. Seruatur & in summa æde Magistri Epilæ Martyris corpus, cæsi ab hæreticis an. 1490. Concilia hic tria celebrata.

Carthagena, olim *Carthago Spartaria*, à sparti copia. primum tulit Hesychium S. Iacobi discipulum 15. Maii. Item Eugenium 13. Iunii. Item Fulgentium fratrem Leandri, Isidori & Florentinæ 16. Ianuarii. Item Martyres hic passi Natalius, Speratus & Cyrinus cum Coniugibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Coimbra, quæ olim *Conimbrica*, in monasterio S. Crucis Theotomus colitur Prior Canonicorum Regularium S. Augustini: ibidem corpora quinque Martyrum ex Marueco Africæ discipulorum S. Francisci, SS. Petri, Adiuti, Accursii, Othonis & Gerardi. Hic quoq; S. Isabellæ Reginæ Portugaliæ corpus, quæ filia fuit Iacobi Regis Aragonum, vxor Dionysii Regis Portugaliæ, obiit 4. Iunii, anno 1336. apud Prædicatores S. Pelagii corpus, qui vixit anno. 1240.

Compostella. Huc allatum B. Iacobi corpus, & duorum discipulorum Athanasii ac Theodori, colunturque 25. Iunii. Episcopos habuit S. Rodesindum, cui festum Cal. Martiis; & Thedemitum Episc. cuius tempore corpus Apostoli eo delatum. Habuit & alios Episcopos tres, Seruandum, Wiliulphum & Pelagium: quorum corpora in Galetia asseruantur.

Cuenca, Lat. *Concha*, Episcopum habuit *S.* Iulianum Burgis oriundum, coliturque 28. Ianuarii: vrbs asperis rupibus imposita; hinc vulgo iactatur, cæcis non esse conditam: cingiturque duplici flumine Xucar, & Guecar.

Calahorra, *Calagurris*. Patronos habet Emeterium, & Chelidonium S. Marcelli Legionensis filios 3. Martii. Reliquiæ hic SS. multæ, corpusque S. Millam ac Felicis Eremitæ & Potannæ, atque Auriæ, aliorumque discipulorum.

Caleruega, oppidum Vxamẽsis Episcopatus, patria S. Dominici Prædicatorii ordinis conditoris: non autem Calagurris, vt vulgo creditur, quę Fabii Quinctiliani patria est: illius festum 4. Aug. celebratur, nobili Guzmannorum sanguine ortus: auoque è stirpe Regia Castellæ, vt prodit Ambrosius Moralis in Annalibus. Obiit Bononiæ 5. Aug. anno 1221. decimo post anno à Gregorio nono Pont. Max. Sanctis adscriptus est.

Daroca, oppidũ Aragoniæ. Hic corporis Dominici corporalia vt vocant, sanguine aspersa visuntur, & asseruantur. Historiam narrant incolæ & Ludouicus Granatensis 1238. prodigiose gestam, Rege Aragonum Iacobo I.

Euora, olim *Ebora* Episcopatus Lusitaniæ Metropolis, de cuius antiquitatibus Andreas Resendius incola & alii. Episcopum primum habuit S. Mantium Martyrem, qui à Christi morte primus ibi Euangelizauit, coliturq; 21. Maii. Corpus vero asseruatur iuxta Methymnam riui sicci, in Benedictinorum Cœnobio, S. Mantio Patrono.

Ecija.

Ecija, in Bætica, *Astigi* antiquitus. Episcopum habuit S. Fulgentium, fratrem SS. Leandri, Isidori, ac Florentini, fuitque postea Carthagine Episcopus. Floruit & S. Florentina, coliturque 20. Iunii. Aiunt hinc oriundum Hierotheum S. Pauli Apostoli discipulum ac Dionysii Areopagitæ magistrum, coliturque in Martyrol. 4. Octobr.

Froniesta Villa Diœcesis Palentinæ. Hinc oriundus S. Telmus Ordinis Prædicatorum, qui antea Petrus Gondisaluus dictus, coluntque Tudenses festũ diem postridie Dominicæ Quasi modo 14. Aprilis.

Girona, Latine *Gerunda*: hic Martyrium passi S. Narcissus, vrbis Episcopus, cum Felice Diacono sub Aureliano. solennis illi dies 18. Martii. Passus & hic alter Felix S. Cucuphatis frater in Martyrol: 1. Aug. Colitur & S. Dalmatius Episc. & Martyr 4. Decemb. Fuit & hic Ioannes Abbas Biclarensis, Lusitania oriundus, idemque Historicus.

Gimaraes, Portugalliæ vrbs iuxta Bracaram. Hinc oriundum faciunt S. Damasum Papam: alii verò Matritensem, Antonius verò Tarraconensem, esse volunt; Colitur 11. Decembris. Eius æqualis B. Hieronymus. Hic S. Gonsaluus Amarantus Dominicanæ familiæ adscriptus 10. Ianuarii, à Lusitanis colitur.

Guadalupense monasterium B. Virginis, ad aquas Lupias. imaginẽ eam esse accolæ tradunt, quam & S. Lucas pinxerit, & quæ Gregorii Papæ temporibus grassante Romæ pestilenti lue dum gestatur, accinuisse Angeli feruntur Hymnum illum, *Regina cœli Lætare*, *alleluia* &c. templum Alfonsus 11. Hispaniarum Rex exædificauit. Ioannes vero I. Hieronymianis sodalibus templum & imaginem credidit.

Granata olim *Illiberis*. Primus huius iam à Mauris receptæ Episcopus Ferdinandus Talauera, academiamque ibidem constituit, Ferdinandi Hispaniarum Regis temporibus. Tradunt B. Iacobi discipulum S. Cęcilium primum hic Episcopum egisse, Martyrio affectum Cal. Februarii, cum sociis Patricio & Septentrione: alterum item Hesychium cum discipulis Turulo, Paphnutio, Maronio & Sentulio, Cal. Martiis. Item Cresiphon Episcopus. De his S. Iacobi Apostoli discipulis Io. Marietta de vitis SS. Hispaniæ, lib. 1. Cap 14. copiose agit: rursumque lib. 22. pag. 25. Nomen vrbi vulgò inditum à granis mali punici, quod pomi genus Granadas Hispani hodieque

nominãt. Incepit verò L. Marineus Siculus lib. 5. Chronicorum, qui Granatam scribendum nominandumque contendit à *Nate* virgine quam Mauri coluerũt. Illiberis potius dicta antiquitus, aut finitimũ oppidum, in quo habitum Illiberitanum Concilium. de quo singulari volumine nuper disseruit Ferdinandus Mendosius.

Osca, hodie *Huesca* Aragonum vetus Academia iam inde à Sertorii Rom. temporibus. Tulit hæc, vt creditum, Leuitas duos Martyriique Athletas Laurentium, & Vincentium, quorum exuuiis triumphat Ecclesia. Ille Romæ : hic Valentiæ ad mortem depugnauit. Illius festus dies in Ecclesia 10. Augusti, cum vigilia illi propria, huius 21. Ianuarii. seruaturque Olisipone, celebratque carmine & Prudentius, & And. Resendius Lusitanus. Oscæ quoq; coluntur Orentius & Patientia B. Laurentii parentes 4. Maii: item Nunilus & Allodia. 21. Octob. Orontius hic quoq; Episcopus B. Laurentii frater 15. Martii. item Victorianus Abbas & Cõfessor 19. Ianuarii.

Leon, Lat. *Legio*, 7. Sancti hic coluntur Marcellis Centurio, cum coniuge Nonia (29. Octobr.) ex qua liberos sustulit 12. qui & vna martyrio coronati traduntur.

Claudius, Lupercius, Victoricus, Emeterius	&	Germanus, Faustus, Ianuarius, Martialis.
Chelidoni⁹, Seruantus		Aciscelo, Victoria.

Monasterium hic S. Claudii Benedictinorum, cuius olim Abbas S. Vincentius Martyrio hic affectus anno 868. 12. Septembris: asseruaturque corpus Oueti. Hic & SS. Ramirus & Froilanus, & Aluitus ac Pelagius. Hic in Cœnobio Canonicorum Regularium corpus asseruari aiunt S. Isidori Hispalensis Episcopi, Iratis, Leãdri, Fulgentii, ac Florentinæ : obiitque anno 636. 4. Aprilis colitur. patronusq; est Monasterii: vbi & S. Martini Canonici reliquiæ.

Lerida, Latinè *Ilerda* traiectis hodie leuiter litteris. Martyrio hic coronatus Anastasius cum 70. sociis : item Sergius apud Dominicanos asseruatur Thomas Carnicer, præceptor B. Vincentii Ferrerii, & huius etiã discipulus Io. Ceralta. Floruerunt anno 1409.

Lubane, Monasterio Benedictinorum in Diœcesi Burgensi S. Thoribius situs Asturicensiũ Episcopus Cœnobii conditoris. Obiit an. Christi 460. colituraq; Asturicæ 16. Aprilis. Hic & Innocentium pue-

rorum corpus ab Herode iugulari iussum, aliæq; reliquiæ asseruantur.

Lucronium, hodie *Logronno*, ad Iberum fluuium elegans oppidũ : Iuliobrigam nonnulli iudigitant. Corpus asseruat S. Prudentii Episcopi Turiasonensis in Cistertiensium Cœnobio, 28. Aprilis. Floruit anno 1126. Alii Naiaræ asseruari tradunt.

Lisboa, olim Olisipo, num ab Vlysse conditasit, vt vult Solinus. De huius situ Damian⁹ à Goes, & Andreas Resendius Lusitani. Martyres colit Verissimum, Maximam, & Iuliam eodem parente genitos simulque Christo renatos sub Diocletiano, colunturq; Cal. Octob. Hinc & oriundus Antonius de Padua cognomento, cũ Olisiponẽsis esset, quod Paduæ (quæ olim Patauium dictum) obierit anno 1231. 13. Iunii. Hunc insequenti anno Gregorius 9. P.M. Diuorũ adscripsit numero. Asseruatur & hic S. Vincẽtii Martyris Valẽtiæ passi corpus, coliturque 21. Ianuarii. Hinc Henricus Rex corpus Algarbiis in vrbem transferens Olisiponensibus insignia aptauit.

Merida, olim *Emerita*, in Lusitaniæ finibus. Episcopos habuit S. Paulum & Fidelem natione Græcos. ille huius patruus fuit. Habuit & Episcopos S. Mansonam : item Renouatum successorem habuit. S. Eulalia Virgo hic martyrio coronata cum Iulia Socia, colunturq; 12. Februarii. Ouetum corpus translatum hodieque asseruatur. Passi & hic Victor, Eutychius, & Antigenes Antiochenus, fratres: quos fasti sacri Bedæ & Vsuardi 24. Iulii commemorant. Hic quoque Germani Martyris reliquiæ filii Marcelli Legionensis, qui cum Seruando fratre 23. Octob. Martyres obierunt. Hic Concilium celebratum 12. Episcoporum, anno 776. Recieſuindi. 18.

Osma, olim *Vxama* Episcopatus Castellæ veteris, Episcopum habuit Didacũ Azebezium cum quo B. Dominicus cõtra Albigenses disputando pugnauit. Obiitque an. 1207. Habuit & Petrum Episcopum, Victoria natum in Cantabria. sed Osmæ cognomentum ab Episcopatu, adhæsit.

Orensis ciuitas, & Episcopatus Galeciæ paret metropoli Compostellę, vt & Tudensis ac Lucensis Episcopus. Episcopũ habuit Anfurium & Vimarasium, quorum corpora Riba de Silio Monasterio Benedictinorum asseruanrur. Marina quoque Virgo & Martyr in summa æde asseruatur, coliturque 18. Iulii: Item Eusemię Virginis & Martyris corpus, cui festus dies 16. Septemb. agitur.

Ouiedo, olim *Ouetum*: In S. Saluatoris templo plurimæ Diuorum

reliquiæ, & coluntur 13. Martii. aliorumque quę à Mystagogis ostendantur quotannis. Item S. Eulogiæ & Lucretiæ Martyrum, 9. Ianuar. Habet & in Camera sancta S. Vincentii Abbatis & Martyris reliquias, recitaturque officium 12. Septemb. Item S. Eulaliæ Virg. & Mart. Emeritensis, 10. Decemb. Hic & S. Leucadiæ Virg. & Martyris corpus olim asseruatum, sed à Franco quodam inde in Belgium translatum, rursumque inde Toletum relatum, auspiciis Philippi. 2. Regis, & Sixti V. Pont. Max. anno 1578. Item S. Pelagus Cordubæ passus, 26 Iunii. Duæ hic Synodi habitæ prima an. 852. altera 17. Episcoporum anno. 900.

Palentia, Castellę veteris ciuitas flumini Carrioni appe sita. Hic Corpus S. Marty Martyris Eborensis Episcopi. Hinc oriundus Petrus Gunsales Telmus Dominicanus, cuius Tudenses corpus seruant. Ex oppido huius Diœcesis Torquemada, duo illustres prodiere Ioannes Torquemada Cardinalis insigniter doctus, scripsitque varia. obiit Romæ an. 1498. Alter Thomas Torquemada quæsitor fidei, qui Dominicanis suis Cœnobium Abulæ constituit, decessitque vita anno 1499.

Pamplonæ, olim *Pompelo*. Primus huius Apostolus & Euangelii præco Tolasatum in Francia Episcopus & Martyr, coliturque 29. Nouembris. Hic natus S. Firminus Episcopus, illius Discipulus & post Martyr: coliturque 10. Octobris: Martyrologia 26. Septembris collocant: & Ambiani Martyrio coronatum.

Portus, Lusitaniæ ciuitas & portus qua Durius in mare profluit: vnde & à Gallis Portugaliam nominatam plerique existimant in his And. Resendius antiquitatis in paucis peritus.

Salamanca, antiquitus *Salmantica*: hic apud Augustinianos sodales corpus Ioannis Sahagun Professoris ibidem: obiitque anno. 1478. Ledesme in oppido, Nicolaus Martyr.

Segouia, Lat. *Segobia*. hic pons antiquus spectatur Traiani, vt creditur, opus. Hic in summa æde corpus Mariæ Saltos è Iudaismo conuersæ.

Santaren, olim *Scalabis* in Lusitania à S. Irene sic dicta creditur: quæ in Lusitania passa, huc flumine secundo delata est.

Sahagun, Castellæ veteris in Legionensi Dioecesi oppidum: corrupto vt creditur nomine, à S. Facundo Martyre in Cœnobio Ben edictinorum, vbi & Primitiui corpus asseruatur, coliturque 26. Nouembris. Hic & S. Lombrosæ corpus, in quo & Bamba Rex Monachus fuit.

Seuilla,

Seuilla, quõdam *Hispalis*, Episcopum habuit S. Leandrum Gregorii Papæ æqualem, & amicum, qui & libros Moralium in Iob eidem misserit, obiitque anno Christi 600. die verò 13. Martii, quo & festo die colitur. Huius frater S. Isidorus in Episcopatu successit, singulari vir doctrina, & scriptorum auctor variorum, maximè verò Etymologiarum ac Sententiarũ de summo bono. Decessit hic anno 615. coliturque 4. Aprilis, vt Ecclesiæ doctor. Corpus eius Legione seruatur, à Rege Ferdinando Magno eo traductum, anno 1074. die vero 20. Decemb. Hic & natus ac Martyriũ passus Hermenegildus Hispaniæ Princeps, Leouigildi Regis Gothorum filius, obiitque 584. die 13. Aprilis, quo & ab Hispanis colitur, Sixti V. indulto. Hinc & oriundus Fulgẽtius, primo Astigitanus, post Carthaginensis Episcopus S. Leandri, Isidori & Florentinæ frater, coliturque 16. Ianuarii.

Martyrologia 8. Octobr. Petrũ quendam Hispalensem Martyrem nominãt. Hinc & Adultus & Ioannes Martyrio Cordubæ affecti anno 855. die 27. Septembris. Hinc etiam natæ Iusta & Rosina, sub Diocletiano passæ, coluntur que 17. Aprilis. Hic & Archiepiscopus S. Laureanus Pannonius, de quo in Martyrol. 4. Iulii. Beda, Vsuardus, asseruantur, & S. Seruandus, S. Marcelli Legionensis F. Hispalenses: & Carpophorus Sacerdos, & Abundus Diaconus hic sub Diocletiano passi 10. Decembris. Asseruatur & S. Florentius Confessor & S. Flora, Maurorum Regis filia, Cordubæ passa cum Maria Virgine anno 851. die 24. Nouemb.

Duo & hic Concilia habita, primum sub Leandro octo Episcoporum anno 590. alterum sub Isidoro 7. Regni anno Sisebuti: Christi verò 619. contra Acephalos, octo item Episcoporum. Academia & hic instituta, à Roderico Santella & post Didacus Deza Cardinalis, & Archiepiscopus Ord. prædicatorum Cœnobium S. Thomæ Aquinatis titulo ibidem erexit. Mogardus quidam Vrbis huius antiquitates commemorat.

Siguenza. Lat. Seguntium, in Aragonum finibus est. Academia & hic ab Archidiacono templo Ioanne Lopetio ad S. Hieronymum constituta. Episcopus hic Maurorum temporibus S. Sacerdos Confessor, coliturque ibidem 5. Maii. Hic & corpus S. Liberatæ Virginis, & Martyris 18. Ianuarii, cum 8. Sororibus Martyrium passis.

Tarazona, olim *Turiaso*, in Aragoniæ finibus: Episcopum habuit S. Prudentium Cantabrum, non procul Victoria oriundum colitur-

que 28. Aprilis. Corpus iuxta Locronium Bernardinorum in Cœnobio. Hic & Episcopus S. Guadiosus: colituq; 3. Nouemb.

Tarracona Lat. *Tarraco*, Caput citerioris olim Hispaniæ. primum habuit Præsulem Fructuosum & Martyrem, cum Eugeri & Eulogio Leuitis, 21. Ianuarii: Imperante Valeriano & Galieno. Meminit illius Prudentius & forte Augustinus in Sermone Passus & S. Maximus. Tarraconensem quoque faciunt Paulum Orosium. Patronam colit vrbs B. Theclam Pauli discipulam Virginem ac Martyrem. Hic etiam Attilanus Zamorensium Episcopus: colituque 5. Octob.

Toledo, Lat. *Toletum*. Ædes summa à Ferdinando 3. Castellæ Rege & Roderico Ximenio Archiepiscopo ædificari cœpit. Primatum sibi totius Hispaniæ vindicat repugnantibus interim Tarraconensi & Bracarensi. Sedes olim Gotthorum Regum fuit. Sacra hic B. Virginis imago: multæque ad stuporem reliquiæ crucis Dominicæ, Spineæ Coronæ, &c. de quibus Stephanus Garibaius Cãtaber lib. 3, Annalium Cap. 5. & singulari libello Blasius ordinis ibidem canonicus. Primum hic Archiepiscopus & Martyr S. Eugenius Areopagitæ discipulus: coliturque 15. Nouemb. quo die passus, & an. 1565. inde Toletum relatus est. Habuit & S. Euphemium qui 25. Episcopus fuit: & Montanum qui 21. Hic & Helladius Episcopus. Fuit hic Eugenius 2. & 3. cui S. Ildefonsus 33. Episcopus succedens Obiit 669. celebraturque 23. Ianuarii. Toletana fuit & Leocadia & S. Gumesindus Sacerdos Cordubæ passus. S. Innocentius & S. Casilda Virgo: item Fulgentius & Martinus Ruisius ordinis Minorum. Hic & S. Soteris Papæ & Martyris: nec non Germani Episcopi & Confessoris, colituq; festo Calendis Octob. Porro S. Leocadiæ virginis ac Martyris Lipsanæ de Hispaniæ in Belgium translata clade nimirum, Hispaniæ ab Afrio & Mauris illata. sed quo auctore non satis constat. illud certum Henricũ de Berges Cameracensem Episcopum anno 1491. eius reliquias religionis ergo visitasse & precibus Philippi 1. & Ioannę coniugis, (qui Caroli 5. Imp. parentes erant, quo anno hic Gandaui natus est MD.) partem in Hispaniam misisse, & verò reliqua omnia impetrata à Philippo 2. ἀναγράπτῳ, & Gaspare Quiroga Card. & Archiepiscopo Toletano: cum è Gislenio Hannoniæ monasterio transuectæ Toletum reliquiæ S. Leocadiæ, pompa insigni ac festo ann. Christi MDLXXXVII. versusque conscripsit varii generis laudationis plenos Ant. Couarruuias Didaci frater, ibidem Canonicus & Petrus Pantinus Belga: quæ carmina Plantinianis typis exstant. Inerant vero membranis hæc inscripta.

HIC REQVIESCVNT RELIQVIÆ S. LEOCADIÆ VIRGINIS, ET MARTYRIS, QVÆ TEMPORIBVS DIOCLETIANI, ET MAXIMIANI A PRÆFECTO HISPANIARVM DATIANO, APVD TOLETVM, DIRA CARCERIS CVSTODIA, MACERATÆ EST. V. IDVS DECEMB.

Vide Vsuardi, Bedæ, Adonis Treuirensis, & Baronii Card. Martyrologia.

Concilia hic 18. celebrata; nostraque memoria 19. Præside Gaspare Quiroga Cardinali & Archiepiscopo, regnante Philippo 2. Academia & bonarium artium à Franc. Aluares Toletano cõdita, ad annum 1490. sub Innocentio 8. approbante & Leone 10. & Carolo 5. Dotata post à Bernardino Alcarazio.

Vallisoletum, olim *Pinthia*, in Castella vetere. Acãdemia & hic studiis clara, & collegium à Petro Gonsalez Mendozio Archiepiscopo Toletano Cardinali ædificatum, titulo S. Crucis: alterum item S. Gregorii titulo ab Alfonso Burges, Palentino Episcopo, Ordinis Prædicatorum sociis suis anno 1496. constitutum: ex quo tanquam ex equo Troiano insignes aliquot, Præsules & Antistites Prædicatorii ordinis prodierunt.

Valentia, regni caput in Celtiberia. Martyrio hic coronatus Vincentius Diaconus sub Diocletiano: colituq; 22. Ianuarii. corpus Olisipone asseruari confirmant. Item Vincentius Ferrerius Dominicanæ familiæ. obiitque anno 1418. die 5. Aprilis. Hic & S. Dominicus, & amator Espius, ac Michael Fabra Ordinis Prædicatorum. Item Ludouicus Bertrandius & Io. Miconis, obiitq; anno 1550. aliique plures à Vincentio Iustiniano Antistio in vita S. Ludouici Bertrandii recensiti. Item P. Nicolaus Factor, Ordinis S. Francisci, obiit an. 1583.

Victoria prouinciæ Alabæ Metropolis, apud Cãtabros. SS. protulit S. Dominicum de la Calzada; colituque 12. Aprilis. item S. Petrum Vxamensem Episcopum, ac Prudentium Tutiasonensem Episcopum. item Victorem agricolam. S. Faustus Engratiæ comes martyr hinc oriundus. Item S. Theodosia & S. Formerius ac Sigismundus Benedictinorum Monachus. Sed hæc in Sanctis Hispaniæ commemorandis sufficiant.

NOMINA EPISCOPATVVM HISPANIAE, Wamba Rege, ex Ioan. Mariana Annal. Hisp. lib. 6.

CAP. XV.

VETERES vrbium sedes, exstinctaque variis casibus oppida, & post exordium renatæ aliis sæpe nominibus, ex Wambæ Regis diœcesum diuisione cognoscere non erit incommodum, & quibus Metropolitanis singuli Episcopatus contributi essent, explicare vniuersim operæpretium fore arbitror, nam de singulorum finibus, quibus descripti erant, laborare non attinet, temporum longinquitate rebus omnibus ab antiquo mutatis. Toletano præsuli Oretanus Episcopus subiectus erat. Exstat *Oreti* vestigium, octo passuum millibus ab Almagro municipio, Virginis Matris sacellum cognomento *Oretanæ*, atque ex eo loco Almagrum translati lapides *Oreti* nomine inciso. Biatia, quæ hodie *Baeza*. Mentesa, quæ nostræ ætate *Montizon* nuncupatur versus Casorlam sita, & à Duce olim Mauro excisa, auctore Roderico, quo tempore à Mauris euersa est Hispania. Acci, hoc est, *Guadixium*. Basti, *Baza*. Vrci, quibusdam hæc *Almeria*, aliis *Murcia* fuisse creditur. Bagasta. huius vrbis nullum vestigium exstat, tantum versus Orihuelam sita fuisse putatur, tum ex locorum ordine, tum ex portæ Magastri nomine, quæ in ea vrbe est indicio. Ilici, *Helsche*. Setabis *Xatiua*. tum nomen retinens Denia, quæ antiquioribus Dianium fuit. & Deniæ vicina Valentia. Sequitur Valeria, quæ hodie vulgo *Valera cremata* dicitur. Segobrica, huius vrbis vestigia ab Vrcesia octo passuum millibus in oppido, quod Græci caput vocatur, exstare eruditiores habent persuasum: nam qui Segorbium putarunt, nominum eos similitudo misit in errorem. Arcabica, hæc olim Segobricam inter & Complutum sita fuit: fortassis quæ Ptolemæo Percabica est. Præterea quarum appellationes notæ sunt, Complutum, Segontia, Vxama, Segobia, Palentia. Itaque Toletum sacræ ditionis fines vltra Carthaginensem prouinciam, cui proprie præfecta erat, Gotthorum etiam ætate extendebat: nam hæ omnes vrbes atque earum Episcopi à Toletano Præsulæ sacra iura petebant.

Ab Hispalensi autem Metropolitano, Italica, quæ hodie *Hispalis vetus* est, ab Hispali sex passuum millibus dissita. Assidonia, quæ quibusdam *Medina Sidonia* est, ex similitudine appellationis argumento probabili: aliis Cæsarianum, indicio templi, quod in ea vrbe est Beatæ Virginis Seduegnæ nomine, & Rasis Maurus *Xeritium Seduegnæ* eam ciuitatem vocauit. Elepla siue *Niebla* sit, siue *Lepe*. Malaca, Illiberris, quæ olim vrbs supra Granatam octo passuũ millibus posita fuit, in monte qui ab ea vrbe Eluiræ hodie nomen habet. Astigi hæc est *Ezigia*. Corduba, atq; quæ hodie prope Vaenam *Cabra* vulgò est antiquis *Egabrum*. tum Tucci, hoc est *Martus*. Atq; his finibus Hispalensis Præsulis ditio descripta erat.

Emeritæ Metropolitanus subiectis vrbibus, & earum Episcopis iura dabat: Paci Iuliæ, (hodie *Begia* est in Lusitania.) Olisiponi, quæ Gotthis Olisipona fuit, vrbs nostra ætate diuitiis & amplitudini nulli Europæ secunda. Eboræ (Gotthis *Elboræ*,) Tudensis *Talaueram* esse dixit in Carpetanis. Oxonobæ, quæ eruditis *Estombar* hodie esse creditur, prope Silues constituta. Igeditaniæ, oppidum in Lusitania exstat, Idaniæ veteris nomine. Conimbricæ, cuius vestigia octo millibus passuum, à noua Conimbrica monstrantur, veteris Conimbricæ nomine. & quæ nomina fermè retinent Viseum & Lameecum. præterea Caliabræ, quam vrbem Tudensis & Marinæus *Montaugium* esse suspicantur, coniectura haud satis probabili. Salmanticæ (Gotthis Salamantica.) Numantiæ, hoc est, *Garay*. Abulæ, Cauriæ. Atq; hactenus de Emeritensi prouincia.

Bracaræ hæ vrbes contributæ erant, Dumium, quod hodie monasterium exstat; prope Bracaram. Portucale, qua se Durius euoluit in mare, vnde Portugaliæ nomen ipsi vrbi primum, deinde toti prouinciæ ab oppido Cale factum, quod hodie oppidum *Caia* dicitur. Tude Auria, & cui hodie Padrono nomen est Iria Flauia, in eodẽ numero sunt. præterea Lucus Augusti, Brittannica, siue Bretonia, quæ Lucam præter & Asturicam sita erat: hodie à Mindomensi vrbe octo millibus passuũ oppidũ exstat nomine Bretagna. adhæc Asturica & Legio, quæ vrbes vulgò notæ sunt, & antiquis affinia nomina retinent.

Tarraconensis Metropolitani auctoritati subiectæ, vrbes sequebantur. Barcino (Gotthis Barcinona.) Egara, quæ vrbs præter Barcinonem & Gerundam olim sita fuit. atque his locis finitima Gerunda. tum Emporia & Ausona, quæ hodie in Catalaunis *Vique* dicitur cognomento Osona. Vrgelia, Herda, quæ duæ vrbes notæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt. & cuius sedes prorsus ignoratur Hictosa. Superioribus adiungebantur Dertusa, Cæsarauguſta, Osca Pompelo (Gotthis Pampilona,) Calagurris, Gotthis Calaforra) Turiaso (Gotthis Tirasona) Auca, cuius vrbis vestigia supra Burgos mõstrantur, vnde & Aucæ mõtes dicti, atq; hactenus Tarraconensis Metropolitani ditionis fines prolati.

Narbo veteribus (Gotthis Narbona) subiectis Episcopis & vrbibus iura dabat, legesq; sacrorum: primum Beterri, hoc est *Beſiers*, quæ vrbs Plinio quidē Blitera est deinde Agathæ, quæ hodie ciuitas siue Agde est, siue Mompellerium in Gallia Narbonensi. Magalone, quod nomen hodie retinet insula Volcarum prope Mompellerium. Nemauso, Lutebæ (hodie Lodebe) & quæ nomen retinet Carcasoni. præterea Helenæ, quæ hodie in agro Ruscinonensi Elna est. Sunt qui Tudensem, Lucensem, & Legionensem Episcopos affirment, siue Wambæ beneficio, siue ex antiquo ducta consuetudine, sui iuris fuisse, neq; vllius Metropolitani imperiũ & auctoritatē respexisse, haud satis idoneis in alterutram partem argumentis. Illud in confesso est, plura Episcopatuũ nomina in vetustis Conciliorũ actis exstare, quæ in Wambæ diuisione desiderantur, fortasse tempore rebus permutatis, aut quoniam vetera monimenta & schedæ multis in locis vitiata sunt Epagrensis, Carthaginensis, Castulonensis, Fiblarensis, Eliocrocensis, Eminiensis, Immonticiensis, Lamibrensis, Flotanus, Magnetensis, Labericensis. Quæ nomina nostra ætate ignota sunt, ac ne vrbium quidem omnium, earum sedes vbi essent, prorsus exploratum est: neq; deesset diligẽtia, si in rebus tam dubiis, qua se via certa panderet, ad inuestigationem veritatis.

CONSTANTINI DIVISIO EPISCOPATVVM.

Ex eodem libro. Cap. XVI.

VOD ante fumus polliciti, neq; hactenus præstitum est, Episcopatuum in Hispania diuisionem factam à Constantino Magno, vti Rasis Arabs est auctor, eius sententia nostris verbis subiicimus Latinè, post diuisionem Wambæ. Constantinus, inquit, multis vrbibus Episcopos dedit eo honore carentibus. Atq; Hispaniã cum esset renunciatum in magna agrorum bonitate, diuite cultu, incolarum frequentia, Christianorum numerosa multitudine, Episcopos non habere; consilio communicato, optimum fore iudicauit sex Episcopos

pos dare; qui metu omni sublato liberè religionem Christianam, & sacra populis promulgarent. Ergo viris idoneis ad se vocatis, ciuitates ad hunc modum distribuit.

Primum Narbo designata est, aliæq; septem vrbes cum potestate iura sacra populis dandi, moresq; castigandi. earũ hæc sunt nomina: Beterris, Tolosa, Magalona, Nemausum, Carcaso. in hac vrbe D. Mariæ gloriosæ ædes est, septem argenteis aris inclyta, frequentia populi religiosa, præsertim semel in anno maiori concursu multitudinis, sed & aliis temporibus celeberrima. Barcinone distat decem dierum itinere. Præter has Luteba & Helena, Narbonensi Episcopo sunt datæ.

Alteri Episcopo Bracara cessit: Dumio, Portulace, Auria, Ouero, Asturica, Britonio, Iria seu Compostella, Aliubra, Iffa, Tude contributis.

Proximus Tarraconẽsis Episcopus creatus est. Barcino, Auca, Morada (fortassis Gerunda) Beria (fortassis Emporiæ) Oriola, Ilerda, Dertusa, Cæsarauguſta, Osca, Pompelo, Calagurris sunt additæ.

Quartus Carthagine Episcopus institutus est. Toletũ, Oretum, Satabis, Segobrica, Complutum, Caraca, Valentia, Murcia, Biatia, Castulo, Montogia, Basta, Begena, (forte Bigastra) adiunctæ.

Quinto Emerita data est vrbs primaria. subiũctæ Pax Iulia, Olisipo, Egitania, Conimbrica, Lamecum, Ebora, Cauria, Lampa (quid si Salmanticam legas, aut Lamam nunc contributam Mirobrigæ Lamasi nomine?)

Postremum Hispalis Episcopũ habuit. Hispali iura petere iussę sunt Italica, Seritium Assidoniæ, Niebla (Romanis Elepla) Malaca, Illiberris, Astigi, Egabrũ. Sic Hispania omnis à Constantino Augusto in sex Episcopatus tributa est. Quo maior esset auctoritas, religioniq; suum caput constaret, imperandiq; potestas: ipse quidem Constantinopolim concessit, seque, vt priores Romæ, eius vrbis Regẽ dixit: sanciẽs præterea, vt Romæ Domino ceteri Christi cultores obtemperarent: quẽ ipsi Dominũ Christianorũ eorum, qui è sacrato ordine erant, & sanctum vocari soliti erant: ob acceptã à Petro Apostolo potestatem, quam illi Christus crediderat. Hæc sic Maurus ait: Cõsentit auctor historiæ, quæ Alfonsi Castellæ Regis cognomento sapientis nomine circumfertur, diuisionẽ Episcopatuum in Hispania factam à Constantino Magno eodẽ ordine, quibusdã modo vrbium nominibus cõmutatis: vnde & ex Wambę diuisione, atq; ex conie-

ctura deprauatas haud dubium in Mauro nonnullas voces castigauimus sententia conseruata. *Archiepiscopos* vocare non sumus ausi, quos Mauros *Episcopos* vocat, religionis nostræ & graduum distinctionis ignarus scilicet, admonuisse sit satis.

EPISCOPATVS HISPANIÆ, HODIE.

DE EPISCOPATVVM DIVISIONE à Rege VVamba. Ambrosius Morales, lib. 12. Chronicorum, cap. 50. & Ioan. Mariana, lib. 6. Annalium Hisp. cap. 15. & 16. Rursum de diuisione sub Alphonso Rege. Idem Ambros. Tomo III. Chronicorum.

ARCHIEPISCOPI METROPOLITANI.

BArraconensis } de primatu Hisp. contendunt
Toletanus
Bracarensis
Valentinus.
Cæsaraugustanus.
Burgensis.
Compostellanus.
Hispalensis.
Olisiponensis.
Eborensis.
Granatensis.

SVB TARRACONENSI Archiep. Episcopi. 6.

BArcinonensis.
Dertusanus.
Ausensis, vulgò Vicensis.
Helenensis, vulgò Elnensis.
Vrlegitanus.
Ilerdensis.

SVB TOLETANO Archiepisc.

COrdubensis.
Conchensis.
Siguntinus.
Iaensis.
Murciensis seu Carthaginensis.
Vxamiensis.

SVB BRACARENSI.

Algarbiensis, seu Siluensis.

SVB VALENTINO ARCHIEP.

ORiolanus.
Segorbicensis.
Sætabensis.

SVB CAESARAVGVSTANO.

OScensis.
Iaccentanus.
Balbastrensis.
Turrianensis.
Albaracensis.
Tirolensis.

SVB BVRGENSI.

PAmpelonensis.
Calagurritanus.

SVB COMPOSTELLANO.

AVrriensis, hodie Orensus.
Mondonedo.
Pacensis.
Tudensis.
Placentinus.
Lucensis.
Salmanticensis.
Ouetensis.
Zamorensis.
Asturicensis.
Paurensis.
Palentinus.
Legionensis.
Ciuitatensis.

SVB HISPALENSI.

MAlacitanus.
Gaditanus.
Canariensis.

SVB GRANATENSI.

GVadixensis.
Almeriensis.

EPISCOPI HISPANI IN CONCILIO ILLIBERITANO PATRVM NOVEMDECIM.

FELIX Antiquitanus.
Sauinus Spalensis.
Sinagius Bigerrensis.
Pardius Mentesanus.
Catonus Corsicanus.
Valerius Cæsaraugustanus.
Melantius Toletanus.
Vincentius Ossonobensis.
Successus Eliocrensis.
Patricius Malacitanus.
Osius Cordubensis, in Conc. Niceno & Gangrensi.
Camerius Tuccitanus.
Secundinus Catraleucensis.
Flauinus Eliberitanus.
Liberius Emeritanus in Conc. Arelat. 2.
Decentius Legionensis.
Ianuarius Sibariensis.
Quincianus Elborensis.
Enticianus Bassitanus.

EPISCOPI HISPANI, IN SECVNDO ARELATENSI CONCILIO.

NAIALIS presbyter } Orcelensis.
Ceterius Diaconus }
Sabinus presbyter Bæticus.

Probatus presbyter } Tarraconen.
Castorius Diaconus }

Clementius presbyter } Cæsarauguſt.
Rufinus exorciſta }

Trimanus presbyter } Trebeſtenſis.
Victor Diaconus }

EPISCO-

EPISCOPI HISPANIÆ, IDEMQVE MARTYRES.

EX LIB. I. HISTOR. ECCLES. Iohan. Mariettæ.

BSATVRNINVS Toloſarum Epiſcopus & Martyr 29. Nouemb. Surius Tomo 6. Greg. Turonenſis *de gloria Martyrum*, Cap. 48.

S. FIRMINVS Pampelonenſis Epiſcop. 10. Octobr. Theſaurus Concionatorum Thomæ Truxilli Tomo 2. pag. 1779.

S. EVGENIVS primus Toletanorũ Epiſc. & Martyr 15. Nouemb. Ioan. Mariana lib. 10. Annalium Cap. 20. de eius translatione.

S. MANCIVS Eborenſis Epiſcopus. 21. Maii. Theſaurus Concionat. Tomo 2. pag. 1129.

S. PETRVS Martyr primus Bracarenſium Epiſc. 26. Aprilis.

S. FRVCTVOSVS Tarraconenſium Epiſcopus cum ſociis duobus Diaconis 21. Ianuarii. L. Surius Tomo. 1. L. Marineus lib. 5.

S. SEVERVS Barcinonenſium Epiſc. cum ſociis 6. Nouemb. Theſau. Concionat. Tomo 2. pag. 2019.

S. GERVNTIVS Italicenſis Epiſc. 25. Auguſti.

S. LAVREANVS Hiſpalenſis Epiſc. 2. Iulii.

S. ANTONIVS Valdiuieſſus Ord. Prædicat. Niquarage in India Occident. Epiſcop. & Martyr.

S. VINCENTIVS Valuerda. eiusdem Ordinis, Epiſcopus Cuzcenſis & Martyr.

PONTIFICES ET EPISCOPI HISPANIÆ CONFESSORES.

EX LIB. V. HISTOR. ECCLES. Iohan. Mariette.

S. DAMASVS Pontifex 11. Decembris. Ioan. Mariana lib. 4. Annalium cap. 19. Surius Tomo 6. Theodoretus, Rufinus & Cassiodorus. & B. Ambrosius lib. 5. S. Epist. 30. Hieronymus Tom. 1.

S. VALERIVS Cæsaraugustanus Episc. 29. Ianuar. Prudentius Hymno 4. περὶ στεφάνων.

S. PACIANVS Episc. Barcinonensis. 9. Martii. B. Hieronymus de Ecclesiast. Scriptor. cap. 116.

S. GREGORIVS Cordubensis Episcopus 24. Aprilis.

S. DICTYNVS Asturicensis Episc. 2. Iunii.

S. TORIBIVS Asturicen. Episc. 16. Aprilis. Ambr. Morales lib. 11. Chronicorum cap. 26. & Thesaurus Concionat. Tomo. 11. pag. 888. Leo papa Epist. 93. ad Toribium.

S. MONTANVS Episc. Tolet. Meminit S. Ildefonsus de viris illustribus. obiit ad annum 565.

S. IVSTVS Vrgelit. Episc. 28. Maii. Meminit S. Isidorus de claris Hisp. Scriptoribus.

S. IVSTINIANVS Episc. Valentinus.

S. NEBRIDIVS Agatensis Episc. Isidorus ibidem & Trithemius.

S. HELPIDIVS Episc. Trithemius, & Vasæus.

S. ABRIGIVS Pacensis Episc. de quo Isidorus.

S. FRODOARIVS Accitanus Episcopus vulgo Guadix.

S. ETERIVS Vxamensis Episcopus.

S. MARTINVS Dumiensis Bracarens. Episc. 20. Martii, Greg Turonensis lib. 5. cap. 37. & Isid. de claris Hisp. Scriptoribus.

S. LEANDER Ord. S. Benedicti Hispal. Episcopus 13. Martii, S. Gregorius Papa lib. 3. Dialogorum. Trithemius, & alii.

S. FVLGENTIVS Astigitanus Episc. in Bætica. 8. Ianuarii. Amb. Moralis lib. 11. cap. 26.

S. ISIDORVS Hispal. Episcopus 4. April. Ioan. Mariana lib. 6. Annal. cap. 7. Braulius & Surius Tomo. 2. S. Antoninus, Vincentius,

centius, Trithemius & alii. Legionem translatum corpus quiescit 20. Decemb. circa an. 1051.

SS. PAVLVS ET FIDELIS Episcopi Emeritenses.

S. PRVDENTIVS Episc. Turiasonensis. vulgo Tarrazona in Aragonia 28. Aprilis. Marineus lib. 5. Vaseus, & Thesaurus concionat. Tomo 2. pag. 967.

S. MAVSO Emeritens. Episcopus.

S. HELIADIVS Toletan. Episc. Ordinis S. Benedicti, 18. Februar. S. Ildefonsus de claris Scriptoribus, & Rodericus lib. 2. cap. 17.

S. IOANNES Cæsaraugustanus Episc. Benedictinus. Meminit Ildefonsus ibidem.

S. IOANNES Bubarensis Abbas, Gerundensis Episc. Ord. S. Benedicti.

S. BRAVLIO Cæsaraugustanus Episcopus 18. Martii. Scribit de illo Ildefonsus, & Marineus lib. 1.

S. IVSTVS Toletan. Episc. Ord. S. Benedicti. Ildefonsus ibidem.

S. RENOVATVS Emeritensis Episcopus ordinis eiusdem.

S. NONVITVS Gerundensis Episc. Ordinis eiusdem. apud Ildefonsum.

S. EVGENIVS 2. Toletan. Episc. Ord. eiusdem, apud Ildefonsum.

S. EVGENIVS 3. Toletan. Episc. Ord. eiusdem 13. Nouembris. De hoc Ildefonsus ibidem..

S. FRVCTVOSVS Bracarensis Episcopus Ord. eiusdem, 16. April. Io. Mariana lib 6. Annal. c. 8. & 9. & Concilium Toletanum 10.

S. INDEFONSVS Toletan. Episc. Ord. eiusdem 23. Ianuar. Surius Tomo 1. Mariana lib. 6. cap. 10. & Iulianus.

S. IVLIANVS Episc. Toletan. 8. Martii. S. Isidorus de claris scriptoribus.

S. VISTRENIRVS Toletan. Episcopus. Obiit anno Christi 851.

S. FROILANVS Legionensis Episc. Ord. S. Benedicti.

S. IOANNES Hispalensis Episcopus. Floruit an. 911.

S. ATTILANVS primus Zamorensis Episcopus. 5. Octob. Surius Tomo 5. Marineus. Thesaurus. & Tarafa.

SS. ANSVRIVS, ET VIMARASIVS Orenses Episcopi.

SS. GONSALVS, OSORIVS & FROALENSVS Episc. Conimbricensis.

SS. SERVANTVS, VILIVLFVS, & PELAGIVS Grienses Episcopi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. ALPHONSVS Asturicensis Episcopus & PETRVS. Hi nouem Episcopi in monasterio S. Stephani Ribæ Benedictinorum in Galæcia conditi iacent, colunturque 26. Ianuarii.

S. RODESINDVS Irienſis Episc. Calendis Martiis.

SS. PELAGIVS & AVITVS Episc. Legionenses.

S. GREGORIVS Bæticus Granatensis Episcopus 24. Aprilis. Meminit Hieronymus & Isidorus in Eccles. Scriptoribus.

S. GREGORIVS Episcopus Ostiensis in Nauarra 9. Maii. Thesaurus Concionat. Tomo 2. p. 1107.

S. IVLIANVS Conchensis Episc. 28. Ianuar. & translatio 11. April.

S. RVFVS Dortusanus primus Episcopus 14. Nouembr.

S. ARMINGOLDVS Vrgelitanus Episc. 3 Nouemb.

S. GERARDVS Bracarensis Episc. 5. Decemb. Obiit an. Chr. 1100.

S. MARTINVS Mendonedi Episcopus 20. Martii. Floruit anno Chr. 572.

S. THEODEMIRVS. Irienſis Episcopus.

S. GENNADIVS Asturicensis Episc. Benedictinus 25. Maii.

S. LVDOVICVS Tolosæ Episcopus Ord. Minorum, quiescit Valentiæ, festusque dies 29. Augusti. Vide Surium Tomo 4. & Antonium 3. parte, tit. 24. cap. 14.

S. DIDACVS AZEBES Vxamensis, Episcopus.

S. PETRVS Episc. Vxamensis Ord. S. Benedicti. 2. Augusti.

S. ORVNTIVS Episc. ad Aquensis in Gallia S. Laurentii Martyris frater, 15. Martii.

S. SACERDOS Episc. Siguencæ 5. Maii.

S. ODO VRGELITANVS Episc. 7. Iulii.

S. LICERIVS Ilerdensis Episc.

S. SECVNDVS Abulensis Episc. 2. Maii.

S. GAVDIOSVS Turiasonensis Episc. 3. Nouembris.

S. RAIMVNDVS Balbastri in Aragonia Episc. 21. Maii.

S. FVLGENTIVS Ruspensis Episc. Cal. Ianuarii. Obiit circa an. Chr. 500.

S. FERDINANDVS de Talauera Ord. S. Hieronymi Granatensis Episc. 14. Maii.

B. ALFONSVS TOSTATVS Abulensis Episcopus. Ioan. Matiettalib. 5. Cap. 95.

FR. XIMENIVS Tolet. Episc. & Card. Ord. S. Francis. 8. Nouemb.

CATALO-

CATALOGVS ARCHIEPISCOPORVM EX STEPHANO GARIBAY, Lib. 11. cap. 18.

1. SAnctus Eugenius. I.
2. SPelagius.
3. Patrumus al. Patronus.
4. Turibius.
5. Quintus al. Quiricus.
6. Vincentius.
7. Paulatius, al. Pauiatus.
8. Natalius.
9. Audentius. Hi nouem ex M. S. anni 1253.
10. Asturius an. Chr. 405. *eius vitã S. Ildefonsus in Catalogo scribit.*
11. Isicius.
12. Maioranus al. Martinus.
13. Castinus.
14. Melantius. *qui Conc. Eliberitano subscribit.*
15. Campeius.
16. Cintuacinus al. Sinticio.
17. Patronus.
18. Pramatius alias Proumatius vel Palmatius.
19. Petrus. I.
20. Celsus.
21. Montanus anno Chr. 507. *Sub hoc Secunda Synodus Toletana. Vitam eius habet ibidem Ildefonsus. Scripsit q; Epistolas duas.*
22. Iulianus. I.
23. Bacandus.
24. Petrus. II.
52. S. Euphemius.
26. Excipius al. Exuperius.
27. Adelphius.
28. Aurasius.
29. S. Helladius.
30. Iustus.
31. Eugenius. II.
32. S. Eugenius. III.
33. S. Ildefonsus. I. al. Illefonsus vel Alfonsus.
34. Quiricus al. Quiriacus vel Ciryacus, alias Quintius.
35. S. Iulianus II.
36. Sisebertus al. Sicarius, qui merito suo deiectus fuit.
37. S. Felix ex Archiep. Hispalensi factus Tolet.
38. Gundericus al. Guterius
39. Sinderedus *hic alii aliquot numerãtur incogniti, quos omitto vide Rodericum Ximeniũ in vita Roderici Regis Gothorum.*
40. Opas ex Archiep. Hispal. factus Tole.
41. Vrbanus qui tempore Regis Pelagii obiit.

Hoc tẽpore occupata à Mauris Hispania est, à quibus recuperata vrbe Tolet. frater Bernardus *Abbas monaster.*

42. Zahagun, Archiepiscopus Toletanus.
43. Raymundus al. Ramundus.
44. Ioannes I.
45. Celebrunus.
46. Gondisaluus I. *huic quidam subiiciunt Petrum de Cardona, sed à Roderico Archiep. omittitur.*
47. Martinus, quem idem Todoricus, qui ei successit Martinum Magnum vocat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

48. Rodericus Ximenius Nauarrus, nō Ioannes, vt quidam putant. *hic historiam Hispanis latine conscripsit*, factusq; primus Cancellarius mag. Castellæ.
49. Ioannes II. *quem quidam Roderico male supponunt.*
50. Guterius. *pro quo male quidam supponunt Petrū Infantem Castel.*
51. Paschalius alias Paschasius.
52. Sanxius. I. de quo lib. 13. cap. 7. multa.
53. Sanxius II. Infans Aragoniæ filius Iacobi. I. Regis octaui Aragoniæ, qui *Coquistada* dictus est.
54. Gondisaluus II. *quem putant fuisse Cardinalem.*
55. Guterius II.
56. Gondisaluus. III.
57. Ioannes III. infans Aragoniæ filius Iacobi. II. & vltimi huius nostris Regis. XI. Aragoniæ.
58. Xemenius de luna ex Archiep. Tarracon. factus Toletanus, *cum Ioannes infans Aragoniæ sponte se abdicasset.*
59. Egidius Albernotius ex Archidiacono Calatraue. in eodem templo. Tole. mortuus non Toletanus Archiepisc. sed Episcopus Salinensis, & Cardinalis, tituli, scil. S. Clementis. propter æquabilitatem alter Traianus appellatus.
60. Blasius.
61. Vasquius *ex Decano eiusdem templi.*
62. Gomesius Manricus, *quo sedente obiit Albernotii.*
63. Petrus III. cognomēto Tenorius.
64. Petrus. V. cognomento luna. II.
65. Sanctius Tertius cognomento Rogas.
66. Ioannes IIII. de Contreras, *Decanus eiusdem Templi.*
67. Ioannes V. de Cerezuela *Pater Comestabuli Aluari lunæ.*
68. Gucerius III. dictus Homerius Toletanus, II. huius nominis.
69. Alfontius II. Carillo de Acunna.
70. Petrus VI. dictus Gondisaluus Mendozius II. Cardinalis, numerando primum Gondisaluus 2.
71. Frater. Franc. Xemenius de Cisneros III. Cardinalis.
72. Guilielmus de Croyllander Card. IIII.
73. Alfonsius III. de Fonseca & Azeacele.
74. Ioannes VI. Iauera V. Cardinalis.
75. Ioannes VII. Martinus Siliceº VI. Cardinalis: si adnumeres Egidium Albernos. VII.
76. Frat. Bartholomeus Carranza de miranda.
77. Gaspar Quiroga Card. VIII. Inquisitor, maior Præses Hispaniæ.
78. Albertus Austriç Archidux, qui

qui post ducta vxore Isabella Clara Eugenia Philippi II. filia Belgicam tenuit ditionem.
79. Garsias Loaysa Principis Hispaniæ Philippi III. nunc Regis quondam Magister.
80. Bernardus de Roias Sandoualius Cardinalis.

DE EPISCOPIS ET CONCILIIS CÆSARAVGVSTANIS.

ANT. AVGVSTINVS ARCHIEPISC. TARRACONENSIS Epist. ad Hieronymum Blancam.

QVOD de laudibus *Cæsaraugustanæ* vrbis, & de veteribus Pontificibus eiusdem, si quid ex antiquis scriptoribus, aut ex actis Conciliorum, aut aliunde aliquando collegeram, ad te quamprimum mitti desideras; pauca quædam his litteris licet fortasse notuas, quod aiunt, Athenas, & quæ tibi sunt notiora, perscripsi. Atque vt omittam quod C. Plinius de *Cæsaraugustana* immuni colonia, olim *Calduba* dicta, & de conuentu amplissimo scripserit; Strabo quoque eandem laudat, habereque togatos ciues ait, nihil de veteri Celtiberorum contumacia, atq; duritie retinentes. His addit Pomponius Mela: *Vrbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimæ fuerūt, Vallantiæ, & Numantia nunc est Cæsarauguſta.* Vixit autem Mela Tib. Cæsaris Caligulæ, & Tib. Claudii temporibus, & in Hispania natus est. Quod vero ex verbis Melæ elici non nemo putat, easdem esse *Numantiam & Cæsaraugustam* irridendum magis, quam improbandum est: cum Strabo inter eas D C C C. stadia collocet. Venio nunc ad laudes sanctissimorum virorum: laudari enim à laudato viro maximum est; idque cum fit ob religionis cultum, longe præstat. Ex his primus est Cyprianus Carthaginēsis Martyr 5. epist. 4. quam cum multis episcopis scripsit, Felici Presbytero & plebib. consistentibus ad Legionē & Asturicæ: in ea postquam *Felicis*, & *Sabini* Pontificum mentionē fecisset ait, *vtq; alius Felix de Cæsarang. fidei custos ac defensor veritatis litteris suis significat.* Proximus huic longo, sed proximus interuallo sit *Prudentius*, qui in libros de coronis, Encratin & socios 17. Martyres, & duos Confessores, *Baium* & *Clementem* laudans Cæsar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

augustam appellat, *plenam domum magnorum angelorum*, eamque præstet cæteris vrbibus, quod tam multis ornetur corporibus sanctorũ. Ex eadem *Vincentium* fuisse Martyrem tradit, & domum infulatam sacerdotum *Valeriorum*, hoc est, eius vrbis Pontificum. Constat autem multorum testimonio *Valerium*, Dei confessorem Episcopum fuisse Cæsaraugustanorum, eiusdemque Diaconum *Vincentium*. Sed & in Concilio Celiberritano *Valeriũ*, eiusdem vrbis Episcopum subscripsisse nouimus, anno Christi plus minus cccxxv. Sic duos possumus post *Felicem* Episcopos *Valerios* numerare. Ipsa vero vrbs laudatur carminibus quoque duorum Poetarum Christianorum *Pontii Paulini*, qui postea Nolanus Episcopus fuit, & *Ausonii* Valli. His addamus *Concilium Cæsaraugustanũ* contra Priscillianũ ex testimonio Sulpicii Seueri libro posteriori extremo historię sacrę, anno plus minus CCCXXC. fuerat paulo ante *Concilium Sardicense* contra Arianos, in quo subscriptum inuenimus *Gastum* Episcopum. Sic enim in veteribus libris est, non *Sostum*, vt in vulgaribus anno CCCLVII. vt quidam putant. Post hæc inuenio cuiusdam Episcopi Cæsaraugustani fieri mentionem, tacito eius nomine in Epistola quadam Ascanii Tarraconensis Archiepisc. ad Chilariũ Pont. Max. quæ in Concilio Romano est relata. Anno vt ex Coss. apparet DCLXV. Sed mox in Concilio Tarraconensi *Vincentius* eiusdem vrbis Episcopus subscripsit anno Christi DXVI. Non hic est *Vincentius* Arianus Episcopus, de quo Isidorus scribit. Ille enim tẽporibus Mauricii Imp. vixit: hic Anastasii & Iustini. In veteribus collectionibus conciliorũ post Tarraconense Concilium *Gerundense* positum est, habitum anno vertente in quo 7. ex illis Episcopis, qui in superiori synodo fuerant cõuenerũt. In his *Vincentius* non est. Post Gerundẽse Cęsaraugustanum collocarunt, XII. Episcoporum, quorum nomina scripta sunt. sed quibus Ecclesiis præessent subticuerunt. hi canones scripserunt octo: ex quibus vnus est à Gratiano relatus. *Ne quis ieiunet die Dominica*, &c. de cõsecrat: dist. 3. hi, qui putant hoc illud esse Cõcilium, quod Seuerus cõtra Priscillianũ habitum dixit; sola duorum Episcoporum nominis similitudine ducuntur, & loci. namque ille refert Idaitium Emeritensem, & Ithacium incertę vrbis episcopum, infensos Priscilliano fuisse: contra quem & socios Cæsaraugustę Synodus habita est: in qua etiam Aquitanos episcopos interfuisse ait: & in ea damnati absentes sunt, & contumaces *Instantius* & *Saluianus* Episcopi, *Helpidius*, *Priscillian*ⁱ laici, qui Damasũ Romanũ & Ambro-

Ambrosium Mediolanẽsem interpellarunt, & ab eis fuerunt reiecti. Qui ex Hispania Episcopi interfuerint, nõ narrat. tantum *Adygimum* scribit Cordubensem ad Idacium retulisse Emeritensem, qui in eos est inuectus. In Conciliis editis bis *Italii* nomen scriptum est. id *Idacium* & Ithacium: quod facile recipi posset, mutant in si cætera conuenirent. Nihil enim est in hac Synodo, quod cum alia synodo consonet, quæ in aquis Cælinis contra Priscillianistas habita est, anno Christi CDXLVIII. exstatque cõiuncta cum Toletano primo Concilio. Ea synodus habita est iussu Leonis Pontificis, vt apparet ex epistola Leonis XCIII. ad *Toribium Asturicensem* in qua etiam errores eorundem hæreticorum damnantur. Isidorus in libro de viris illustribus *Idacium Lemicæ vrbis Hispaniarum* appellat, & *Vrsatium Episcopum* eius socium, fuisseque communione priuatos & in exilium missos, quod Priscillianum accusauerint coram Maximo tyranno & damnatus occidi fuerit iussus. Sed aut in Isidori libro, aut in Seueri mendosa sunt nomina. Prosper Aquitanicus in Chronicis cũ Isidoro facit, qui anno CCCXCII. cadẽ de Ithacio & *Vrsatio* Episcopis ait. In Tharcinonensi synodo non edita *Ioannes Cæsaraugustanus* Episcopus interfuit, anno plus minus DXL. Eundem putamus in Ilerdẽsi concilio cũ Sergio Tarraconensi conuenisse. sed non recte in editis libris *Ilerdense*, & Valentinum ante Cærundense edita sunt, cum fuerit posterius dicto anno DXL. In Toletano tertio maximo Concilio subscriptio exstat, *Simplicis Episcopi Cæsaraugustani*. id habitũ anno quarto Reccaredi Regis, Christi DXXCIX. Hactenus Gothi hęresin Arianorum tenuerunt: nostri tamẽ maiores Catholicos Pontifices habuerunt ipsaque ciuitas in Catholica religione perseuerauit. Hoc loco referri potest, quod S. Gregorius Turonensis l. 3. 39. historiæ Francorum scripsit de vrbe Cæsaraugusta. & Ado Viennensis ætate sexta in Chronicis, & Aimoinus Monachus, lib. 2. cap. 19. & 20. historiæ Francorum scripserunt de vrbe Cæsaraugusta à Francorũ regibus obsessa *Childeberto* & *Glothario*, anno plus minus DXXXII. quę obsessio soluta est, data ab Episcopo stola beati *Vincẽtii* Martyris, quæ Parisiis in ecclesia eidẽ dicata posita est. Sigebertus Gemblacẽsis hac anno DXLII. refert. Inter Ioannẽ & Simplicium infelicem illum *Vincentium Episcopum* collocemus Arianum, aduersus quem Seuerus Malacitanus antistes edidit libellum, vt Isidorus ait in libro de viris illustr. b. tẽpore Leouigildi Regis præuaricasse testatur Rudericus Toletan. l. 2. c. 14. Post Concilium Toletanũ, aliud Cęsaraugustæ Concilium habitum est anno VII. eiusdẽ Recardi Regis in quo sub

Universidad de Deusto
Biblioteca

scribunt *Artemius Tarraconenſis*, & alii XII. Epiſcopi, in quibus *Simplicius* eſt, nomina vrbium ſingularum omiſſa ſunt. Tres Canones ediderunt contra Arianos. Anno proximo *Oſcenſis Synodus* habita eſt, tamē in ea Simplicium interfuiſſe nobis incertum eſt. Sed in Barcinonenſi an. 14. eiuſdē regis habita, *Maximus Cæſaraug. Epiſc. ſubſcripſit*. De Maximo Iſidorus in extremo libro de viris illuſtribus hęc refert. *Multa verſu proſaque componere dicitur: ſcripſit & hiſtoriolam de his, quæ temporibus Gothorum in Hiſpania acta ſunt: multa quoq; alia ſcribere dicitur, quæ necdum legi.* Iſidorum Hiſpalenſem & Maximum inuenio ſubſcripſiſſe Toletano Concilio non edito, quod anno primo *Gundemari* regis habitum eſt, anno Chriſti 610. Eundem Maximum in Egarenſi Concilio cum Euſebio Tarracon. anno tertio Siſebuti Regis, hoc eſt anno 614. fuiſſe, totus liber oſtendit, in quo nō edita Concilia, quę retulimus Cęſarauguſtanū, Oſcenſe, Barcinonenſe, Toletanum, & Egarenſe conſcripta ſunt poſt Maximum *Ioannem* Branlionis fratrem ſediſſe annis 12. B. Ildefonſus in libro. de viris Illuſtri teſtis eſt, temporibus Siſebuti Regis & Suinthilani. *Fratrem* eum olim *monachorum* appellant, & virum in ſacris litteris eruditum hilarem & munificum; de eccleſiaſticis officiis quædam eleganter & ſono & oratione ſcripſiſſe refert, & de paſchali ſolennitate. Ioanni ſucceſſiſſe *Branlionem* teſtatur, qui 20. annos epiſcopus fuit temporibus. Siſeuandi, Chintile, Tulcani, & Childaſuinti Regum. Ad hunc Iſidorus librum Etymologiarum extremo ſuę vitæ tempore miſit: qui in eius vita fatetur ſe eum librum in 20. libros diuiſiſſe: exſtantque initio eiuſdem voluminis Epiſtolæ *Iſidori ad Branlionem*, & *Branlionis ad Iſidorum*. Vitam quoque B. Seuiliani Monachi idem ſcripſit: quod præter Ildefonſum aſſerit Oſualdus in Martyrologio prid. 4. Nouemb. Alia quoque ſcripſiſſe eundem Ildefonſus ait. Eius ſubſcriptio exſtat in quarta & quincta ſynodo Toletana. quod etiā Rudericus Tolet. li. 2. c. 19. refert, eumq; Illuſtrē appellat, his verbis. *huic ſynodo quinctæ Branlio Cæſaraug. Epiſcopus præ cæteris illuſtris effulſit piam doctrinā Chriſtianis mentibus decenter infudit. cuius & opuſcula nunc vſq; Eccleſia veneratur. Huius eloquentiam Roma vrbium mater, & domina per epiſtolare alloquium eſt mirata.* Eſt etiam in Toletano Concilio ſexto eius nomen adſcriptum: quod habitū eſt anno 2. Chintiliani Regis, anno Chriſti. DCXXXVIII. At in ſeptimo non interfuiſſe crediderim, tum quia in quibusdam nō editis ſubſcriptionibus eius nomen non ſit; tum quia apud Rudericum legatur in eodem concilio fuiſſe, deſiderium

ſe, deſideratum à patribus librum *Moralium B. Gregorii*. Vnde Princeps, ſacro Concilio, inquit, approbante, *Taionem Cæſaraug. Epiſcopum*, religione, & litteratura præſtantem, & ſollicitum ſcripturarum ad Rom. Pontificem, pro libris *Moralium* nauigio deſtinauit. nota eſt hiſtoria quo pacto ſomnio admonitus fuerit loci, in quo hi libri cōſeruarentur. quo enarrato Pontifici Caio exſtitit, inquit, Romæ glorioſus, quo antea deſpicabilis habebatur. & reperto, & accepto libro in Hiſpaniam eſt reuerſus, & tam Romæ, quam in Hiſpaniis habitus eſt venerandus. Idem lib. 3. cap. 15. inter ſanctos Pontifices laudat, *Leandri, Iſidori, Helladij*, &c. Atq; *Tocionis* Cæſaraug. clarā doctrina. Mendoſe autem *Talonis*, pro *Tajonis* editum eſt. Apud Ildefonſum poſt Branlionem de *Eugenio* poſteriore, Toletano antiſtite, agitur: qui cum eccleſiæ regiæ clericus eſſet egregius vita monachi delectatus eſt. *Qui ſagaci*, inquit, *fuga, vrbem Cæſarauguſt. petens, illic Martyrum ſepulchris inhæſit; ibique ſtudia ſapientiæ & propoſitum monachi decenter incoluit.* *Taio* autem ſubſcripſit in actis Toletani VIII. Concilii, vt in omnibus libris ſcriptum eſt. item in actis Toletani X. licet omiſſum ſit in editis. habitum autem eſt anno 6. Receceſuinthi Regis. Chriſti DCLXV. Ceteris Toletanis editis nullus Epiſcopus Cæſaraug. interfuit. Ex veteribus libris Toletano 13. anno 4. Eruigii Regis, Chriſti DCXXCIII ſubſcripſit *Fredeualdus Abbas*, agens vicem *Balderedi Cæſarauguſtani* Epiſcopi. Toletano 15. anno primo Egicani regis, Chriſti DCXXCVIII idem Balderedus interfuit. Mox an. 4. eiuſdem regis Cæſaraug tertium ſiue quartum concilium habitum eſt: nomina epiſcoporum deſiderantur. Sed idem *Balderedus* erat epiſcopus, quia idem ſubſcripſit Toletano 16. concilio, quod habitum eſt anno 6. eiuſdem regis.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAP. VI.

NOBILITATIS HISP. FLOS SIVE DVCVM, MARCHIONVM ET COMITVM enumeratio, additis & Familiæ, & Ditionis nominibus.

DVCES.

Ditio.	*Situs.*	*Gens seu Familia.*
ALua.	de Formes.	
Alburquerque.	en Estremadura,	Cueua.
Arcos.	iunto à Xerez	Ponce de Leon.
Aueyro	en Portugal,	Ribera, Enriquez.
Alcala del Rio.	en Andaluzia,	
Beiar iunto à Estremadura,		Stunica.
Berganza.	en Pereyra,	
Barcelos,	el Mesmo.	
Cardona,	en Catalunna:	Cardona, Folque
Escalona,		Pachecos.
Feias,	en las montanas,	Belasco.
Feria,	en Estremadura,	Figueroa.
Gandia,	en Valencia,	Boria.
In fantazgo,	en Alcarria,	Mendoza.
Medina Sidonia,	en Andaluzia,	Guiman.
Maqueda,	en Toledo,	Cardenas.
Medina Celi,		Cerda.
Medina de Riosecco,		Enriquez.
Naiera,		Manrique de Lara,
Osuna.	en Andaluzia,	Giron.
Pastrana:		Sylua, Mendoza.
Segorue.	el en Reyno de Valẽcia,	Aragon.
Sessa.	en Napoles,	Cordoua.
Villa Hermosa.	en Valencia,	Aragon.
Villareal.	en Portugal,	Neneses.

MAR-

MARCHIONES, MARQVECES.

Ditio.	*Situs.*	*Gens seu Familia.*
AGuilar.		Manrique.
Ayamonte:		Stunica, Guzman.
Astorga,		Osorio, Villalobos.
Alcala.	iunto à Seuilla,	Portocarrero.
Alcannizes,		Enriques Roias.
Almazan.		Mendoza.
Aguila fuente.		Stunica.
Algaua.	iunto à Seuilla,	Guzman.
Almenara.	en la Mancha,	Mendoza.
Ardales,	en Andaluzia,	Guzman.
Aytona,	en Aragon,	Moncada.
Aldeanueua,		Fonseca.
Aunnon.	en Alcaria,	Herrera.
Cannete.	à la reynode Valẽcia,	Mendoza.
Camarassa.	en Catalunna,	Luna y Cobos.
Ceralbo.		Pacheco.
Cogolludo.	en Alcarria,	Cerda.
Comares.	en elreyno de Granada.	Cordoua.
Coria.	en Estremadura,	Toledo.
Cortes,	en Nauarra,	Nauarra.
Cuellar.		Cueua.
Cenete.	en Granada,	Mendoza.
Carpio,	en Andaluzia,	Aro Sotomayor.
Dema.	en Valencia,	Sandoual Roiaz.
Elcheel Duque.	de Maqueda,	Cardenas.
Estepa,		Centurion.
Falces en.	Nauarra,	Peralta.
Fronustaen Campos,		Benauides.
Gribaleon.	en Andaluzia,	Stunica, Sotomayor.
Guardia.	iunto à Iaen,	Mexia.
Guadaliste en.	Valentia,	Cardona Mendoza.
Labanneza.	en Campos,	Bazan.
Lombay.	en Valencia,	Boria.
Mondexar.	en Alcaria.	Mendoza.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lanzarote.	en las Canarias.	Peraza.
Noya.	en la raya de Valentia.	Cabrera.
Velez.		Faiardo.
Monte mayor:		Sylua, Ribeia.
Mota.	iunto à Toro,	Viloa.
Mirabel,		Stunica, Auila.
Nauares.	en Valentia,	Boria.
P iego.	en Andaluzia,	Cordoua.
Poza.		Roias.
Pennafiel el.	Conda de Vrenna,	Giron.
Sarrie.	en Galizia,	Caſtro.
Santillana.	en las Aſturias.	Mendoza.
Santa Cruiz.	iunto Almagro,	Bazen.
Tabara.	en Gabiſſa,	Pimental.
Tarifa,	en Andaluzia,	Ribera.
Terranoua.	en Cerdena,	Ribera.
Torresmouas.	en Portugal.	Alencaſtre.
Valle.	en la nueua Eſpagna.	Cortes.
Villanueua.	en Eſtremadura.	Portocaryero.
Villafranca.	en Galizia.	Pimentel.
Villamanrique.		Stunica.
Velez.	en el Reyno de Granada.	Faiardo.
Zarca.	en Andaluzia.	Ponce de Leon.

COMITES, Condes.

Aguilar.	en la Frontera de Nauarra.	Arollano.
		Enriquez.
Alua de liſta.	Andaluzia.	Corduna.
Alcautate.	en el Acxno de Valẽcia.	Milan.
Aluayda.		
Almenara.	en el Reyno de Valencia.	Proxita.
Andrada.	en Galizia,	Caſtro.
Aranda.	en Aragon,	Vrrea.
Aſtudillo,		Manrique, Enriquez Aguil.

Aguila fuente.		Stunica.
Benauente.		Pimentel.
Baraias.		Capata.
Belchite.	en Aragon.	Ixar.
Buendia.	en la Mancha,	Acuna.
Barco,		Toledo.
Caſtella.	en Andaluzia.	Saxabedra.
Cabra.	en Andaluzia.	Cordoua.
Caſtro.	en Campos,	Mendoza.
Cifuentes.	en Alcarria,	Syluas.
Corunna.	iunto à Oſma,	Mendoza.
Concentayna.	en Valentia.	Corella.
Chinchon.	en la Mancha,	Cabrera Bobadilla.
Caſtanne.	en Portugal.	Meneſes.
Deleytoſa,		Monroy.
Elna.	en Valencia,	Coloma.
Farro.	en Portugal,	Caſtro.
Fuentes.	en Aragon,	Heredia.
Fuen Salida,		Ayala.
Fuen Saldanna,		Biuero.
Fuentes de Val de Pero,		Azebedo.
Fuerte. Vẽtura y Lanzarote.		Argote.
Gelue iunto.	à Seuilla,	Portugal.
Gribaleon.	en Andaluzia,	Stunicas, Sotomayor.
Gomera,		Ayala.
Ledesma,		Ceuas.
Lemos.	en Galizia,	Caſtro.
Lerin.	en Nauarra,	Beamonte.
Lerma,		Sandoual, Roias.
Linares.		Syluas.
Luna,		Quinnones Primẽteli.
Mayorga,		Pimentel.
Monſante,	en Portugal,	Caſtro.
Medellin,		Portocarrero.
Melgar,		Enriquez.
Miranda.		Stunica, Caſtaneda.

Morata.	en Aragon,	Luna.
Monte Agudo.		Mendoza.
Monterey.	en Galizia,	Fonseca, Azebedo.
Niebla.		Guzman.
Orgaz:		Guzman, Mendoza, Roias.
Oluia.	en Valencia,	Centellas.
Oliuares.		Guzman.
Onnate.	en Guipuzcoa,	Geuara.
Oropesa.		Toledo, Ayala, Monroy.
Osorno,		Manrique.
Parides,		Manrique.
Puebla.		Cardenas.
Palma,		Portocarrero.
Portalegre.	en Portugal,	Sylua.
Pradas.	en Catalunna,	Aragon.
Pliego.		Carrillo, Mendoza.
Punnonrostro.		Arias.
Puerto de santa Maria.		Cerda.
Pernia.	en Obispo de Valencia.	
Puebla de Mõtaluan,		Pacheco, Giron.
Ribadabia.	en Galizia.	Mendoza.
Ribagorza.	en Atagon,	Aragon.
Ribadeo,		Villandrado, Sarmiento.
Rula,		Luna, Cobos.
Ribadabia.		Sarmiento:
Siruela,		Belasco y Cueua.
Salinas.		Sarmiento, Villandrada.
Saldanna.		Mendoza.
Saluatierra de Alaua,		Ayala.
San Esteuan de Gormaz,		Pacheco.
San Esteuẽ del Puerto,		Benauides.
		Saſtago.

Saſtago.	en Aragon,	Alagon.
Saluatierra,		del Duque de Alua.
Santa Gadea,		Manrique, Padilla.
Santa Martha.	en Gaſizia,	Sarmiento.
Treuinno,		el Duque de
Tentugal.	en portugal,	Naiera Manrique de Lara.
Traſtamara,		Enrique; Oſorio.
Torres Vedras.		
Tendilla.		Mendoza.
Villanueua,		Fonseca.
Villar.	en Portugal,	Tortes.
Vannares.	en Rioio,	el Duque de Beiar.
Vienna,		Tellez Giron.
Valencia.	en Portugal,	Acunna.
Valencia de don Iuan,		el Duque de Naiera.
Valduerna:		Bazan.
Vnnoſo.	en Portugal,	Meneſes.
Veeda,		Auila, Mexia.
Teba,	en Andaluzia,	Guzman.

Universidad de Deusto Biblioteca

ALIA SERIES

NOBILITATIS HISPANICÆ PROVINCIARVM ORDINE DIGESTA: ADDITIS ET Familiæ cognominibus.

REGNA HISPANIÆ sunt:

- Aragonia. — Nauarra.
- Castella noua — Galacia. Portugalia. Hispalis.
- Castella vetus. — Iaen. Algaruez. Algezira. Gribaltar. Toledo. Valentia.
- Corduba.
- Granata.
- Legio.
- Marcia.

Ammirantii duo & Comites stabuli:

- Castellæ.
- Aragoniæ.
- Nauarræ.

IN REGNO CASTELLAE NOVAE, & Extremo duræ.

DVx Infantes. & Marchio Santillanæ.
Comes Saldauæ. — MENDOZA.

Dux Escalonæ. & Marchio Villenæ. — Pacieco.

De Paciecis Cæsar in Comment. & Cicero ad Atticum lib. 12. epist. 1.

Dux Maqiedæ. & Marchio Elche in regno Valentino. — Cardenas.
Dux Feriæ, in Extrema dura. — Figueroa.
Dux Medinæ Cæli & Marchio Cogoludi. — Cerda.
Marchio Velesii. — Faiardo.
Marchio Montis maioris. — Silua.
Marchio Moya. — Cabrera.
Marchio Mirabelli. — Stunica, hodie Sunica.
Marchio Mondeciaro. — Mendoza.
Marchio Almaçany, & Comes Montis acuti. — Mendoza.

Marchio

Marchio Cannetti. — Mendoza.
Marchio Montis clari. — Mendoza.
Adelantado de Cacorla. — Cobos.
Adelantado Castellæ. — Padilla.
COMES Oropeze. — Toledo.
Comes de Leytosa. — Monroy.
Comes Cifuentes. — Silua.
Comes Funsalide. — Ayala.
Comes Chinchon. — Bouadilla.
Comes Vzede Vuila. — Mexia.
Comes Tendille. — Mendoza.
Comes Pliegi. — Carillo Mendoza.
Comes de buen dia. — Acunna.
Comes de la pueble de Montaban. — Giron & Pacieco vicissim.
Comes Saldenæ. — Mendoza.
Comes Galuæ. — Cerda & Mendoza.
Comes Orgazi. — Guzman & Mondoza, & Roias.
Comes Alcaudete. — Corduba.
Comes Oliuares. — Guzman.
Comes de puenno en rostro. — Arias.
Comes Baraiæ. — Zapata.

CASTELLAE VETERIS.

DVx Albæ. — Toledo.
Dux Veiare & Marchio Gribalcon & Comes Balalcazari. Stunica hodie Suniça.
Dux Naiare & Comes Treuinni ac Valentiæ. — Manrique de Lara.
Dux Medinæ riui sicci Aminirantius Castellæ & Comes Modicæ in Sicilia. — Henriques de Cabrera.
Dux Friæ Comes stabuli Castellæ & Comes Hari. — Velascus.
Marchio Aquillari & Comes Castenede. — Manrique
Marchio de Astorga Comes Trastamire. — Osorio.
Marchio Pozæ. — Roias.
Marchio de Auila fuente. — Stunica.
Marchio de la Guardia. — Mexias.
Marchio Barlangæ. — Couar.
Comes de Oforno. — Mārique.
Comes Siruelæ. — Velascus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Comes de Arnedo. Velasco & Sunica.
Comes Alba de Lesta. Guzmannus & Toletus.
Comes Benauenti & Maiorge. Pimentel.
Comes Lunæ en Legion regno. Luna.
Comes S. Stephani de Gormaz. Luna.
Comes Agulati. Arellano.
Comes Fontanus. Azebedo.
Comes Vrennæ & Marchio Penna fiel. Giron.
Comes Castri. Manrique & Mendoça.

IN BAETICA QVAE HODIE ANdaluzia.

DVx Medinæ Sidoniæ & Comes Nieblæ. Claros de Guzman.
Dux Ossunæ. Giron.
Dux Arcos. Ponce de Leon.
Dux Alcalæ & Marchio Tarifæ. Ribera.
Marchio Pliegi & Castri. Aguilar.
Marchio Gribaleoni. Stunica.
Marchio Ayamonti. Manrique & Suniga.
Marchio Villamanrique. Suniga.
Marchio Comaris. Corduba.
Comes Cabræ. Corduba.

IN GALAECIAE REGNO.

MArchio Sarciæ & Comes Lermi. Castro.
Marchio Villefrancæ. Pimentel.
Marchio Tabaræ. Pimentel.
Comes montis regii. Fonseca.

IN ARAGONIAE REGNO.

DVx Villæ formosæ & Comes Ribaborsæ. Aragon.
Comes Arandæ. Vrrea.
Comes Sastagi. Alagon.
Comes Belchitti. de Iehar.
Comes Ricle. Luna y Castro.
Comes Morate. Luna.
Comes Fontanus. Heredia.
Vicecomes Bonii. Castro.
Baro Lacunæ Castro.

IN CATALAVNIA.

DVx CARDONÆ & Comes Emporiæ. Cardona.
Marchio Aytonæ & Comes Bazi & Vicecomes Cabreræ. Moncada.
Marchio Camarassæ. Luna y Cobos.
Comes Pradæ. Aragon.

IN VALENTINO REGNO.

DVx GANDIÆ. Borgia.
Dux Segorbi. Aragon.
Marchio Lombay. Borgia.
Marchio Guadalesti Aminirantius Aragomæ. Cardona.
Marchio Deniæ (olim Dianii) Roias & Sandoual.
Marchio Nauarezi. Borgia.
Marchio Terræ nouæ. Maza.
Marchio Elchi. Cardenas.
Comes Concentaynnæ. Ruys de Corella.
Comes Oliuæ. Centellas.
Comes Eldæ. Coloma.
Comes Albaydæ. Milan.
Comes Almendra. Broxita.
Vicecomes de Chelua. Maca.
Baro Nullesi. Centellas.

IN NAVARRAE.

COmes Lerini Comes stabuli Nauarræ. Beaumont.
Marchio Cortesi. Nauarra.
Marchio Falçesi. Peralta.
Comes Lodosæ. Nauarra & Lodosa.
Vicecomes Colmæ. Garro & Xauier.
Princeps Vianæ Regis Nauarrorum filius.

IN PORTVGALIAE REGNO.

DVx Bergancæ en Pereyra.
Dux Aueyri & Marchio Terrænouæ. Alencaste.
Dux Viseensis, Rex hodie obtinet.
Marchio Villæ Regiæ. Noronnæ & Meneses.
Comes Vinnoso. Meneses

REGVM ALIQVOT LEGIONENSIVM IN HISPANIA EPITAPHIA, E MARMORIBUS descripta.

RAMIRI primi eius nominis Regis Legionensis Epitaphium.

OBIIT *Diuæ Mariæ Ranimyrus Rex*
Die Cal. Febr, Era. 888.
Obtestor vos omnes, qui hæc lecturi estis, vt pro requie illius orare non desinatis.

ORDONII I. Ranimiri F. Tumulus Oueti sic inscriptus:

Hic ille ORDONIVS *Princeps, quem fama loquetur:*
Cuius reor similem secula nulla ferent:
Ingens Conciliis, & dexter belliger actis:
Omnipotens q. suis non reddat debita culpis.

OBIIT VI. Cal. Iunii. Era 904.

VEREMVNDI II. hoc Epitaphium apud Legionenses spectatur.

H. S. E. REX VEREMVNDVS *Ordonii* III. *F. Iste in fine vitæ suæ, dignam Deo panitentiam obtulit, & in pace quieuit.*
Era 1037.

VEREMVNDI III. Alfonsi V. F. hoc Epitaphium Legione visitur in S. Isidori *templo.*

Hic est conditus Veremundus iunior
Rex *Legionis filius Aldefonsi* Regis.
Iste habuit guerram cum cognato suo
Rege magno Ferdinando,
& interfectus est ab illo in Tamara præliando. Era 1075.

EPITA-

EPITAPHIA EPISCOPORVM QVORVNDAM HISP.

NONI ASTVRICENSIVM EPISC.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, intra hunc tumulum requiescit famulus Dei Nonus Episcopus, requieuit in pace.

Si quis Episcopus Præcessor vel actor cuiusque vas istud in quo iacemus, aut corpusculum nostrum ab hinc tollere aut commouere voluerit anathema sit, & ante tribunal Christi sancto Dicti nio Episcopo & Cõfessore suo, cuius nos parietibus manu sua factis, vel vmbraculis tegimur, iudicio contendat: & cum Datan & Abiron, quos terra viuos absorbuit partem recipiat, & cum Iuda traditore sortiatur & tendat: ac tremendo iudicii die non euadat stridorem dentium.

PRVDENTII Turiasonensium Episcopi in Aragonia tumulus, & eius sæculi captus rudioris versu.

Sic fuit in mundo prudens Prudentius iste,
Corde quod ex mundo seruiuit Rex tibi Christe,
Morte dolet cuius Tirasonia, Præsulis huius
Facta stupenda canet, quo viduata manet.
Funus sacratum non mortali duce factum
Sed proprio mulo, conditur hoc tumulo.
Quem sepeliuit ita Pelagius archileuita,
Vel consobrinus, quem dedit huic Dominus.

EVGENII III. Toletani Archiepiscopi Epitaphium Acrostichon in æde sacra S. Leocadiæ:

E *xcipe Christe potens discretam corpore mente*	M.
V *t possim picei pœna m vitare barathr*	I
G *randis inest culpa, sed tu pietate redundan*	S
E *lue probra pater, & vitæ crimina toll*	E
N *on sim pro meritis sanctorum coetibus exu*	L
I *udice te prosit sanctum vidisse tribuna*	L
V *is Lector vno, qui sim dignoscere vers*	V
S *igna prioralege, & mox vltima nosse valebã*	S.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. PELAGII EPISCOP. LEGIONENSIS.

HIC REQVIESCIT FIDELISSIMVS CHRISTI seruus Pelagius Legionensis Episcopus, Era milleſima ſexta menſe Auguſto.

ADefonsi ſeu Alfonsi Caſti Regis templum exædificatum victis Saracenis. Era 831. vt refert Ambroſius Morales lib. 13. Chronicorum cap. 23. & ex illo D. Baronius Card. Tomo IX. anno Chriſti 793. allatæ in teſtimonio hac tabula:

QVICVNQ. CERNIS HOC TEMPLVM
DEI HONORE DIGNVM NOSCITO
HIC ANTE FVISSE ALTERVM HOC EODEM ORDINE SITVM
QVOD PRINCEPS CONDIDIT SALVATORI DOMINO
SVPPLEX PER OMNIA FROILA:
XII. APOSTOLIS DEDICANS BIS SENA ALTARIA
PRO QVO AD DOMINVM SIT VESTRA ORATIO CVNCTORVM PIA.
PRÆTERITVM HIC ANTEA ÆDIFICIVM FVIT
PARTIM A GENTILIBVS DIRVTVM,
SORDIBVSQ. CONTAMINATVM
QVOD DENVO A FAMVLO DEI ADEFONSO
COGNOSCITVR ESSE FVNDATVM
ET OMNE IN MELIVS RENOVATVM
Sit merces illi pro tali CHRISTE *labore:*
Et laus hic iugis ſit ſine fine tibi.

In altera vero tabula pia eſt obteſtatio ad Dei miniſtros, vt pro ipſo orent:

QVISQVIS ES HIC POSITVS QVI DEGIS IVRE SACERDOS
PER CHRISTVM TE OBTESTOR VT SIS MEI ADEFONSI MEMOR
QVATENVS SÆPE AVT SALTEM VNA DIE PER

PER SINGVLAS HEBDOMADAS SEMPER
CHRISTO PRO ME OFFERAS SACRIFICIVM,
VT IPSE TIBI SIT PERENNE AVXILIVM.
QVOD SI FORTE NEGLEXERIS ISTA
VIVENS SACERDOTIVM AMITTAS.
TVA SVNT DOMINE OMNIA, QVÆ TV INSPIRASTI
VEL CONFERRE NOBIS DIGNATVS ES.
TIBI DOMINE TIBI TVA OFFERIMVS
HVIVS PERFECTAM FABRICAM TEMPLI.
EXIGVVS SERVVS TVVS ADEFONSVS
EXIGVVM TIBI DEDICO MVNERIS VOTVM
ET QVOD DE MANV TVA ACCEPIMVS:
IN TEMPLO TVO DANTES GRATANTER OFFERIMVS.

Crucem Chriſti Ieſu auream idem Rex vere Caſtus, caſta caſtè donans his inſcriptionibus obtulit teſte ibidem Morali cap. 38.

OBIIT ADEFONSVS HVMILIS SERVVS CHRISTI,
SVSCEPTVM PLACIDE HOC SIT IN HONORE DEI.

In altero cornu:

QVISQVIS AVFERRE PRÆSVMSERIT MIHI,
FVLMINE DIVINO INTEREAT IPSE
NI LIBENS VOLENSQ. DEDERIT MEA.
HOC OPVS PERFECTVM ERA DCCCXXVI.

In Baſi autem deorſum:

HOC SIGNO VINCITVR INIMICVS:
HOC SIGNO TVETVR PIVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. VII.

REGVM HISPANIÆ GOTHORVM,

CONCILIORVMQVE TOLETANORVM SERIES HISTORICA.

EX COMMENTARIIS ALFONSI VILLADIEGI Asturicensis I. C. in Forum Iudicum.

DE Gothorum origine, ortu, ac processu, Procopius, Iornandes, Olaus & Ioannes Magni fratres: deque eorum superstitione & Arianismi secta alii diisserunt: nos Reges, qui Hispaniam vi tenuerunt ordine referemus

I. ATHANRICVS *Regn. an.* XIII.

ANno CHRISTI 369. Era vero (qui Hispanorum calculus est ante Christum natum annis triginta octo inchoans) 407. anno Valentis Imp. quinto, Gothorum gentis administrationem suscepit primus *Athanaricus* vna cum Fridigerno annos XIII. ex quo finibus suis digressi, aliorum regna tam per Italiam & Græciam, quam per alias prouincias occuparunt, vt refert Vulsa, Vasæus aliique. * Hoc regnante maior Gothorum pars gentilium erroribus tenebatur; alii vero Catholicam tuebantur fidem. Rex gentili errori fauens persecutionem exercuit in eos, qui Christiani haberentur: quorum plerique, quod Idolis immolare nollent, martyrio coronati sunt; reliquos vero persecutionibus afflictos dum præ multitudine occidere nollet, regno suo egredi & in Romanam nugrare prouinciam coegit.

* *Rodr. lib. 2. cap. 1. aliter: nam hoc tribuit era 381.*

Era 415. sub eodem Valente Imperatore, Gothi aduersum se ir Athanarico, & Fridigerno diuisi sunt, * alternis se cædibus popu- lantes; Fridigernum autem Athanaricus Valentis Imp. auxili superan

An. Christi 377. p. Vulsa & Roderi

superans communem gentem Gothorum in Arianam hæresin deuolutus est. Sed Gudila, seu Galphilas eorum Episcopus Gothicas literas adinueniens, Scripturas sacras in eandem linguam conuertit eosque in Christi fidem instruere curauit: cuius rei gratia legatos cum muneribus ad Valentem Imp. miserunt, postulantes vt Doctores mitteret, qui eos omni studio Catholicam edocerent fidem. Valens autem à veritate Catholica deuius, & Arianæ hæresis peruersitate detentus, vt audiuit Gothos fidem Catholicam suscepisse, applausit eisdem, & missis hæreticis sacerdotibus, Gothos persuasione nefanda, sui erroris dogmati aggregauit, in tam præclaram gentem virus pestiferum transfundendo: sicque errorem, quem recens credulitas bibit, tenuit, diuque seruauit vsque ad 3. Synodum Toletanam, quæ fuit sub Recaredo Principe celebrata, vt inferius sub eiusdem Regis vita adnotandum est.

Era 416. anno 14. Valentis Imp. Gothi, qui primum Christianos à terra sua expulerant, * postmodũ ipsi ab Hunnis expulsi sunt, transitoque Danubio fluuio, Valentis Imperatoris potestati se, non depositis armis dediderunt, accepta ab eo ad habitandum Thracia. sed vbi viderunt se opprimi à Romanis, contra consuetudinem propriæ libertatis, resumptis armis, rebellando Thraciam ferro incendiisque depopulati sunt: deletoque Romanorum exercitu, ipsum Valentem iaculo vulneratum, in quandam villam fugiẽtem incendunt, vt merito iusto Dei iudicio ipse cremaretur incendio, qui tam pulchras animas igni æterno tradiderat. Cum igitur eo tempore, adhuc Gothorum causa in Athanaricum, & Fridigernum, fuisset diuisa, ea lege in concordiam redierunt, vt Fridigernus Ostrogothis, & Athanaricus Vuesegothis regali excellẽtia præemineret. Hi autem, qui ab Oriente tabernacula metabantur, dicti sunt Ostrogothi quasi Orientales Gothi: *Oster* enim vocant in lingua Gothica *Orientem*, & inde *Osterric*, id est, *Orientale* regnum. *Vueſt* autem *Occidens* interpretatur, & inde *Vuesegothi* quasi *Occidentales Gothi*.

Ann. Christi 378.

* *Isid. & Roderic.*

Ann. Christi 382.

Era 420. Anni imperii Theodosii Hispani. 3. Athanaricus cum Theodosio ius amicitiæ disponens, mox Constantinopolim pergit, ibiq; 15. die, ex quo fuerat à Theodosio fauorabiliter susceptus, interiit. Gothi autẽ proprio Rege defuncto, aspicientes benignitatem Theodosii Imp. inito fœdere, Romano se imperio tradiderunt. Sub eodem igitur Theodosio Alani, Vuandali, & Sueui Hispanias sunt aggressi. Alani vero Carthaginem & Lusitaniam sortiuntur. Pars au-

Procop. & Isid. Aliter Rodericus Era 414. tunc Gothos post. Athanar. fuisse sino Rege viginti octo annos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem Vuandalorum, qui Silingi dicebatur, Bæticæ resiederunt, reliqui Vuandali cum Sueuis Galliciam sunt adepti.

2. ALARICVS I. regn. an. XXVIII.

An. Ch. 382 Isid. & Iornandes.

EOdem igitur anno Era. 420. sub eodem Theodosio Imp. post Athanaricum, duo Reges Gothi imperauerunt Alaricus scilicet, & cum eo Redagasius, regnans an. 28. qui pacis fœdere rupto, ad prædandum Romaniam se dederunt, quorum Adagasius cum. 200. fere millibus, Italiam belli feritate aggreditur, cuius exercitus à Romanis in montuosis locis conclusus, fame est potius quam ferro consumtus: ipse postremo Rex captus est, & interfectus. Era 446. anni Domini 498.

SYNODVS TOLETANA. I.

An. Chr. 438. G. Louysain Rotis & Amb. Morales lib. 11. C. 4.

ERa. 438. sub die 7. Idus Septembris, tempore Arcadii, & Honorii Flauio Stilicone, & Flauio Aureliano Coss. celebratum est Toleti primum Concilium á 19. Episc. præsidente Patrono Episcopo contra hæresin Priscilliani, in quo præcipue inter alia decretum est, vt sacerdotes Hispaniæ in perpetuo viuerent cælibatu, cum antea coniuges esse permitteretur, fuitque nationale non prouinciale Concilium, cum eo tempore sedes Toletana tot suffraganeos Episcopos non haberet, quot in eo interfuerunt.

An. Christi. 409. Rodr. Isidr. Vulsa, Vasæus.

Era. 447. anno Honorii, & Arcadii Imp, mortuo itaque Redagasia postquam Alaricus solus regnare cœperat dolens tantam multitudinem Gothorum extinctam, habito suorum consilio, ad Honorium misit Legationem, vt si permitteret, Gothi pacati in Italiam redirent: si autem aliter bello foret agendū: sed Honorius vtrāq; pollicitationem formidans, inito consilio cum Senatu, vt eos à finibus Italiæ pellerent, prouincias longe positas scilicet Gallias, & Hispanias, quas pene perdiderant concesserunt: Gothi autem acceptā donationem, & regionem sibi traditā processerunt; post quorum discessum nihil mali in Italia perpetrato, ipsisque nihil à Romanis [illegible] Stilico Patricius, & socer Honorii in Alpibus Cottiis [illegible] & ideo indignati Gothi redierūt in Italiam vsq; ad Romanam vrbem, in quam obsessam magnæ cladis impetu irruperunt, [illegible] anno 1164. Era. 445. anni Christi 410. Tantum autem

autem Gothi clementes ibi extitisse feruntur, vt quoscunque in locis sacris Christi, vel martyrum, vel basilicis confugientes inuenerunt, in vastationem vrbis non miserunt: & qui extra loca martyrum erant, & nomen Christi, & sanctorum nominabant, & ipsis similis misericordia hostilis à furore pepercit. Sic ergo euaserunt multi Romani, quibus Gothi propter Christum misericorditer pepercerunt. Gothi inquam post tertium diem, quo Romam ingressi sunt nullo hoste cogente, sponte discedunt, pauciscque ab hinc diebus Alaricus morte subita decessit, dicto anno, Era 448. in 28. regni sui anno sepultusque est à Gothis cum pretiosis opibus, in superbo monumento in alueo fluuii Barentini prope eandem ciuitatem: quem fluuium hac de causa deriuauerant aquis, denuo in locum. suum reductis. & ne locus aliquando posset cognosci, fossores omnes ad vnum interemerunt. Amb. Moral. lib. 13. Cap. 6.

3. ATHAVLFVS. regn. an. VI.

An. Chr. 411 B. Isid. & Rodericus.

ERa. 449. sub Arcadio, & Honorio Imp. Alarico mox post captam Romam vrbem defuncto, Athaulfus Gothus Italiæ regno præficitur annis 6. iste quinto regni sui anno Era 453. anni 415. ingressus est Galliam Narbonensem, quam Galliam Gothiam appellauit, ibique Placidiam filiam Theodosii Imper. sororem, quæ à Gothis Romæ capta fuerat vxorem sibi assumpsit: postque coactus bellis, cum Honorio habitis, Hispanias aggrediens, Era 454. anni Christi. 416. per militem quendam apud Barcinonem inter familiares sermones iugulatur. Hæc igitur fuit prima aggressio in Hispaniam à Gothis facta. Sed Iornandes addit illum 3. anno postquam Galliam Hispaniamque aggressus fuisset occubuisse, ilio perforato gladio Vernulfi, de cui° solitus erat ridere statura: at vero Petrus Ant. Deuter, autor est illum Barcinone, cum sex filios quos ex alia ante Placidiam coniuge susceperat occisum, & monumento eius hoc in sculptum epitaphium: Vulsa, & Isidor.

Bellipotens validi, natus de gente Gothorum,
Hic cum sex natis, Rex Adaulphe iaces.
Ausus & Hispanas, primus descendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virum.
Gens sua tunc natos & te inuidiosa peremit,
Quem post amplexa est Barcino magna gemens.

4. SEGERICVS.

Ann. Christi 416. Paul. Orosius & S. Isidorus.

ERa 454 anno 7. Theodosii minoris post Ataulphum, à Gothis Segericus Princeps electus est: qui dum ad pacem cum Romanis animum inclinaret, statim à suis interfectus est. licet alii hunc regnasse vnum annum affirment.

5. WALIA. an. 111. regnauit.

Ann. Christi 416. E. Isid. Iornand. & Vulsa.

ERa & anno quo supra, *Vualia* succedēs tribus annis regnauit: belli causa Princeps à Gothis effectus, ad pacem diuina prouidentia ordinatus. Mox enim cum regnare cœpit, fœdus cum Imp. Honorio pepigit: Placidiamq; sororem eius honorifice reddidit, & intra Hispanias cædes magna barbaris intulit. Wandalos, Silingos, in Bætica omnes bello extinxit, & confecto bello Hispaniæ, dum instructa nauali acie, in Africam transire disponeret, in fretum Gaditani maris, vi tempestatis interceptus, in Hispaniam redire coactus

Paul. Or. f.

est Era. 456. anni Chr. 418. Qui deinde per Constantiū Rom. Patric. ad Gallias reuocatur, data ab eo Gothis ob meritum victoriæ, ad habitandum secunda Aquitania vsque ad Oceanum, cum quibusdam ciuitatibus confiniū prouinciarum, vbi est & hodie prouincia Narbonensis, & Gallia Gothia: Waliam autem decessisse ferunt Tolosæ longa valetudine deprimente. quod euenit. Era. 459. anni Domini 419.

6. THEVDOREDVS. regn. an. XXXIII.

Ann. Christi 419. Isid. & Vulsa. Aliter Roderic. regnare cœpisse. Era 459. ann. D. 421.

ERa 457. sub Theodosio minori Imp. Theudoredus post Vualiam regnare cœpit, annis 33. qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recusans, exercitum mouit, & Aurelianam nobilissimam vrbem Galliæ obsedit: post hæc autem sumpto contra Athilam Regem Hunnorum prælio, in campis Cathalaunicis superatus, dum adhortans suos discurreret per exercitum pugnātium nullius telo percussus, sed equo desiliens calcantium pedibus conculcatus, vitam clausit vltimæ senectutis: quod ei prædixerunt Aruspices Atilæ. factum est igitur illud memorabile prælium in campis Cathalaunicis prope Tolosam, in quo D. Isid. & ante illum Idacius produnt supra 300. hominum millia cecidisse. Era. 489. anno Domini. 451. teste Iornande.

7. THV-

7. THVRISMVNDVS. reg. an. 1.

an. Christi. 451. Isidorus. nā Iornādus & vulsa 3. an. regnasse aiunt.

ERa. 489. primo anno Martini Imperatoris. 1. Thurismundus, filius Theudoredi regnauit * anno vno. qui postquam de Hunnis triumphauit, dum multa ageret insolētius à Theuderico & Friderico fratribus est interfectus, Era 491. anni 453. sed ante mortem vna manu, cum aliam haberet impeditam, sanguinis minatione, paruo cultello quem tenebat, de insidiantibus aliquos interfecit, seipsum vindicans.

8. THEVDERICVS. regn. an. 13.

An. Chr. 453. Isidorus Iornand. & Vulsa.

ERa. 491. anno. 2. Martini Imperatoris, Theudericus, post fraternam necem in regnum succedens imperauit annis. 13. qui pro eo quod Imperatori Auito sumendi Imperialis fastigii cum Gallis auxilium præbuisset, Aquitanias cum ingenti exercitu, & licentia eiusdem Auiti Imperatoris, etiā Hispanias ingreditur, Era. 494. anni Domini. 456. & ideo hunc dicitur fuisse Gothorum Regem primum, qui in Hispania aliquod obtinuit Imperium. & inde processit nouum ius Regum Hispaniæ ad eam obtinendam, ob eam donationem, & permissionem Imperatoris Auiti, pro datis aduersus Gallos subsidiis. Huic ergo Theodorico Reciarius Sueuorum Rex, magna copia occurrens duodecimo Asturiensis vrbis milliario, apud fluuium, qui Vrbicus appellatur, inito mox certamine superatus fuit, & peremptus ipse Reciarius, & regnum Sueuorum pene destructum est, & finitum: eodem fere anno 456. in Gallia adeptus est ciuitatem Narbonensem adhuc à Romanis possessam. Theudericus autem de Galęcia ad Lusitaniam victor succedens, dum Emeritensem vrbem deprædari moliretur, Beatiss. Eulaliæ martyris terretur ostensis. Mox aduersis sibi nunciis territus de Emerita egressus Gallias repetit, & partem exercitus cum suis ducibus, iterum ad campos Gallæciæ direxit, qui cessā Asturicensi regione rursum reuertitur ad Gallias, & ibi post aliquot annos ab Eurico fratre suo fuit interfectus. Era 504. anni Domini 466.

9. EVRICVS regn. an. XVII.

An. Chr. 466. Vulsa & Vasius: nā Rodericus Era 506. vide Tudensem.

ERa. 504. Imper. Leonis. 8. Euricus. pari scelere, quo frater succedit in regnum annis 17. in quo honore prouectus statim bello de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sæuit, & Lusitaniæ partes quasdam deprædatur, & prius capta Pampelona Cæsaraugustam inuadit, totamque Hispaniam superiorem obtinuit. Tarraconensis etiam nobilitatem, quæ ei repugnauerat exercitus irruptione, peremit. In Gallias autem regressus Arelatum, & Massiliam vrbes cœpit suoque regno vtraque subiecit. Hic autem Rex primus fuit, qui ex Regibus Gothorum Hispaniæ Monarchiam adeptus est, licet non in totum, vt alii existimauere: primus etiam fuit, qui subditis suis leges scriptas dedit, & ad Scripturæ seriem redegit, cum antea moribus, & consuetudine regerentur. obiit Arleti Euricus morte propria functus, Era. 521. anni 483. Ejectis igitur Romanis, ipse Hispanias superauit, quod memorabilissimum esse Chronica testantur, cum illi Hispaniam fere 700. annis possedissent, & sic merito primus etiam Hispaniæ Rex dicitur Euricus.

10. ELARIOVS. regn. an. 23.

Ann. Christi 483. B. Isidorus Roderic. & Moral. lib. 11. cap. 39.

ERa. 521. anno 11. Zenonis Imper. Eurico mortuo Alaricus filius eius apud Tolosensem vrbem Princeps Gothorum creatur, eosq; rexit annos. 23. qui, cum à pueritia vitam in otio & conuiuio peregisset, tandem prouocatus à Francis in regione Pictauensis vrbis, prælio inito extinguitur, eoq; interfecto regnum Tholosanum occupantibus Francis destruitur, Era 544.

11. GESELEICVS, regn. an. IV.

Ann. Christi 506. Isidorus, Vulsa, & alii.

ERa. 544. anno 17. Anastasii Imper. Geseleicus filius Eurici Regis ex concubina Narbonæ Princeps efficitur, pacificè, vel tyranidè, vt aliis placet, & regnauit annis 4. qui in prælio campestri, apud Barcinonam victus, Africam transfretauit, & nunquam rediit: indeque Rex non fuit reputatus. & dum in fugam verteretur captus trans fluuium Druentium Galliarum occiditur. Era 548. anni Domini 510.

12. THEV-

12. THEVDERICVS. II. regn. an. 15.

Ann. Christi 511.

ERa. 549. anno 26. Anastasii Imper. Theudericus Iunior, dum iam pridem à Thracia & Pannonia veniens fugato Arnulfo Rege Ostrogotorum regnasset in Italia annis 18. rursus expulso Rege Visigothorum Geselcico regnauit in Hispania annis 15. sicque prius Italo regno potitus postea Hispaniam rexit, quam superstes iusdem Amalarico nepoti relinquit. Hoc D. Isid. testatur: alii tamen referunt ea mente Hispaniæ assumpsisse regnum, vt nepoti, cum vir prouectæ ætatis fuisset, restitueret: sic ergo vt tutor illius, non regnum, sed regni administrationem renuisse. hunc que Theudericum, nunquam in Hispaniam venisse testantur. Proinde statim post Geselcicum Regem ponunt Amalaricum, cui 20. annos regni tribuunt: 15. quos secundum eundem D. Isid. & alios rexit Theudericus, & quinque quos secundum eundem D. Isidorum regnauit in Hispania Amalericus. Theudericus autem decessit Rauennę prima die Septemb. Era 564. anni 526.

Vulsa, Isido. & Vasæus & Ambr. Moral. lib. 11. cap. 42.

13. AMALARICVS. regn. an. V.

An. Ch. 526. Vulsa, Isid. & Roder.

ERa. 564. anno 14. Iustiniani Imperatoris, defuncto Teuderico, Amalaricum nepotem suum. 5. annis regnasse fertur, qui licet Arianus Crotildam Catholicam filiam Clodouei Francorum Regis sororisque Regum Childiberti, Clotarii, Theodorici, & Clodoniri matrimonio sibi iunxit: à quo ipsa religionis causa crudeliter tractabatur: adeo imbuto cruore, & sanguine, sudario ad fratres misso, ipsi ira perciti, in Amalaricum inuadentes ipsum superarunt: Narbonæ, & Barcinonam fugiēs, ignominiosè ab exercitu interemptus, obiit. Era. 569. anni Dom. 531.

CONCILIVM TOLETANVM. II.

Ann. Christi 531. Gar. Loaysa in Notis.

ERa prædicta 569. anno 5. Amalarici Regis apud Montanum Episcopum, celebratum est Toleti 2. Concilium Toletanum, 16. Calend. Iunias 8. Episcoporum.

Universidad de Deusto

14. THEVDIS. regn.an. XVII.

an.Chr.511. Vulsa. Isid. & Procopius

ERa.569.Iustiniani Imperatoris tempore,post Amalaricũ, Theudis in Hispania creatur in regem, per annos.17. menses.5. licet hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ Dei : deditque licentiam, vt Episcopi apud Toletanam vrbem conuenire possent, & ibi quæ ad Ecclesiæ disciplinam necessaria viderentur disponerent. & postquam bella gessit cum Francis, vulneratus à quodam in palatio qui iam diu dementis speciem simulauerat(finxit enim arte insaniam)perfoditque Regem: quo vulnere interfectus, decessit,& prius iussit ne quis percussorem interficeret,dicens se recipisse condignam meritis vicissitudinem, cum ipse aliquando ducem suum iniuste occidisset: quod euenit Era.586.anni Dom.548.

15. THEVDISCLVS. regn.an.I.

an.Chr.548. Procop.Isidorus & Burgensis Cap. 22

ERa. 586. anno. 12. Iustiniani Imperatoris,interempto Theudi, Theudisclus Gothis præficitur, regnans anno vno, mensibus 7. Hic pari coniuratorum manu, inter epulas cœnæ Hispalis, gladio confossus extinguitur,Era 587.anni.549.

16. AGVILA. regn.an.V.

An.Chr. 549. Procop. & B. Isidorus.

ERa.587. anno. 16. Iustiniani Imper.extincto Theudisclo, Aguila (vel vt alii dicunt) Agila, Rex creatur, regnans annis. 5. Gothi autem Aguilam apud Emeritam, fide sacramẽti violata interimunt, & Athanagildo se tradunt Er.592.anni.Dom.554.

17. ATHANAGILDVS.regn.an.XIV.

An.Chr.554 Vulsa 15.an. & 6. mensibus regnasse ait. Isidorus Pacensis, interregnũ quinq; mensium ponit. Vid.Luc Tudẽ, & Vasæum.

ERa.592.anno 38. Iustiniani Imp. Aguila perempto Athanagildus regnum, quod inuaserat tenuit annos 414. Hic cum iam diu Aguilam regno priuare conaretur, auxilia militum à Iustaniano Imp. poposcerat, & nec Aguilam à regno submonere valuit, donec ipse à suis fuit interfectus, nec eos Romanos milites à finibus regni pellere potuit.Hunc autem Regem sunt qui existiment Catholicam fidem occulte coluisse, & Christianos omni fauore amplexum: decessit Toleti propria morte,Era.605.anno Dom.587.

18. LVI-

18. LVIBA. reg.an.I.

ERa. 605. anno. 2. Iustini minoris post Athanagildum , Luiba Narbonæ regno præficitur,regnauitque annum vnum per se solus.&in 2.regni sui anno Leouigildum fratrem suum socium Regni assumpsit:ipseq; Gallię regno seu Hispaniæ citerioris contentus ibidem moritur, Era. 610.anni Dom. 572.ideo ei in ordine temporum vnus tantum annus reputatur, reliqui autem Leouigildo adnumerantur.

An. Christi. 567. B. Isidorus, vulsa & alii.

19. LEOVIGILDVS regn.an.XVIII.& HERMINIGILdus F.Martyr.

ERa 606. sub. Iustino minori , Leouigildus adepto Hispaniæ & Galliæ regno imperat solus.18.annos, qui Gosuinthani Athanagildi viduam matrimonio sibi iunxit, post obitum prioris vxoris Theodosiæ , filiæ Seueriani Ducis Carthagin. & Theodoræ , ex qua sustulerat Hermenegildum , & Recaredum, vt in vita Recaredi dicetur. Hic etenim Leouigildus otium periculosum esse ratus, regnum bello ampliare desiderans,opes instituit congregare;& studio eius exercitum concordante fauore victoriarum , & animositate præclaros multos populos subiugauit , fuditque diuerso prælio milites aduersantes : & quædam castra quæ occupauerãt, eis sustulit dimicando : Hispaniamq; ampliauit, cum antea gens Gothorum augustis finibus arctaretur: qui partes aliquas iterum post primam eiectionem tenebant, Sueui & Romani, quos ipse omnino viriliter expulit,& extinxit:sicque Gothorum prouinciam,quæ multorum rebellione fuerat imminuta,ad pristinos reuocauit honores.In primo enim regni sui anno ex Hispali translata est primaria dignitas Ecclesię Hispaniarum in Toletanam:quam primatus dignitatem postea confirmauit Cindasuinthus Gothorum Rex. In vndecimo autem regni sui anno filio suo Horminigildo Sigiberti Regis Francorum filiam Ingundam matrimonio , & etiam Prouinciæ partem tribuit ad regnandum : qui eodem fere anno factione Gosuinthæ Reginæ Tyrannidem assumens in Hispali ciuitate rebellione facta recluditur,& alias ciuitates atque castella, in societatẽ rebellionis suæ pellicit: quæ res Hispaniæ prouinciæ maioris exitii fuit causa, quã hostiũ. Anno igitur. Domini 583. Leouigildus Hispalim expugnat, & alias

An. Christi 568. Procop. Isid. Vulsa Roder. & Burgensis Abbas Vaclarẽsis.Gregor. Turon. Moralis lib. 11.Cap.46.

Ioan. Abbas & Vaseus. Roder. 2. C. 21. Morales lib. 12. Cap. 12.

Paulus Aemilius Greg. Turon. Moral. lib. 11. Cap.64.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciuitates atque castella à filio vsurpata recuperat: nec multo post eundem filium suum Cordubæ cœpit, & regno priuatum, Valentiam in exilium mittit. Denique Arianæ hæresis furore repletus in Catholicos persecutionem commouit, & nec prædicto filio suo Hermegildo pepercit, quem quidem obsessum Hispali dolo cepit. Et quia nefarijs ritibus Arianæ perfidiæ noluit aquiescere arcto carcere tormentisque varijs cruciatum, ipsum securi percussum interemit, dignumque sic Deo martyrem consecrauit. 17. regni suo anno Era. 622. anni Dom. 584. nocte Dominica. 14. mensis Aprilis: quo die, illo anno fuit celebrata Resurrectionis Paschæ: cuius quidem mors multis celebrata fuit miraculis. nam in nocturno silentio Angelorum cantus auditi sunt psallentiũ ad Regis & Martyris corpus, & accensæ lampades apparuere, vti Io. Abb. Bularensis & Burgens. affirmant: Beda autem asserit in hæc verba. *Herminigildus Leouigildi Gothorum Regis filius, ob fidei Catholicæ confessionem inexpugnabilem à patre Ariano regno priuatus insulis, & in carcerem ac vincula proiectus ad extremum nocte sanctæ Dominicæ Resurrectionis securi in capite percussus regnum cœleste pro terreno Rex, & Martyr intrauit.* Plures etiam Martyres fecit Leouigildus. Leandrum enim, Hispalen. & Mansonam Emeritensem sanctissimos Episcopos exilio relegauit: multos quoque terroribus suis in Arianam hæresin impulit. pleroſque sine persecutione illectos auro rebusque decepit. Condidit autem ciuitatem in Celtiberia, quã ex nomine filij sui Recaredi Recopolim nominauit. Hic etiam primus ærarium de rapinis Ecclesiæ ac Ciuium, & spoliis hostium locupletauit. primus deinde regali solio, veste purpurea vsus est, cum ante eum Reges Gothorum, & consessum, & vestitum haberent cum alijs nobilibus commun m. In legibus quoque ea, quæ ab Eurico inconditè constituta videbantur, correxit, plurimas leges prætermissas adijciens, pleraſque superfluas auferens quẽ in hoc laudat diuinus Isidorus: obiit autẽ propria morte Toleti, 18. anno regni sui, Era 624. Anni Domini 586. Præcepit itaque moriens filio suo Recaredo, vt Episcopos Catholicos ab exilio reuocaret, & B. Leandrum, & eius Germanum B. Fulgentium veneraretur, & coleret, vt patres. Testatur præterea D. Greg. post occisum Herminigildum, facti pœnituisse, & Catholicæ fidei veritatem agnouisse, nõ tamen vsque ad obtinendam salutem pœnituisse. D. autem Gregorius Turonensis scribit, quod postquam ægrotare cœpit (vt quidam

Ambro. Moralis lib. 11. cap. 67.

Moral. t. 691 lib. 11. post Isidorum. Tudensẽ & Vul. & Io. Abbatem.

quidam asserunt) pœnitentiam pro errore agens, & obtestans ne huic hæresi quisquam reperiretur consentiens, in legem Catholicam transiisse, & per septem dies in fletu perdurans, pro iis quæ contra Deum inique molitus est spiritum exhalasse: primum tamen, ex diuo Greg. verius creditur.

Ambr. Moralis lib. 11. cap. 171.

20. *FLAVIVS RECAREDVS. regn. an. XV.*

ERa 624. sub Martino Imperatore Leouigildo defuncto, filius eius Recaredus regno est coronatus. Hic autem fuit cultu præditus religionis, & patrijs moribus longe dissimilis. Nam ille irreligiosus, & bello promptissimus; hic fide pius, & pace præclarus: ille armorum exercitio gentis imperium; hic glorioſus eandem gentem fidei trophæo sublimauit, regnans annis. 15. In primo autem eius Regni anno consecrata fuit Sancta Ecclesia Toletana, vt anno Domini 1591. ab eiusdem Sanctæ Ecclesiæ Gaspare Quiroga meretissimo Præsule casu repertum marmore antiquissimo, extat apud Claustrum eiusdem sanctæ Ecclesiæ infixum his verbis *In nomine Domini consecratæ Ecclesiæ S. Mariæ in Catholico die primo Idus Aprilis, anno feliciter primo regni domini nostri glorioſissimi Flauii Recaredi Regis,* Era. 625. in cuius marmoris calce hæc sunt verba. Hæc leguntur in marmore antiquo reperto, anno Domini 1591. G. Q. A. T. Cum igitur ab eodem Recaredo Rege Gothorum præclarissimo communis sit scribentium & recepta sententia recta linea descendere Hispaniæ Reges, à Pelagio vsque ad Philippum I I I. Regem nostrum clementissimum, in principio eiusdem Regis vitæ, breuiter qualiter hoc accipiatur adnotare placuit. In primis ergo intelligendum est Leouigildum Regem habuisse vxorem reginam Theodosiam, filiam Seueriani magni Ducis prouinciæ Carthaginensis, qui fuit filius Theodorici Regis Ostrogothorum Italiæ. Hic autem Seuerianus ex vxore sua nomine Theodora, quæ ex inclyto Regum Gothorum genere descendebat, genuit inclytos filios, & filias; inter hos quidem D. Leandrum. & D. Isidorum quondam Archiepiscopos Hispalen. vnum post alium, & S. Fulgẽtium I. Astigitanum, deinde Carthagin. Episcopum, & duas filias. S. Florentiam virginem, monasteriis præfectam, & Theodosiam Reginam; quam diximus vxorem Leouigildi: ex qua ipse Leo-

An. Ch. 586. Procop. Vulſa Isidor. & Roder.

Amb. Morales lib. 12. cap. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

Moralis lib. 11. cap. 66.

uigildus Rex genuit duos filios. S. Hermenegildum Martyrem, & Recaredum Regem: sic ergo S. Fulgentius, & D. Isidorus fuerunt auunculi Regis Recaredi I. fratres siquidem Theodosiæ Reginæ matris eius. Recaredus autem habuit filium Cinthilam. I. eius nominis Regem, qui vt quidam testantur, nō paruę fidei authores, sub Sisebuto Rege exercitū duxit, & filiam eidem Regi, nomine Theodosiam matrimonio iungit: ex eaque sustulit filios Sisnandum, & Cindasuinthum Reges: Cindasuinthus vero ex vxore sua Reciuerga, ex sanguine Gothorum, tres habuit filios Recceuinthum Regē, Theodofredum, & Fauilam, & vnam filiam. Hic ergo Fauila Dux Cantabriæ habuit filium. S. Pelagium Regem, & primum restauratorem, post cladem illam miserandam Hispaniæ; à quo, vti omnes probant, & dictum est, recta linea descendunt Reges nostri, vsque ad D. Philippum III. Regem nostrum clementissimum. Recaredum igitur Rex in 4. regni sui, anno in Concilio. 3. Toletano, quod ad hoc aggregari fecerat, postquam Catholicam fidem professus fuerat, Sanctorum Leandri, & Fulgentii instructus doctrina, subditos omnes erroris labe detersa Arianæ sectæ, ad cultum rectæ fidei reuocauit. In belli quoque gloria satis clarus, ac præcipuus extitit. Francos enim cum 60. fere millibus armatorum in Galliam Gothiam irruentes missos aduersus eos Claudio Duce, glorioso triumpho repulit, & prostrauit: nulla inquam in Hispania Gothorum victoria maior, vel similis inuenta erat antea. Prostratis itaque, & captis plurimis militibus hostium, residua pars exercitus Gothorum, in sequentibus vsque ad limina regni sui cæsa fuit: sæpe etiam contra insolentiam Romanorum, & irruptiones Vascorum plurima bella gessit. Hic autem cœpit cognominari Flauius, & 15. regni sui anno morte propria decessit Toleti, Era 639. anno Domini 601. cuius mors fuit apud omnes subditos grauis: quia ipse ob suam singularem benignitatem, *pater patriæ* nominabatur: fuit enim placidus, mitis, egregiæ bonitatis. Tantamque in vulgus gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem gessit, vt omnium mentibus influens, etiam malos ad affectum sui amoris attraheret: adeò liberalis, vt opes priuatorum, & Ecclesiarum prædia, quæ paterna labes fisco addixerat, associata iuri proprio restituerit: adeò quoque clemens fuit, vt populi tributa sæpe indulgentiæ largitate donaret: multos etiam ditauit rebus, plurimos sublimauit honoribus, opes suas in miseris, thesauros in

ros in egenis recondens: sciens ad hoc illi fuisse collatum regnum, vt eo salubriter frueretur, bonis initiis bonum finem adeptus: fidem enim rectæ gloriæ, quam primum in initio regni percepit, nouissime publica confessione, & pœnitentia consummauit.

20. CONCILIVM TOLETANVM.

ERa. 627. die 8. mensis Maii. anno Domini 589. in 4. regni sui anno amore rectæ fidei inflammatus, Rex Flauius Recaredus, Synodum ad condemnandam Arii hæresim congregauit Toleti, cui Concilio idem gloriosiss. Princeps interfuit suaq; præsentia, & subscriptione firmauit. Hoc ergo Concilium fuit nationale totius Regni Hispaniæ, & Galliæ Gothiæ. 70. Episcopis subscribentibus illud, vel 62. secundum Rodericum Archiepiscopum: fuitq; celebratissimum propter conuersionem populorum, & confessionem fidei Catholicæ, cum antea Hispaniæ Principes Gothorum, & fere omnes subditi eorum Ariana essent hæresi occæcati: & fuit. 3. in ordine communi ex Toletanis: in eo igitur Arianam hæresim, quam per 213. annos pertinaciter defenderant Gothi omnes detestati sunt: fuitq; eliminata ab Hispanis, qua infecta fuerat à tempore Athanarici Regis. 1. Gothorū, & Valentis, Imp. qui (vt superius adnotauimus) dedit Gothis Doctores, vt in ea hæresi instruerent: & ideo in hoc Concilio ponitur Homilia S. Leandri de laude Ecclesiæ pro Conuersione Gothorum, quæ sic incepit: *Festiuitatem hanc omnium esse solemniorem festiuitatem, natiuitas ipsa significat*, &c. Similiter etiam cum olim Finlandiæ vltima Aquilonaris regio, quemadmodum plures vicinæ terræ pagana superstitione seducta fuissent. S. Euricus Rex in illa prouincia, & S. Henricus Vpsalensis Archipræsul, ad Christi fidem conuerterunt, iuxta annos Domini 1155. Deincepsque facta regio præcipua omnium virtutum amatrix, præsertim liberalitatis, & hospitalitatis, qua incolæ eius in aduenas, & peregrinos per summam beneuolentiam vtuntur. Nec his dissimiles incolæ Occidentalis Bothniæ reputantur, qui deficientibus scholasticis disciplinis, naturali lege ita instituti sunt, vt vitia detestentur, & virtutes amplectantur. Deprehendunt enim omnibus bonis eos affluere, qui rectè viuunt, ac nemini nocent, & è contra ob detestanda crimina, fornicationes scilicet, & adulteria, furta, homicidia admissa, aues & bestias, nemora, ac pisces aquas frequentius reliquisse.

Garsias Loaysa Notis ad III. Tolet. Conciliū.

Olaus Magnus lib. 4. cap. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Notandum tamen est, quod in hoc Concilio, nouiter Toletum *vrbs Regia* appellatur, quasi in competentiam Imper. Constantini, eiusque vrbis Regiæ Constantinopolitanæ. Ex principio autem eiusdem Concilii, adnotanda etiam sunt verba, vbi Recaredus Concilium alloquens asserit: *Adest omnis gens Gothorum inclyta, & fere omnium gentium gemina virilitate opinata, quæ licet suorum prauitate doctorum à fide hactenus vel vnitati Ecclesiæ fuerit Catholicæ segregata, totum nunc tamen mecum assensu concordans*, &c. & paulo inferius: *Proinde sanctissimi patres, has nobilissimas gentes, quæ lucris per nos Dominicis applicatæ sunt, quasi sanctum, & placabile sacrificium, per vestras manus æterno Deo offero.* In quo etiam Concilio cap. 14. statutum est, ne quis Iudæus fungi possit officio publico in Regno: quam constitutionem ægre ferentes Iudæi, moliti sunt Regis rectitudinem mentis, magna pecuniarum summa inflectere: sed Rex Catholicus Dei iudicio placere studens, innocentiam auro prætulit. Quod factum D. Greg. in suis Epistolis meritis laudibus extollit.

Amb. Morales lib. 11. c. penult. & li. 12 cap. 3. extremo.

21. *LIVBA.* II. *regn. an. 11.*

ERa 639. post Recaredum Regem Filius eius Liuba. II. regnare cœpit, & regnauit annis duobus sub Marciano Imp. ignobili quidem matre progenitus, sed virtutum indole insignitus, quem in primo flore adolescentiæ Victericus sumpta tyrannide innocuum regno deiecit, præsciissaq; eius dextera occidit: anno ætatis suæ 20. regni vero 2. Era 641. anni Dom. 603.

Ann. Christi 601. Isidor. Moral. lib. 2. c. 9.

22. *WICTERICVS. regn. an. 6.*

ERa 641. extincto Luiba Victericus, regnum, quod viuente illo inuaserat sibi vindicat, annis 6. mẽsibus 10. vir quidem strenuus in armorum arte, sed tamen expers victoriæ, nam cum aduersus Romanos sæpius bellum intentasset, nihil gloriæ dignum fecit: præter quod quosdam milites captos duxit Saguntiam. Hic in vita multa illicita fecit: in morte autem gladio periit: quia gladio innocentem Liubam occiderat. inter epulas enim prandii coniuratione quorundam Liubæ consanguineorum est interfectus. corpus vero eius viliter est exportatum, atque sepultum. Era 648. anni Domini 610.

Ann. Christi 605.

23. *GVN-*

23. *GVNDEMARVS. regn. an. 11.*

ERa 648 Gundemarus, sub Phoca Imp. post Victericum Princeps efficitur annis 2. Hic Vascones vna expeditione vastauit; alia militem Romanorum obsedit. Hic etiam primus statuit, vt nullus ad Ecclesiam confugiens, inde inuitus extraheretur. Toleti propria morte decessit. Era 650. an. Dom. 612.

Ann. Christi 610. Ex Isid. sed Vulsa ait regnasse annũ 1. mens. 10. dies 13. Vide Moral. lib. 12. c. 11.

24. *SISEBVTVS. regn. an. 8.*

ERa 650. sub Heraclio Imp. Sisebutus post Gundemarum ad regale fastigium euocatur regnans annos 8. menses 6. dies 16. Hic autem *Christianissimus* ab historicis vocatur, & zelo fidei accensus, in primo regni sui anno Iudæos ad fidem Christianam cõpellit; duasque leges tanxisse referunt: alteram, qua omnes successores suos sub perpetua maledictionis cẽsura obstringit, quicunq; regum mancipium Christianum Iudæo seruire, vel famulari permitteret. * Alteram vero legem condidit, vt omnis aut in expeditione exercitus non progrediens, aut de exercitu fugiens testimonio dignitatis suæ irreuocabiliter careret: quam posteriorem, vt duram, & reipub. damnosam temperamento suo postea mitigauit Eruigius, sub 12. Concil. Toletano. Fuit autem Sisebutus eloquio nitidus, literarum sapientia doctus, in iudiciis strenuus, ac præstantissimus pietate, mente benignus, gubernatione regni præcipuus, in bellicis documentis, & victoriis semper clarus. Astures enim rebellantes, misso exercitu perducem suum Richilanem, in ditionem suam reduxit. Rocones arduis montibus vndique circumseptos, similiter per Duces deuicit. De Romanis quoque præsens feliciter triumphauit, & quasdam vrbes pugnando subegit. adeo clemens post victoriam, vt fere omnes ab exercitu suo hostili præda in seruitutem redactos, precio dato absoluerit: eiusque thesaurus redemptio captiuorum existeret. Ecclesiam sanctæ Leocadię Toleti miro ordine fabricauit. Hinc, alii morbo, alii veneno asserunt interfectum Toleti, Era 659. anni Dom. 621. Tempore autem huius Regis venerabilem Claudium, sedis Metropolitanæ sanctitatis præconio præfulgentem ecclesia veneratur. Isidorum quoque Hispalensem Metropolitanum, tunc temporis Hispania celebrabat, vt sanctissimum, egregium, & præclarum.

Ann. Christi 612. Vulsa Isidorus & alii.

** Vt in l. 14. tit. 2. lib. 12. fori Iudicũ & lib. 15. ibidem.*

Roder. & Burgensis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

25. *RECARDVS. II.*

an. Christi. 621. Isidorus & vulsa.

ERa. 659. post mortem Sisebuti regnauit filius eius an. Chr. 921. Recaredus huius nominis. 2. ad huc paruulus, quem tres tantum menses regnasse sunt qui dicant: ideo D. Isidorus, & Tudensis eum in Catalogo Regum non ponunt.

26. *SVINTHILA. I. regn. an. X.*

ERa & anno quo supra. 10. Heraclii Imp. creatus est Rex Gothorum Flauius Suinthila Recaredi I. filius & nepos Leouigildi, regnauit annis. 10. Et in eo conueniunt omnes, hunc totius Hispaniæ Monarchiam, intra fretum Oceani, (quod nulli retro Principum est collatum) pulsis Romanis primum obtinuisse inter Gothos. Rursus asserunt in initio regni sui, incursus Vasconũ repressisse, qui Tarraconensem prouinciam infestabant. & præter has militaris gloriæ laudes, plurimæ in eo virtutes Regiæ refulsere, quas in vltimis sui Regni annis, vt alter Salomon, contrario virtutis opere obscurauit. Mutauit ergo ingenium: neq; regale diadema, ad finem vsque vitæ tueri potuisse, constat ex Paulo Æmilio, qui his verbis illud obtestatur, dicens, *Mortuo Sisebuto Rege clarissimo, haudquaquam pari gloria successerat Sentila* (ita eum appellat:) *Cuius cum Vuesegethos ferocem gentem puderet, pœniteretque, Sisnandus æmulus Regni in Francia, ad Degobertum Regem profectus, auxilium impetrauit.* Neque vero solum fascibus Regni sui exutus, verum etiam communi patrum decreto excommunicatus est, 4. Concil. Tolet. vt ex ipsius Concilii actis constat, vbi hæc sunt verba. *De Suithilane, qui propria scelera metuens se ipsum regno priuauit, & potestatis fascibus exuit, id cũ gentis cõsultu decernimus, vt neq; eum, vel vxorem eius, propter mala quæ commiserunt, neque filias eius vnitati nostræ vnquam consociemus, neque eos ad honores, à quibus ob iniquitatem detecti sunt aliquando promoueamus: quique etiam, sicut in fastigio regni habentur extranei, ita à possessione rerum, quas de miserorum sumptibus auxerunt maneant, alieni, præter id quod pietate piissimi Principis nostri fuerint consecuti.* Hæc ibi: vbi adnotandũ est, quanta fuerit huius Concilii Episcoporum authoritas eius temporis, tam apud Reges quam in populo: vt etiam in ipsos Reges censuram suam exercerent. Secundo uidetur, Sisnandum Regem, qui in eo Concilio interfuit, non fuisse eius Regis Suinthilæ filium, vt aliqui affirmant: aliter enim, neque

Vulsa, Isidor. Tudensis, Roderic. & Vaseus. Moralis lib. 11. c. 16.

neque Sionandus aduersus eum insurgeret, vt dictum est, fecisse: neque in Concilio, patris memoria, & filiorum eius, coram ipso taliter damnaretur: neque ipse illud sufferre potuisset. proinde ego (vt opinor) Tisnandus non fuit filius Suinthilæ. Cindasuintus autem sic, qui fuit auus Regis Pelagii. Aliter enim probari minime potest eius successio, nec deriuatio à Rege Recaredo I. à quo communiter omnes scribentes, recta linea descendere affirmant Pelagium, & ab eo Reges Hispaniæ, vsque ad Philippum Regem nostrum: vel forte habuit eum Suinthila priusquam Regni solium ascenderet, ex vxore sua Theodora, quo tempore, & in prioribus Regni sui annis, constat ex prædictis, & maxime ex traditis ad eum per D. Isidorum, ipsum bonum Principem atque omni genere virtutum præclarum extitisse, licet in vltimis inique se gesserit. Concilium ergo scelera eius damnat, aliamque vxorem & filios, quos postea habuit, non vero quos antea genuerat cum virtutis splẽdor in eo fulgebat, & sic ante peccatum: alias enim contra naturalem æquitatem videretur, vt filius puniretur pro patre, & iniquitas eius eum afficeret, contra disposita in Concil. Tolet. VI.

Vaseus Moralis lib. 12. c. 16. Michael Riccius Tudensis & Rodericus.

Habuit igitur Suinthila al. filium nomine Rechimirum quem in consortio regni assumsit, & pari cum eo in patris solio conregnauit, in vltimis regni sui annis: breuiter tamen in vita patris decessit. Suinthila autem moritur Toleti, Era 669. anni Domini 631. Sunt tamen qui dicunt ipsum Suinthilam reliquisse regnum, timore ne ab eo, vt ab indigno sui auferrent: alii ab eo expulsum fuisse asserunt.

Mor. lib. 12. c. 16. & 17. Roderic. & Burgensis.

27. *SISNANDVS. regn. an. III.*

ERa. 669. sub Heraclio Imp. Sisnandus Rex creatur, qui per tyrannidem regnum fuit adeptus, regnans annis 3. mensibus. 2. non legitur aliqua bella gessisse, sed leges condidisse plurimas ex iis, quæ in libro, quem forum *iudicum* vocant, continentur. decessit igitur Toleti propria morte, Era 673. anni Domini 635. mense Aprili decurso, secundum veriorem numerationem. licet aliter alii sentiant.

Chr. 631. Morales lib. 11. c. 20. in fin. Roderic. & Burgensis Vaseus.

CONCILIVM TOLETANVM. IIII. & forum Iudicum.

ANno igitur Sisnandi Regis. 3. sub. Iusto Toletano primate, celebratum est. 4. Concilium Toletanum in Ecclesia S. Leoca-

Amb. Mor. an. D. lib. 12. c. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diæ virginis, & martyris. 5. die mensis Decembris. anno Imperii Heraclii. 18. Era. 671. anni Dom. 933. congregatis ad hoc Concilium 68. Episcopis secundum Archiepiscopum Rodericum vel. 66. secundum rubricam huius & fori Iudicū his verbis: *Este libro fue fecho de 66. Obispos*, è no. 4. *conceyo de Toledo, ante la presencia del Rey don Sysnando, è no tercero anno, que el regno en à Era de 681. anno Rey Sysnando.* In quo etiam vltimo sese offert maxima temporis difficultas: quia Sisnandus, vt dictum est, decessit Era 673. sic 8. annos ante dictum annum, Era 681. quo & enim anno regnabat Cindasuintus, vt inferius apparebit, post alios duos Reges Gothorum Cinthilam scilicet 2. & Tulcam, qui etiam regnauerunt post Sisnandum, & ante Cindasuinthum, vti ex hoc Chronico manifeste deducitur. Sic ergo secundum temporis rationem quam colligit summo studio D. Garsi à Loaysa in collect. Conciliorum Hispan. sub notis, ad hunc Tolet. 4 celebratū fuit dicto anno Domini 633. Era 671. sic 10. annos ante predictam Eram 681. in d. rubr. assignata. Cæterum, cum in hoc non possit nec inueniatur ob eius antiquitatem, quid certum quod possit affirmari, credendum est viro experto, & quidem doctissimo, quem constat summa cura, ac diligentia inquisiuisse & inuestigasse: vbi & obtestatur & probat hoc fuisse generale seu nationale Concilium, in hæc verba. *Est Concilium nationale, nam Cinthilæ Regi, qui primus ex omnibus Regibus Gothis, qui pulsis Romanis totum Hispaniæ regnum obtinuit, successit Sisnandus, qua de causa, vt imperium obfirmaret conuocat totius gentis, & omnium prouinciarum Synodum.* Fuit ergo celebratissimum: tum propter assistentiam S. Iusti, & D. Isidori, ac Iuliani. SS. virorum: & constat primum ex ipsomet. 4. Tolet. in Cod. Latino, in exordio habetur in principio, illis verbis: *Et quoniam generale concilium agimus.* Tum etiam quod in eo res grauissimæ, tam rerum spiritualium, & ecclesiæ, quam temporalium, & reipub. tractabantur. Hæc igitur concilia, dicebantur nationalia, eo quod totius gentis, & nationis primates, principes, prælati, Episcopi, & magnates regni in vnum congregati inibi assistebant: eorum ideo magna fuit autoritas. Erant ergo regales curiæ, & sedes publici Concilii, cum ibi non solum Ecclesiasticæ res agebantur, sed etiam seculares ordinabantur leges, & constitutiones, vt ex iis legibus aperte ostenditur.

Morales lib. 11. cap. 3. & c. 55. & Vasæus in vita Sunthilæ.

De foro iudicum quis auctor, & quando cōditum.

Fertur namque (vt alia omittam) in hoc Toletan. 4. collectas fuisse libri fori iudicum leges: alii vero Regi Eruigio hoc tribuunt, alii Diuo Isidoro: verius tamen est in hoc Cōcilio fuisse collectas, & comprobatas eius libri leges, quę tunc temporis iustę & ex vsu vide-

bantur, tam quæ à Rege Sisnando, quam aliæ quæ à prædecessoribus eiusdem fuerant promulgatæ: vltimo tandem per Flauium Egicam ante penultimum Regem Gothorum sub Concilio Toletan. 17. fuisse recollectum illum librum, nunc extat: & vltra inibi tradita credendum censeo, manifestum esse errorem affirmare hunc librum *Iudicum* Regum Gothorum à D. Isidoro Hispal. Archiepiscopo fuisse collectum: quia vt ex pluribus constat D. Isidorus decessit I. an. Regis Cinthilæ. 2. successoris Sisnandi, Era. 674. In hoc autem libro sunt leges fere omnes Regum Recceswinthi, Wambæ, Egicæ, & aliorum: qui, vt ex hoc Chronico constat, fuerunt successores dicti Regis Cinthilæ, sicque regnauerunt plures annos post D. Isidorum: qualiter ergo potuit ipse, leges quæ nondum fuerant conditæ, recolligere? aut quare si ipse cōdidisset, tempore eiusdē non sunt promulgatæ? quare sub regibus successorib. cursim, ordinateq; ac speciali nomine sunt cōscriptæ? q, si dicas cū Vasæo; Eruigiū Regē initio regni sui leges Gothicas recognouisse, & à S. Isidoro institutas euulgari feciſſe suo nomine, ne (vt ille asserit) Ecclesię nomine forū iudiciale agi videretur: dicendū est hoc nō probari, imo euidentius contrariū apparere ex prędictis: & quia quā plures huius libri leges pœnam infligunt delinquētibus, aliquādo mortis, sanguinis, ac membrorum mutilationis: sanctus ergo ille vir ab iis certe, & similib. legibus cōficiēdis abstineret absq; dubio: nō tamē dubito quin Verū sit aliquas, & forte plures leges ex eis, quæ in illo sunt libro absq; aliqua subscriptione; spiritualia tamē, & ecclesiastica cōcernētes, ac rectā reipub. ordinationē sua singulari eruditione, & doctrina cōfeciſſe: alia etiā à prędecessoribus Regibus iura cognita recognouisse: aliaq; eo cōsulto, nouiter promulgata fuisse eo viuente: eo tamen defuncto, cōplures huius libri leges quinimo maior pars earū à Regib. successoribus, sub Cōcil. Tolet. cōditę recollectæq; sunt, & ad seriē redactæ ordinateq; sub rubricas, & titulos pro vt nunc exstāt: principio Latino sermone, postq; vulgari Hispano rudi in mēbranis manu exaratus fuit, vt alibi diximus. Ex quib. deniq; resoluendū est, vt diximus, per Flauiū Egicā vltimā recollectionē huius lib. fuisse cōfectā, & forte tēpore Eruigii * soceri, cui⁹ ēt socius in regno fuisse creditur: sic ergo I. Rex Gothorū, qui leges scriptas subditis suis in Hisp. dedit, fuit Euricus quas & alias cōfecit Leouigildus. Primus autē Rex, qui recollectionē ordinate fecit, fuit hic Rex Sisnādus in hoc Tolet. 4. Cōc. ideo minirū illi hęc ordinatio communiter tribui solet: post vero Flauius Rec

Vide Isid. li. Etimol.

Ad legem 9. tit. 1. l. 2.

**Cod. Latinus Præmio carens non Sisnando sed Eruigio tributus. qui fuit socer Egicæ his verbis. An. feliciter. regn. gloriosissimi Domini Eruigii Regis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceſuinthus aliam collectionem videtur confeciſſe legum ſuarum & prædeceſſorum ſub Concilio 8 vt ex eo,& ex vita eius colligitur, & aliam ſimilem fecit legum collectionem Eruigius,ſub concilio.12 Toletan,vt ex actis eiuſdem,Concilii conſtat: vltimi itaque Flauius Egica Rex, legum Gothorum recollectionem fecit, ſub. 17. Concilio Toleta. Niſi dicas hanc, & illam recollectionem: quæ, vt dictum eſt,facta fuit,ſub.12. Toletano eandem fuiſſe.

28. CINTHILA. II. regnavit an. 3.

An. Chriſti. 635.

ERa.673.poſt Siſnandum,Cinthila huius nominis. 2. Gothis præficitur, & regnauit annis 3. menſibus 9. dies 19.deceſſit Toleti, Era.678.anni Domini 6 ,8.

Sic Vulſa. Vaſeus enim ſentit obiiſſe an.Do. 640 quem ſequitur. Loayſa.

CONCILIVM TOLETANVM V.

B.Iſidori mors.

Rodericus Vaſeus & Loayſa.

INprimo autem anno regni Cinthilæ, coactum fuit Concilium Toletan.5.in templo S.Leocadiæ.20.Epiſcoporum.Era. 634. anni Domini 636. in quo B. Eugenius vrbis regiæ Toletanæ Metropolitanæ primarius prefuit,vel ſaltem interfuit,& ibi teſte Roderico Archiepiſcopo,non ſolum de rebus mundanis,verum etiam de diuinis multa, ignaris mentibus, à lumine gratiæ ſunt infuſa.fuit autem nationale, vt probatur ex Concil.Toletan.6. c. 18. illis verbis *Iam quidem in antecedenti vniuerſali ſynodo.*In hoc ergo Concilio fertur D.Iſidorum Hiſpal.Archiepiſcopum mortem ſuam prædixiſſe.Anno igitur præd. 616. 4.die menſis Aprilis in quo Eccleſia eius feſtum celebrat,migrauit ad Chriſtum D. Iſidorus, qui cum celebrato ſacro ouibus ſuis cœleſti pabulo paſtis, & ſublatis in cœlum manibus data benedictione ſupremum vale populo dixiſſet, ſanctiſſimam animã auctori ſuo reddidit.Hunc B.Ildefonſus affirmat.40. fere annis Hiſpalenſem rexiſſe Eccleſiam, tantamque in dicendo gratiã habuiſſe, vt auditores ſæpe in ſtuporem verterer. Aiunt etiam, examen apum ipſi infanti viſum in os ingredi, & egredi, & in cœlum vſq; euolare: quod etiam de B.Ambroſio legitur.

CONCILIVM TOLETANVM. VI.

SExtum etiam Concil. Toletanum. 28. Epiſcoporum de obſeruatione fidei Catholicæ, & aliis eccleſiaſticis diſciplinis coactum fuiſſe probatur: tempore huius Regis Cinthilę in. 2. regni ſui anno, ſub

ſub Eugenio Toletano vrbis regiæ Metropolitano,& primate.8.die Ianuarii.Era 675.anno Domini.637.* fuitque nationale, vt ex eius principio apertiſſime patet.

** Sic Loayſa Notis adiicit Concilium.*

Ambroſius vero Moralis lib. 12. cap. 13. contendit coactum fuiſſe, anno Domini 656.die 8.Ianuar.ſed illud verius.

29. TVLCA regn.an.11.

An. Chriſti. 638.

ERa 676.mortuo Cinthila,Tulca bonæ indolis, & ſtirpis, Gothorum regnum ſuſcepit, & regnauit annis .2. menſibus 4. Is ergo clemens & Catholicus in omnibus eſt inuentus: regna ſibi ſubdita pacifice dilatauit: in iudicio rectus iudex claruit, Largitate magna præfuit, lenitate ſynodos à ſuis prædeceſſoribus confirmatas authoritate ſimili confirmauit. Doluit autem gentem Gothorũ eam tam cito,tam bonæ indolis iuuenem amiſiſſe; cunctis flentibus; quia flos tantæ indolis in fructum non adoleuit. Toleti propria morte deceſſit,Era 678.ann.Do.610.vt B.Ildefonſus affirmat.Nam Roder.Burgenſ.& Vaſæus aiunt deceſſiſſe biennio poſt.

30. CHINDASVINTVS. regn. an.X.

An. Chriſti 640.

ERa 678. poſt Tulcã Chindaſuinthus, quem alii Cindaſuindum vocant, per tyrannidem regnum Gothorum inuadens, regnat annis 10.menſibus 5.dies 20. Anno autem 647.& ſecundum Roder. anno 649.filium ſuum Receceſuinthum,vt mos erat, comitem in regno ſuſcepit Deceſſit propria morte Toleti: alii tamen veneno fuiſſe interemptum affirmant,vltima die Septemb. Era 688.anni Dom. 650.* Hic ergo plures leges ſubditis ſuis dedit. Habuit hic tres filios, & vnicam tantum filiam ; Receceſuinthum ſcilicet, qui ei ſucceſſit, Theodofredum Ducem,& Fauilam patrem Pelagii.

** Sic Ambr. Moral.lb.12. c.28. licet Iſid.Pacenſ. & Tudenſ. regnaſſe aſſerunt ann. 6. per ſe & cũ filio Receceſuintho, quod firmat & Roder.*

CONC. TOLETANVM.

IN 6. autem anno Regni Chindaſuinti , coactum eſt Toleti. 7. Concilium Tolet. 30. Epiſcoporum die 15. Calend. Nouembris. Era.684.anni Domini.646.fuitque nationale, vt ex actis ipſius conſtat.

Chr.646.

31. FLAVIVS RECCESVINTHVS reg. an. 22. vno menſe dempto.

ERa. 688. mortuo Chindaſuinto, regnat per ſe ſolus Flauius Receceſuinthus annis 21.menſibus 11. ſic ergo tam per ſe ſolus; quam ſimul cum patre regnat. 23.annos,menſibus 6.dies 11.Hic fidem Ca-

Chr.650.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corde diligens à scholis sanctæ Scripturæ petebat dubia Scripturarum, & articulos fidei declarari: adeò, quod eum diuinæ Scripturæ semper collatio delectabat: altaria Christi ornamentis decorabat. Vasconum autem incursum cum modico exercitu repulit sine damno. Recceſuinthus itaque cunctos ſubditos mire dilexit, & ſic ab omnibus fuit dilectus: deceſſit morte propria. Era 710. Anni 672. primo die menſis Septemb. Hic ergo leges prædeceſſorum, quæ in vſu erant, & plures quas ipſe confecerat in compendium contraxit: & ipſe primum cognominatus eſt *dominus, glorioſus*, & Flauius: vt ex legibus voluminis fori Iudicum conſtat.

CONCILIVM TOLETANVM. VIII.

Anno autem 5. Regni Recceſuinthi, coactum fuit 8. Concilium Toletan. 52. Epiſcoporum in Baſilica ſancti Petri & Pauli 17. Calend. Ianuarii, in feſto D. Ioannis Euangeliſtæ, Era 693. anni Domini 655. præſide ſancto Eugenio 3. eiuſdem. Metrop. primate, in quo interfuit ipſe Rex deuote & humiliter petens legum correctionem, & alia quæ in Concilio habentur: confecerat enim hic ferè omnes fori Iudicum leges, vt ex contextu eius patet; in eoque Concilio ponitur quædam abiuratio Iudæorum ſuæ ſectæ.

CONC. TOLETANVM. IX.

IN 7. Regni eiuſdem Regis, Era 695. anni 657. celebratum fuit 9. Concil. Toletan. 16. Epiſcoporum, præſide ſancto Eugenio in Baſilica Sanctæ Mariæ Toleti. 8. Calend. Decemb. in quo non legitur interfuiſſe Regem.

Amb. Morales lib. 12. cap. 32.

CONCILIVM TOLETANVM X.

IN 8. vero anno Regis Recceſuinthi, Era 696. anni Domini 658. congregatum fuit. 10. Concil. Tolet. ſub eodem D. Eugenio Tolet. primate 20. Epiſcoporum 1. die Cal. Decemb.

DIVVS EVGENIVS S. ILDEFONSVS.

EOdem ferè anno, migrauit ad Chriſtum S. Eugenius, eius nominis 3. Archiepiſcopus Toletanus, & ſubrogatur in prælatia D. Ildefon-

defonſus, aduocatus & patronus (quem alii Illefonſum, alii Alfonſum vocant) genere nobilis, diſcipulus B. Iſidori, Monachus profeſſione, vir per omnia laudabilis, & præcipuus ſanctitate, demũ Pontifex Toletanus. & cum eo tempore Helladius, & Pelagius è Gallia venientes, pleraſq; partes Hiſpaniæ errores labe infeciſſent, virginitatẽ B. virginis infamãtes, B. Ildefonſus illis occurrens ſanctarũ literarum teſtimoniis, & lingua melliflua, & gratia in labiis ſuis diffuſa, eorũ dogma confutauit, & ab Hiſpaniis cõfuſos abegit. & inde in feſto glorioſæ Virginis, quod 15. Calend. Ianuar. celebratur, cũ ipſe ad matutinale officiũ comitatus clero, & populo, & multis luminaribus ad Eccleſiam conueniſſet; apparuit ei B. Virgo choris Apoſtolorum, martyrũ, ac virginum comitata & ſic ait. *Quia fide certa, & conſciẽtia pura lumbos tuos virginitatis cyngulo accinxiſti, & gratia in labiis tuis diffuſa, virginitatis meæ gloriam in cordibus fidelium depinxiſti, accipe veſtem de Theſauris filii mei, vt iam in hac vita veſtimento gloriæ adorneris, & ea in meis, & filii mei ſolemnibus veſtiaris.* & his dictis cum glorioſo cætu quo apparuerat, ad gloriam filii remeauit. Beatus autem Ildefonſus de promiſſis ſecurus, munere ſuſcepto remanſit. quod quidem teſtimonio D. Leocadiæ virginis, & Martyris celebre fuit, quæ ei coram Rege, & populo in ſuo templo aſtantibus viua voce, è ſepulcro ſuo eleuata, inquit: *Per te o Ildefonſe, viuit gloria Dominæ meæ.* Ipſe autem collocatur in cælis migrauitque ad Chriſtum, primo menſe anni Domini 667. 18. regni Recceſuinthi.

Io. Vaſeus in Recceſuintho. Vulſa Reder. Burg. Tudenſ. & Morales lib. 11. cap. 39. & 40.

32. VVAMBA regn. an. IX.

ERa 710. poſt Flauium Recceſuinthum, regnauit Wamba annis 9. menſe 1. dies 14. Qui cum ad Regni faſtigium vnanimiter vocaretur à Gothis, renuens tamẽ, & inuitus minis, & terroribus vix conſenſit: decreuitque vt priuſquam eligeretur vnctionis reciperet Sacramentũ, in tẽplo B. Virginis Toletanæ. quod cũ ſolemniter efficeretur, euenit vt in ipſa hora, qua à Quirico Archiepiſcopo, & primate eiuſdẽ Tolet. Eccleſiæ vngeretur, cunctis cernẽtibus, viſus eſt vapor à capite Regis in modũ colũnę fumeæ aſcẽdiſſe, viſaq; eſt pariter apis de eiº capite proſiliiſſe, & ad cœlos cõtinue volitaſſe. Hinc ergo credẽtes ſubditi regnum tẽpore eius regis feliciter, & in pacis dulcedine gubernandum. Fuit ergo Rex Wamba vir nobilis, de Go-

An. Chriſti 672. Procop. Reder. Burg. & Vaſeus. Vulſa. Moralis lib. 12. cap. 52.

Universidad de Deusto
Biblioteca

thorum regum genere procreatus, strenuus, pacificus, mansuetus. In principio regni illius Paulus Græcus, vnus de magnatibus Regni, contra eum rebellauit, quem Wamba Magno exercitu, apud Nausam, & de capto Paulo, & fautoribus eius triumphauit Toleti. Compositis ergo rebus Toletum muro, turribus, atque ædificiis elegantibus exornauit, atque in turri quadam, hos versus marmore insculpi fecit.

Erexit fauore Deo, Rex inclytus vrbem:
Wamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

Et alios versus posuit, in porta proxima ponti de Alcantara.

Vos Domini sancti, quorum hic præsentia fulget,
Hanc vrbem, & plebem solito seruate fauore.

Eodem fere tempore ducentæ, & septuaginta naues Arabum ad littus Hispaniæ peruenerunt, sed misso per Regem exercitu concremantur, sic triumphator magnificus, & victor exstitit. Attamen cum humana prosperitas aduersis carere non possit, & extrema gaudii luctus occupet, per Eruigium Comitem ac Regni cupidum, & consobrinum Chindasuinti Regis veneno potui mixto inficitur, Era 719. anni 681. qua potione memoria Regis turbata, Agatus Archiepiscopus, cum magnatibus regni sacramenta ministrauit. Rex se postremum mori existimans humiliter religionis habitum induens, ad monasterium sancti Petri de Arlança, in Pampliega districtu Burgundiæ conuolauit: in quo vixit melius sibi regnans piè, & sanctè 7. annos, menses. 3. vitamque finiuit, Era 726. anni Domini 688.

CONC. TOLETANVM. IX.

QVarto autem anno Regni Wambæ, coactum fuit Concilium Toleta. 11. 17. Episcoporũ, sub Agato primate, in templo B. Mariæ Toleti. 7. Idus. Nouemb. Era. 713. anni 675. in quo præcipue facta fuit, legitima sedium Episcoporum Hispaniæ diuisio.

32. ERVIGIVS. regn. an. 8.

An. Christi 608. ERa 718. Eruigius eo, quod esset Regis Recesuinthi consobrinus tyrannicè regnum inuaserat, viuente adhuc Wamba in monastica vita professus, regnans annis 7. ferunt tamen, hunc ab eodem Rege

Ex Procopio. Nam Vasæi & Morales lib. 12. cap. 54. tribuunt 681. & hunc regnasse annos 6. dies 24.

Rege Wamba electum fuisse, antequam se monasticæ vitæ consecraret. Hic autem Cixilonem filiam suam magno viro Egica, Wambæ Regis consobrino dedit vxorem, metu (vt aiunt) ne regni sui primordia impediret * Theodofredus, Regis Chindasuinti filius, qui adhuc viuebat. Decessit Eruigius Toleti. Era. 730. Anni. 692.

** Roder. & Burg. aiunt fuisse filium Recesuinthi Regis.*

CONC. TOLETAN. XII.

PRimo igitur anno regni Eruigii, Era. 719. anni Dom. 681. die 5. Idus Ianuarii coactum est Concilium. 12. Toletanum, sub Iuliano eiusdem Ecclesiæ Toletanæ primatæ; ex cuius Concilii. cap. 6. constat, iam tunc temporis Episcoporum electionem fuisse Regum Hispaniæ, quod est notabile. In hoc etiam primo huius Regis anno, &, vt creditur, in hoc Concilio, Eruigius leges Gothicas, prædecessorum suorum recognouit, & aliquas à sancto Isidoro institutas nomine suo fecit euulgari, ne Ecclesiæ nomine forum iudiciale agi videretur.

Lucas Tudensis & Vasæus.

CONC. TOLETAN. XIII.

ANno Regni Eruigii. 4. Era. 721. anni Domini 683. celebratum est Concilium Tolet. 13. in quo præcipue. c. 5. prohibitum est, sub graui comminatione, ne quis defuncti regis vxorem superstitem connubio sibi copulare, aut adulterina pollutione contaminare audeat, & fuit nationale sub Iuliano Toletano primate.

CONC. TOLETAN. XIV.

ANno autem 5. eiusdem Regis, Era. 722. anni Domini 684. coactum fuit 14. Concilium Toletan. & hoc dicitur prouinciale, sub Iuliano Archiepiscopo Tolet. non ergo fuit nationale, seu generale, sicut cetera quæ fuerunt totius Hispaniæ, & Galliæ, Gothiæ. Interfuerunt itaq; in eo. 17. Episcopi, astantibus tamen inibi Vicariis, aliarum regni prouintiarumque sedium.

Universidad de Deusto

34. FLAVIVS EGICA. regn. an. XV.

Anno Chr. 687. Tudenſis. Rodericus. Vaſæus. Pacenſis.

ERa 725. Flauius Egica gener Eruigii, poſt eius mortem ad regni Gothorum aſſumitur principatum, & regnauit annis 15. quorum 5. ſimul cum filio regnat: quia 5. annis, vel vt aliis placuit 4. ante mortem, anno Do. 697. iam ſenio grauatus, filium ſuum Witizam ex Cixilone conſortem fecit, ac Tudæ in Gallecia, cui regno peculiariter ipſum præfecit, ſedemque habere voluit: vbi etiam Fauila dux Cantabriæ, filius Cindaſuinthi regis, agebat, in exilium ab Egica nouarum rerum metu relegatus, quem Witiza claua percuſſum interemit. fuit ergo hic Fauila, vt dictum eſt, pater Pelagii Regis 1. inſtauratoris Hiſpaniæ. Petri autem Egicæ integrum tempus. 15. annorum computatur, qui ſtatim dum regnum accipere t, Cixilonem filiam Eruigii abiectam repudiauit, propter patris ſui commiſſi ſceleris, in Wambam Regem, auunculum ipſius Regis Egicæ. decceſſit Toleto morte propria, & honorifice ſepultus eſt, Era 739. anno 701. quem Lucas Tudēs. ſapientis, ac patientis elogio decorat, ac ter cum Francis dubia victoria pugnaſſe ſcribit, & victorem exſtitiſſe.

CONC. TOLETANVM XV.

IN primo anno regni Flauii Egicæ, Era, 726. anni 688. Concilium 15. indixit Toleti 61. Epiſcoporum, ſub Iuliano Archiepiſcopo, & primate Tolet. 5. Iduum Maiarum.

CONC. TOLETANVM. XVI.

IN 6. etenim eiuſdem Regis Egicæ anno Era. 731. anni Domini. 693. 6. Nonarum Maiarum. 60. Epiſcoporum congregatum fuit Toleti. 16. Concilium Tolet. in primis Siſibertus Toletan. Archiepiſcopus, merito culpæ ſuæ de ſede ac dignitate depoſitus: & ab vniuerſa Synodo prouiſum eſt ſtatim in eo Cōcilio de paſtore; electuſque fuit Felix Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & translatus ad Toletanam Eccleſiam. Ex hoc ergo Concilio c. 10. illis verbis: *Quia iuriſiurandi tranſgreſſio valde inoleuit, & machinandi contra principes noſtros conſuetudo ſæua*, apparet verum eſſe, quod aſſerit Greg. Turonen. dicens: *Sumpſerunt Gothi hanc deteſtabilem conſuetudinem, vt ſi quis eis de*

Greg. Turon. lib. 3.

de regibus non placuiſſet gladio eum adpeterent, & quem libuiſſet animo hunc ſibi ſtatuerent Regem, quod etiam patet ex variis Conciliis Toletan.

CONC. TOLETANVM. XVII.

Tudenſis. Rodericus, & Loyſa vide Ambr. Moral. lib. 12. c. 61.

IN. 7. eiuſdem Egicæ Regis anno, Era 731. anni Domini. 694. die. 5. Idus Nouembris, celebratum eſt Toleti. 17. Concilium Toletan. in Eccleſia S. Leocadiæ ſub Felice primate Toletano. In quo Concilio Rex præſens adfuit, & coram omnibus humi poſtratus, ſe eorum orationibus commendauit, & Tomum quem in manū tenebat Primati, & Concilio offerens ſuper iis quę in eo continebantur, ſibi ſatis fieri poſtulauit: quæ omnia, in libro Canonum eius Concilii pleniſſime declarantur: ſic ergo in hoc Concilio, vltima (vt creditur) facta fuit recollectio legum Gothorum regum: vt ſupra expoſuimus in vita Siſnandi Regis.

35. VVITIZA regn. an. IX.

An. Chr. 701.

ERa. 739. poſt mortem Flauii Egicæ, Witiza filius eius regnat ſolus annis * 9. qui licet regni ſui primordia optime inchoaſſet, poſtmodum tamen dicunt inique ſe geſſiſſe, & Pelagium Fauilæ filium odio perſequitur: ille autem in Cantabriam profectus fuga ſibi ſalutem quæſiuit: ſic ergo cum antea petulanter ageret in occulto, nunc laxatis habenis nulli vitio ſe ſubtraxit; ſuos etiam ſubditos exemplo iniquitatis inficiens; alluuione ergo voluptatum in totam Hiſpaniam inuadente Witiza principe maieſtatis diuinæ oculos prouocante, repleta eſt terra iniquitate, Omnis quippe caro corruperat viam ſuam: & tandem Witiza æmulatione qua pater cœpit perſequi Theodofredum filium Cindaſuinthi, donec captum vtroque lumine fecit orbum: ſed quia iuſto Dei iudicio agitur, vt actores ſcelerum pœnas ſubeant vltionis, Rodericus filius (vt aliqui aſſerunt) eiuſdem Theodofredi, inſurgens contra Witizam, ipſumq; captū priuans oculis, fauore Romani ſenatus regno exuit; pauloq; poſt Cordubæ miſere vitā finiit, Era. 749. an. Dom. 711. Quā de Witiza vindictā Chronica generalia, & nōnulli rerū Hiſpanicarū ſcriptores, Coſtę Roderici fratri adſcribunt, quem an. quinq; regnaſſe affirmant: ſed neq; hoc temporū ratio patitur, neq; Iſidorus Pacenſis, Lucas Tuden. Rodericus Toletanus, Rex Alfonſus. II. præcipui Hiſpaniæ hiſtoriæ ſcriptores Coſtam in Catalogo re-

* Morales regnaſſe ait annos 10. & vltimum cū Roderico li. 12. Ann. c. 66. vide Roder. Tudenſ. Pacenſ. & Vaſæum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gum ponunt, imo nec nomen quidem Costæ monumentis suis proditum reliquerunt, ideo illum, & nos missum facimus.

36. RODERICVS regn. an. IV.

ERa. 748. adhuc Witiza viuente, cœpit regnare Rodericus vltimus Gothorum Rex, regnatque annis. 4. Erat autem Rex Rodericus durus in bellis, & ad negotia expeditus; sed in moribus non dissimilis Witizæ. Tunc ergo temporis erat Toleti palatium multorum Regum retro temporis semper clausum, & seris pluribus obseratum, quo aperto per Rodericum inuenitur pannus in quadam arca, & in eo depictæ facies, ac vultus similes Arabis, & in eo scriptum; quod cum contingeret feras frangi, arcam atque palatium aperiri, & videri quæ inibi erant, gentes eiusmodi effigie Hispanias inuasuras, & suo dominio subiugaturas: Paulo autem post Rodericus visitans filiã Comitis Iuliani, prima fuit mali labes Hispaniæ, & sequentium calamitatum seminarium. Iuliani enim filiæ Cauæ, (quæ in domo regia inter alias illustrium matronarum filias educabatur), dum pater regio nomine legationem in in Africa obibat vitium ob ulit. Rodericus municipio, quod dicitur Pancorbo. Ira itaq; percitus Iulianus priuatam iniuriam, publico malo vlcisci volens, prouocat Arabes, ipsisque Hispaniam aggredientibus, breui spatio plures incustoditas ciuitates, & oppida vastauere: ac demum licet in occursum venerit Rodericus Rex, aduersus irruentium Maurorum furorem delectus habens, equitatum parans, arma & stipendia populis imperans, vt facilius tantus impetus sustineretur curauerit, tamen ad amnem Guadalete prope Asidonam vrbem, (hodie Xeretium), pugnatum est vtrinque per oct. dies dubio fere Marte: tandem misere vt mollis profligatus, & funditus euersus est, totaque Hispania in ditionem Sacracenorum venit, præter Astures, & Cantabros octo mensium spatio: partim vi, partim deditione ac metu, partim promissis, die Dominico, nono mensis Septembris, quo die pugnatum est vltimum prælium, Era. 752. anni Domini. 714. Saracenorum autem feruntur eo bello plusquam sexcenta millia cecidisse. De Rodericо autem rege quid actum sit ignoratur, creditur tamen in acie fuisse occisus, postquam imperium Gothorum ab Athanarico vsque ad eum per 344. annos fuerit productum. Neque

que tamen alia est studiosius perquirenda ratio, quam vbertatis prouinciæ abusus, libidinisque effrenatæ luxus, cui molles animi inseruire cœperunt. Improbi enim Witicæ Rodericique mores, vita eorum infamis, effœminata, & crudelis, multo ante luctuosum hunc interitum summamque ruinam videbantur quasi prædicere præsagireque. Huius ergo Roderici Regis secundum Sebastianum Episcopum monumentum extat apud Viseum ciuitatem Lusitaniæ, cum huiusmodi epitaphio. *Hic requiescit Rodericus vltimus Rex Gothorum.* Quibus alii addunt hæc verba. *Maledictus furor impii Iuliani, quia pertinax, & indignatio quia dura, vesanus furia, animosus furore, oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemtor diuinitatis, crudelis in se, homicida in Dominũ, hostis in domesticos, vastator in patriam, reus in omnes, memoria eius in omni ore amarescat, & nomen eius in æternum putrescat.* Proditor vero Iulianus (vt aliqui asserunt) misere vitam finiit in vinculis, in arce quadam territorii Oscensis in Aragonia, in quam Saraceni coniecerant, proditionem laudantes, sed non proditorem; vxore eius prius lapidibus obruta, filioque è turri Serpensi præcipitato. Roderico itaque mortuo, Pelagius filius Faulæ Ducis Cantabriæ, reliquias Regni viriliter suscipiens, diuino confortatus auxilio, è Cantabria vbi latebat, venit in Asturias, transitoque Pionia fluuio, in vallem Canicem inuentis aliquibus Christianis, Arabes insequitur: ab omnibusque pariter salutatus est Rex, Era. 754. Anni Domini. 716. biennio post excidium Hispaniæ. Regnum tamen eius, ab ipso anno. 714. annumeratur communiter, vt interregnum vitetur, regnauitque annis 19. Cumque Ciuitatem Legionem (ita à primis conditoribus denominatam) præcipuam inter alia oppida primum recuperasset, *Rex Legionensis* deinceps appellatus est. Ciuitatem autem ipsam à Leouigildo Rege Gothorum nomen sumsisse ferunt, quam suo nomine Leonem voluit appellari, eo quod Romanos milites, in præsidio eius ciuitatis positos bello extinxisset. Iam inde Hispaniæ Reges à Rege Pelagio, non *Reges Gothorum* appellabantur, vt antea moris erat, sed *Reges Legionis*, vel *Castellæ*: habuitque exinde Pelagius pro armis, Leonem rubeum in campo albo, omissis armis, vel insignibus Gothorum Regum, qui deferre soliti sunt, scutum in quatuor partes diuisum: in parte autem dextera superiori, quatuor balteos nigros in campo aureo: in sinistra vero, tres coronas aureas in campo rubeo: in parte vero inferiori dextra, Leonem fuluum, habentem in manibus secu-

rim Amazoniam in campo albo: in sinistra autem parte, Leonem fuluum in campo aureo, vel quinque bufones, vt perperam aliis placet. Credendum tamen est, prædictis insignibus & armis Gothos vsos fuisse extra patriam, multo post, quam inde egressi sunt. nam veteres Gothi, intus & extra patriam, olim habuere pro armis, Leonem coronatum, super tres aquilas cãdidas, in campo cœlestini coloris impetuose salientem, ac retro aspiciẽtem: teste* Olao Magno. Pelagius autem multis rebus aduersus barbaros præclare gestis, multisque receptis oppidis moritur, sepultusque est apud Canicas, Era. 771. anni Domini, 733. Hæc igitur sunt quæ ex vetustissimis, Regum Gothorum actis inuestigari notatu digna potuerunt.

* lib. 2. Hist. Gothorum cap. 23.

FINIS.

ELOGIA

ELOGIA
ET
NOMENCLATOR
CLARORUM HISPANIÆ SCRIPTORVM,

Qui vel Ecclesiam Dei propugnant; vel disciplinas omnes illustrant.

TOMVS II.

CONTINENS CLASSES X.

VETERVM SCRIPTORVM HISPANIÆ, POETARVM, ORATORVM, PHILOSOPHORUM,

THEOLOGORUM, IURECONSULTORUM, AC MEDICORUM.

CLASSES X. SCRIPTORVM HISPANIÆ, TOMI I.

I. ANTIQVORVM *Hisp. Scriptorum Sacrorum, Poetarum, & Oratorum.* Pag. 181

THEOLOGORVM.

II. *Familiæ S. Dominici, seu Prædicatorum.* 227
III. *Ordinis S. Francisci, seu Minorum.* 148
IV. *Carmelitarum B. Virginis Sodalium.* 257
V. *Eremitarum S. Augustini.* 261
VI. *Societatis Iesu Sacerdotum.* 271
VII. IVRISCONSVLTORVM *principum: reliquis per Laturam recensitis.* 299
VIII. MEDICORVM *aliquot.* 326
IX. *Poetarum Latinorum: & de eruditis Hisp. fœminis.* 336
X. *Historicorum, potissimum Ecclesiasticorum.* 345
Appendix: De legitimis Hispaniæ historicis iudicium. 354
Item de Beroso, Manethone, Metasthene, M. Catone Q. Fabio ceterisque ab Annio subiectis historicis iudicium. pag. 386

CANDI-

CANDIDO LECTORI S. ANDRÆAS PEREGRINVS.

VT in gentibus HISPANIA non postremas tulit; sic etiam Martyrũ gloria decorata, vitæ sanctimonia, rebus domi militięq; fortiter gestis, ac deniq; Repub. bene administrata clara extitit. Quin etiam excellentibus ingeniis non minus claruit, tam Philosophis, Oratoribus, Theologis, Poetis, atq; Historicis, quam ceterarum disciplinarum professoribus: quorũ lucubrationes, nominisq; celebritas, licet illi communi hominum legi morte paruerint, immortalitati tamen consecrata æternum durabunt. Veruntamen si ad vnum omnes, quotquot in Hispania cogitationes suas litterarum monumentis mandarunt, singulari libro complecti velim, vel nomina duntaxat ingens volumen cõficiant. Igitur de plurimis paucos, ac selectos eorumq; Elogia quorum recens adhuc viget memoria, (viuos enim celebrare religio sit) cum auctoritate, tum Scriptorum vtilitate breuiter in præsens referam: quo nimirum tempore quisque floruerit, quæque ingenii monumenta ediderit: quod & prçstitum nuper video à Tritemio Abbate, & Sixto Senensi Bibliothecæ sacræ volumine; atque adeo olim à Beatis Hieronymo, Genadio, Isidoro, atq; Ildephonso, quos ad imitandum proposui; auctores potissimum laudando, testes idoneos, omnique exceptione maiores. Vale, mi Lector, & fruere.

AVCTORES QVIBVS IN HISPAN. SCRIPTORIBVS COLLIGENDIS VSI SVMVS.

ISIDORVS *Hispalensis Episc. de Ecclesiast. Scriptorib. cum additamento S. Ildephonsi, Iuliani, & Braulionis.*
Sixti Senensis Bibliotheca sacra.
Ioannes Trithemius Abbas Spanheimensis.
Alfonsus Garcias Matamorus Hispal. de Academiis & litteratis Hispaniæ viris.
L. Marineus Siculus de Sanctis & Scriptoribus Hispan.
Ioannes Vasæus Brugensis in Chronicis Hispan.
Ioannes Marietta Cantaber de Sanctis & Theologis Dominicanis lib. 22.
Bibliotheca Prædicatorum per Antonium Senensem Lusitanum.
Henricus Huillot Belga de Scriptorib. Ordinis Minorum.
Petrus Lucius Belga de Carmelitanis sodalibus.
Iosephus Pamphilus Episc. & Hieronymus Rom. de Augustinianæ familiæ Eremitis, & Alfonsus Oroscus in Chronicis Eremitarum S. Augustini.
Scripta cuiusq. auctoris, Præfationes, Monumenta, & Epitaphia, funebresque laudationes.
Bibliotheca Tigurina sæpius aucta.
Ioannis Marianæ Societ. Iesu Annalium Hisp. lib. 30.

I. CLASSES

I. CLASSIS ANTIQVORVM SACRORVM HISPANIÆ SCRIPTORVM POETARVM, ET Oratorum.

SERIES ANTIQVORVM.

Sacri.

ILDEPHONSVS.
S. Isidorus.
S. Isidorus Hispalensis.
S. Damasus Papa.
S. Aprigius.
SS. Iustus & Iustinianus Episcopi.
S. Iulianus.
S. Leander.
S. Raimundus à Pennafuerte.
S. Martinus Legionensis.
S. Eulogius.
S. Vincentius Ferrerius.
S. Braulio.
S. Gregorius Bæticus.
S. Patianus.
S. Idacius.
S. Hierotheus.
Licinianus.
Seuerus.
Ioannes Gerundensis Abbas.
Eutropius.
Maximus.
Hosius Cordubens. episc.

Cæsares & Reges.

HAdrianus, Traianus } Imperatores.
Theodosius Imp.
Alphonsus X. Castellæ Rex.

Poetæ.

SExtilius Hena.
M. Valerius Martialis.
M. Annæus Lucanus.
Prudentius.
Silius Italicus.
M. Vnicus Licianus.
Canius Gaditanus.

Oratores & Philosophi.

M. & L. Annæus *Seneca*, pater & filius.
Pomponius Mela.
Turanius Gracula.
L. Columella.
Corn. Hispanus & Clodii Turrini.
Porcius Latro.
Quinctiliani duo.
Voconius Victor.
Paulus Orosius.

Arabes.

AVicenna Medicus.
Auerroes Philosophus.

Præsules recentiores.

ALphonsus Iostatus Abulensis episc.
Francisc. Ximenius Cisnerus Card. & Archiep. Tolet.
Ex Io. Trithemii Catalog. Excerpta quædam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. ILDEPHONSVS.

ILDEPHONSVS Archiepiscopus Toletanus S. Eugenii successor, Abbas fuit cœnobii Agaliensis, Ordinis Canonicorum Regulariũ. quod monasterium non longe ab horto Regio, qui est ad Toletana mœnia, aberat: inde porro ad Archiepiscopatum est euectus. Patria illi Toletum: natus iis in ædibus, quas Societatis IESV professi Patres nunc incolunt, haud procul S. Petri Martyris Dominicanorum Cœnobio, vt refert Ioan. Mariana lib. 6. Annal. Hisp. cap. 10. Præceptore vsus est B. Isidoro Hispalensi, post Archiepiscopo. Vitam autem quia alii luculenter sunt prosecuti, non apponam, scripta eius recensuisse contentus. Sunt autem hæc:

Prosopopoeia humanæ calamitatis.
De virginitate B. Virginis, contra hæreticos. exstat: vt & sermones de B. Virgine.
De proprietatibus personarum sanctissimæ Trinitatis.
Annotationes in Sacramenta.
De Baptismo.
Via eremi Spiritalis.
Variæ ad varios Epistolæ.
Illustrium aliquot Hispaniæ Scriptorum catalogus. Exstat.
Hymni plurimi & Homiliæ.

Obiisse fertur anno post Christum IↃCLXIX.

S. ISIDORVS.

DVos fuisse in Hispania Isidoros notius est, quam vt rationibus euincere sit necesse: quorum alter Episcopus Cordubensis, vel Pacensis vt alii volunt, Cæsaraugustanus, quem & *Seniorem* appellare, vt ab altero Iuniore Episcopo Hispalensi distinguatur, consueuerunt. Excelluit autem eruditione, & vitæ sanctimonia, scripsitque non pauca: vt egregios illos *in quattuor libros Regum commentarios*, Orosio Episc. Hispano inscriptos: quorum meminit lib. 4. Bibliothecæ sacræ Sixtus Senensis: quos tamen Isidoro Hispalensi attribui vulgo animaduerto.

S. ISI-

S. ISIDORVS HISPALENSIS EPISC.

ALter Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, SS. Leandri, Fulgentii, & Florentinæ frater: quem ad alterius differentiam *Iuniorem* nuncupãt. Fuit hic omnium litterarum cognitione tinctus, eiusque veluti Doctoris Ecclesiæ diem festum agit ac celebrat Hispania, quo die Christo moriens renatus est 4. die Aprilis. cuius vitam quando copiose Braulio Cæsaraugustanus Episc. Ildephonsus Toletanus Præsul, & Ioan. Marieta lib. 5. cõtexuit, silentio hic prætereundam putaui: scripta duntaxat, ingeniique fœtus ex eodem Braulione in medium proferendo:

Biblia fere integra explanauit, quæ Lutetiæ semel iterumque edita in medio sunt.

De differentia, & gradibus, & officiis Ecclesiæ.
S. Scripturæ Proœmia.
Synonima, non tam verborum, quam rerum similium.
De obitu Patrum veteris nouique Testamenti.
Contra Iudæos libri duo, in gratiam sororis Florentinæ.
Gothorum Chronicon.
De claris Hispaniæ Scriptoribus, post Heronymum, & ante Ildephonsum.
De rerum natura, ad Sisebutum lib. singularis.
De rerum differentiis, lib. II.
Expositio Sacramentorum.
De summo bono, seu *Sententiarum ex B. Gregorii Moralibus libri* III.
Originum seu Etymologiarum libri viginti à Ioanne Grialo nuper egregie illustrati: distincti antea Capitibus à Braulione.
De ratione celebrandorum Conciliorum.

Vita decedens in Beatorum sedem euolauit anno IↃCXXXV. pridie Nonas Aprilis.

S. DAMASVS PAPA.

QVandoquidem huius Pontificis Max. Vitam, eiusque cum B. Hieronimo necessitudinem post Platinam, Martinum Polonum, ceterosque conscripsere alii, hic scripta dumtaxat enumerabo. Lusitanus autem fuit ex opido Gimerano, vt pleriq; autumant. Sunt enim, in his L. Marineus Siculus in Hispaniæ umbilico Madri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mantuæ Carpetanorum natum existiment. Vita decessit an. Christi CCCLXXXIV. 3. Idus Decembr. quo & festum eius diem anniuersario ritu Ecclesia celebrat. Scripsit autem *quinq; Epistolas Decretales.* Sepulchrum quoq; SS. Petri & Pauli carmine Heroico ornauit aliaque versibus lusit. Vitas item Pontificum, vt putatur, ad sua vsque tempora perduxit. Critici enim, in his Onuphrius Panuinius, Anastasio Bibliothecario opus attribuunt.

APRIGIVS.

APrigius Episcopus Pacensis, vir non indisertus, & in SS. Patrum scriptis diu multumque versatus. Floruit Theuda Gothorũ rege regnante, vt in Catalogo Isidorus refert: teste autem Sixto Senẽsi lib. 4. Bibliothecæ sacræ, anno à nato 1 ɔ. x x x. Feruntur eius *in Cantica Canticorum Commentarii.* Scripsit & in *Apocalypsim Ioannis, melius,* inquit idem Isidorus, *quam veteres Ecclesiastici viri exposuisse videntur.*

S. IVSTVS VRGELITANVS, ET IVSTIANVS VALENTINVS EPISC. FRATRES.

VRselli oppidum Tarraconensis prouinciæ Episc. habuit B. Iustum, SS. Iustiniani Nebridii, & Elpidii fratrem: quorum res gestæ in Sanctorum catalogo recensentur. Iustinianum vero Valẽtinæ Episcopum Ecclesiæ, scripsisse auctor est Isidorus, *Responsiones ad Rusticum de interrogatis quæstionibus quibusdam.* Hic quoq; Iustus *Cantica Salomonis*, hortante maxime Diacono eius Iusto, Commentario, qui in medio est, illustrauit. Viguit autem, Sixto Senense auctore, ad annum Christi 1 ɔ. XL. Romæ sedem tenente Sergio Pont. cui etiam opus inscribit.

S. IVLIANVS EPISC. TOLET.

TOleti Carpetanorum hic Episcopus (quæ & illi patria) an. præfuit decem; vir singulari in Deum pietate: de quo in Felicis elogio sic repperi. *Discipulus*, inquit, *Eugenii, sedis Carthaginis prouinciæ Metropolitanus, vrbis Regiæ Pontifex, quam plurimas de officiis dulcifluo sono composuit. Aera 728. diem vitæ clausit extremum. ac sic in Basilica gloriosissimæ sanctæ Leocadiæ virginis est tumulatus.* Eius hæc in manibus sunt.

Prognosticon futuri sæculi, seu de iudicio Dei lib. 3. ad Idacium Episcopum.

De

De sexta ætate contra Iudæos lib. tot idem, & Αντιρρήσεων, seu Quæstionum vtriusque Testamenti libri duo: nam vulgo ἀντίρρησις circumferuntur.

Scripsisse & hæc, ex Isidori, & Ildefonsi Appendice, auctore Felice comperi.

Pro canonibus Conciliorum.
Aduersus blasphemos.
De diuinis iudiciis.
Pro immunitate Ecclesiæ.
Apologiam ad Benedictum II. Pont. Max.
De bello Bambæ regis cum Narbonensibus.
SS. Patrum Sententias.
Hymnos item, Epigrammata, Cantica, Epitaphia, Epistolas, & Homilias.
De virginitate.
Quæstiones de Resurrectione.
De mundi contemptu.
De vitiis, & virtutibus.

Migrauit è vita anno Christi 1 ɔ c. x c. Egicæ Regis Hispaniæ tertio.

S. LEANDER.

ARchiepiscopus hic fuit Hispalensis, SS. Isidori Fulgentii & Florentinæ Virginis frater, regia Gothorum stirpe oriundus Carthagine Spartaria, doctissimus, & intimus Gregorii primi Pont. Max. familiaris: cuius vitam cum in Vitis sanctorum pluribus sint alii prosecuti, vt Mariana lib. 5. annal. Hisp. cap. 12. scripta hic pauca illa quidem, sed varia, plena eruditionis, ac typis nondum euulgata, enumerasse sufficiat.

Aduersus hæreses lib. 2.
Contra Arianos, eorumque obiectiones.
De contemptu mundi ad Florentiam sororem.
De virginum institutione.
Quæstiones de baptismo.
De sacrificii laudibus.
Ad omnes Psalmos precationes.

Vita decessit III. Idus Martii anno salutis humanæ 1 ɔ c. VII.

S. RAIMVNDVS A PENNAFVERTE.

S. Raimundus Pennafuerte, quasi dicas *à Rupe forti* Barcinonensis prouinciæ Gothalaniæ, Doctor Iuris Pontificii cum esset, Prædicatorum est ordini aggregatus: cuius familiæ mox tertius à S. Dominico Generalis fuit Catalauniæ, Quæsitor Fidei: & Iacobo Aragonum Regi à confessionibus. Huius fama Gregorius IX. Pont. Max. excitatus Romam accersiit, ac Pœnitentiæ muneri præfecit, colligendorumq; Decretalium prouinciam mandauit. Igitur vita sancte innocenterque acta, corporisque solutis vinculis, in Beatorum sedem euolauit anno Christi CIↃ. CC. LXXV. 7. Idus Ianuarii, ipso Epiphaniæ festo; quo etiam die apud Iberos Pauli III. indulto, festus ille dies agitur composito à Iacobo Ferdinando Horarum officio: nuper autem Diuorum in coetum apotheosi à Clemente eius nominis Papa VIII. relatus est. Quadraginta amplius fertur à funere mortuos excitasse. Scripta eius hæc circumferuntur:

Epistolarum Decretalium Collectio lib. 5.
De Pœnitentia & Sponsalibus.
Prædicatorum constitutiones ad duo capita renouauit.
Summam casuum primus Alphabeti ordine contexuit. quam scribendi methodum ceteri, idem argumentum tractantes, post sunt secuti.

S. MARTINVS LEGIONENSIS.

LEgionensis hic, & ordinis S. Augustini Canonicus, vt vocant, Regularis, sacras agnoscere litteras vehementer optabat. Cum itaque de more noctu preces ad Deum funderet, visus illi vrbis & Ecclesiæ patronis S. Isidorus, librum manibus gestans, atque in hæc verba prorumpens: *Comede hunc librum, sic voti compos fies.* His dictis euanuit. Igitur S. Martinus dicto audiens mandata exequitur. Legendo enim S. Scripturam cum deuorasset, arsit, plenusque arcanæ euasit scientiæ, ferturque egregio & stylo & ordine multa in diuinis commentatus, haud scio an typis euulgata. Huic quoque Legionenses quotannis vndecimo Februarii diem festum agentes, horarum pensum persoluunt. Dubitaui nonnunquam esset ne ab hoc diuersus B. Martinus Cœnobii Dumiensis Abbas; cuius exstant Formulæ

mulæ vitæ, seu de quatuor Virtutibus, quæ hactenus Senecæ Philosopho falso attributæ. quo de Ioannes Mariana Annalium Hispaniæ lib. 5. cap. 11. vt de illo Ioan. Marietta Ecclesiasticæ Historiæ lib. 21. cap. 62.

S. EVLOGIVS MARTYR.

S. Eulogius Martyr Cordubensis. cuius etiam sedis Præsul fuit, vir non minus doctrina, quam vitæ sanctimonia clarus, Martyrio coronatur, diris Abdenemani Mauri Regis Cordubæ temporibus, ad annum Christi IↃCCCLIX. die vndecimo Martii. *Vitas SS. eui sui Martyrum*, & in persecutione cruciatus, summa fide Latine conscripsit: quod opus sæculi illius Scriptoribus lucis plurimum attulit, & sanctorum vitis scribendis Ambrosio Morali, Ioanni Mariettæ & Marianæ, & Illustris. Baronio Card. ceterisque materiam suggessit.

Memoriale illius, sic enim inscribit, lib. 3. circumfertur scholiis eiusdem Moralis, qui primus è tenebris eruit, & à blattis vindicauit, illustratum.
Apologeticum item Martyrum libris 2.

S. VINCENTIVS FERRERIVS.

S. Vincentius Ferrerius instituti S. Dominici, domo Valentia, doctrina iuxta ac vitæ sanctinia insignis, in sacris litteris, sanctorumque Patrum scriptis ita versatus, nemini vt æqualium cesserit. Multis miraculis, sanctæ innocentisque vitæ testibus, viuus & à funere claret: quo etiam nomine Callistus Pontifex Max. Valentinus & ipse Beatorum numero aggregandum putauit, anno CIↃCCCCLV. cum obiisset anno eius sæculi XIIX. conditusque est Venetiis apud Britonas. Cuius vitam cum Vincentius Iustinianus, & Ioan. Marietta eiusdem vterque instituti populari sint stylo copiose prosecuti: Latine vero Petrus Rausanus Panormitanus apud Surium V. Aprilis, & B. Antonius, hic supersedebo: scripta enumerasse contentus. Leguntur eius,

Homiliarum de tempore & anni totius sanctis Tomi duo pleni pietatis, & Theologis in primis commendati.
Sermones quoque in orationem Dominicam.
Distinctionum Moralium liber singularis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De vita spiritali aureus libellus.
Varii denique varii argumenti sermones, qualis vehemens illi de extremo Dei iudicio.

S. BRAVLIO.

EPiscopus hic fuit Cæsarauguſtanus: quam ſedem poſt Ioannem fratrem: tenuit. & Apoſtolicus Eccleſiaſtes. Argumento eſt viſa interdum in concionantis aures colũba inſuſurrare. Cumq; Toletano intereſſet Concilio, viſus quoq; igneus capiti inſidens globus; quod aut cæleſti flagraret amore, aut cælitus illuſtraretur; à Patribus ad Cæsarauguſtanam eſt cathedram Præſul euectus. Carus in primis Iſidoro exſtitit, qui ei etiam *Etymologiarum* libros viginti, honoris ergo, inſcripſit. S. hic *Aemiliani Monachi vitam* ſcripſiſſe creditur, & *Canones aliquot*, cum Epiſcopatum annos 20. geſſiſſet: vt in eius elogio refert B. Ildephonſus. Floruit anno orbis redempti 10c. 1. Ioan. Mariana lib. 6. annal. cap. 6.

GREGORIVS BÆTICVS.

GRegorius Bęticus, vir ſanctimonia & eruditione illuſtris, ſtudiis apud Granatam, vbi Epiſcopum geſſit, vitam terminauit. Illiberitatus hinc etiam cognominatus, quod Granatæ finitimum oppidum intercidit, ſede eo translatâ, vbi & Synodus habita.

PATIANVS EPISC.

HIc Theodoſii tempore in Pyrenæi iugis ortus, impiis Nouatianis acerrime profligatis, magnam quidem & immortalem gloriam Eccleſiæ Barcinonenſi comparauit. Meminit eius ac Dextri filii B. Hieronymus in Catalogo cap. 106. & 132. Exſtantque Aldi typis Aldi Manutii Paræneſes aliquot, opera Petri Galeſinii.

IDACIVS EPISC. ET ITACIVS.

IN huius labiis ſeſſitaſſe dicebatur eo tempore quædã contra Priſcillianum hæreticum perſuadendi dea, cuius neque vim perferre neq; ſplendorẽ eloquentiſſimi hominis nefarius ille gladiator ſuſtinere poterat: Fuit enim Idacius vrbis Lamecæ Præſul, quæ metropolis

polis nunc eſt Galæciæ, ditionis illuſtriſſimæ familiæ Caſtrorum, nec à Bracara, quod oppidum eſt in Luſitania, longiſſime abeſt; vbi longo poſtea tempore (ſicuti à maioribus acceptum) quinquaginta Epiſcoporum ex tota Hiſpania coacto Concilio, primo diſputationis imperu fuſi turbatiq; Priſcilliani ſectatores cõciderunt. In exilio mortuũ auctor eſt in Catalogo Iſidorus, c. 2. Theodoſio & Valentiniano Auguſtis: vel, vt in alio cõperi, Leone inperante, additq; ſcripſiſſe & Chronici Euſebiani poſt B. Hieronymum ſupplementũ ab anno primo Theodoſii Auguſti vſq; in annum Imperii Leonis VIII. barbararum gentium, quæ Hiſpaniam premerent, narrando hiſtoriam. Mariana tamen Emeritæ Epiſcopum non Lamecæ auctore Hieronymo: alterum vero Ithacium Epiſc. Soſſubenſem (legitque Oſſonobẽſem) ex Sulpitii Seueri Chronico illius æqualem ſociumque diſputationis in Priſcillianos atq; exilii. quem lege lector Annal. Hiſpaniæ lib. 4. cap. 20. ad annum Chriſti 385.

LICINIANVS.

CArthaginis Spartariæ Epiſcopus in ſcripturis doctus vnam *de Sacramento Baptiſmatis epiſtolam*, & alias item ad Eutropium Abbatem, poſtea Valentiæ Epiſcopum plurimas, fertur ſcripſiſſe. Claruit temporibus Mauricii Auguſti, Occubuit Conſtantinopoli veneno, vt fertur, ab æmulis exſtinctus. Ait Iſidorus Catalogi capite 29. & Io. Mariana lib. 5. rerum Hiſp. cap. 13.

SEVERVS.

SEuerus Malacitanæ ſedis antiſtes, collega & ſocius Liciniani Epiſcopi, edidit libellum aduerſus Vincentium, Cæsarauguſtanæ vrbis Epiſcopum, qui ex Catholica fide in Arianam prauitatem fuerat deuolutus. Eſt & alius eiuſdem *de Virginitate* ad ſororem libellus, qui dicitur Annulus. Claruit temporibus Mauricii quo etiam regnante vitam finiuit. Hæc Iſidorus Catalogi capite 30.

IOANNES GERVNDENSIS.

IOannes Gerundenſis Eccleſiæ Epiſc. natione Gothus prouinciæ Luſitaniæ Scalabitanus. Hic cũ eſſet adoleſcens Cõſtãtinop. perrexit, ibiq; Græca & Latina eruditione nutritus poſt ſeptimum deci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum annum in Hiſpaniam reuerſus eſt eodem tempore, quo in ciuitate, Leouigildo Rege, Ariana feruebat inſania. Hunc ſupradictus Rex, cum ad nefandæ hæreſis crudelitatem compelleret, & hic omnino reſiſteret, exilio truſus Barcinonem relegatus, per decem annos multas inſidias & perſecutiones ab Arianis perpeſſus eſt, qui poſtea condidit monaſterium, quod nunc Biclarens dicitur, vbi cõgregata Monachorum ſocietate ſcripſit regulam ipſi monaſterio profuturam. Sic enim in exilio ſe geſſit, vt Gerundenſi merito ſit Eccleſię Pręſul datus. Addidit libro Chronicorũ Victoris Tunnunenſis *hiſtoriam* ab anno primo Iuſtini Iunioris principatus vſque ad annum octauum Mauricii principis Romanorum, & quartum. Recaredi Regis annum (quę nunc ſimul Ingolſtadii edita) referente B. Iſidoro in Catalogo. Plura ſuggeret Ioan. Mariana lib. 5. annal. Hiſp. cap. 13. Alter item Gerundenſis hiſtoricus at longe recentior, Ioan. Margarini nomine exſtat, qui Paralipomena lib. 10. Opus inſcripſit.

EVTROPIVS.

ECcleſiæ hic Valentinæ Epiſcopus, dum adhuc in monaſterio Seruitano degeret, & Pater eſſet Monachorũ, ſcripſit ad Epiſ. Licinianum, cuius ſupra fecimus mentionem, Epiſtolam, in qua petit ab eodem, *quare baptizatis infantibus Chriſmatis poſt hæc vnctio triduatur*. Scripſit & ad Petrum Epiſcopum Irtauicenſem *de diſtrictione Monachorum*, ſalubri ſermone comptam Epiſtolam. Sic Iſidorus in Catalogo cap. XXXII.

MAXIMVS.

CÆſarauguſtanæ ſedis Epiſcopus multa verſu proſaque compoſuiſſe dicitur. Scripſit & breui ſtylo hiſtoriolam de iis, quæ temporibus Gothorum in Hiſpania acta ſunt. Ibidem Iſidorus cap. 33.

HOSIVS CORDVBENSIS EPISC.

COncilio Nicæno primo Præſul interfuit, vbi pro fide Chriſtiana & eccleſiaſtica libertate pręclare rẽ geſſit. In Sardicẽſi quoq; Synodo ſententias, quæ exſtãt, plurimas dixit: verũ Sirmio cum impiis Arianis conſentiens, eam laudem turpi defectione obſcurauit. vtquidem, Iſidorus Catalogi cap. 1. refert: ſiue metu, ac flagris Arianorum

norum adductus, ſeu Conſtantii impii Cæſaris auctoritate fractus. Nam aliter longe B. Athanaſius ad Solitarios, & D. Auguſtinus epiſt. ad Parmenianum, cap. 4. de Oſio ſcriptum reliquerunt. nuper quoque Illuſtriſſ. Baronius Card. Tomo III. Annalium Eccleſiaſticorum. & Mariana lib. 4. cap. 17. Refert autem de Virginitatis laude ad ſororem ſcripſiſſe, ibidem Iſidorus.

PAVLVS BVRGENSIS.

BVrgenſis illi nomen adhæſit quod Burgis olim Iudaicæ magiſter ſectæ, Chriſto, abiurata perfidia, nomen dederit: atque adeo ob ſingularem doctrinam zelumque Epiſcopus Carthaginis Spartariæ, mox Burgenſium renunciatus, Ioannis II. Regis beneficio. Sacræ enim Scripturæ inprimis peritus, æquales longe poſt ſe reliquit interuallo. Spectatur eius tumulus in æde Prædicatorum S. Paulo ſacra, addito more inſtitutoque maiorum Elogio. Scripſit autem *S. Scripturæ Scrutinium. Additamentum* item ad *Nicolai Liræ gloſſemata in nouum vetuſque Teſtamentum. Hiſtoriam* item *rerum ab Hiſpanis geſtarum* conſcripſiſſe fertur. Plura de eo ſuggeret Ioannes Mariana lib. 19. Annal. Hiſp. cap. 8. & alibi. Huius filius Alphonſus Carthagena Anacephaleoſin ſcripſit Hiſtoriæ Hiſpanicæ de Regibus, rebuſque geſtis: exſtatque in Tomis Hiſp. illuſtratæ, de quo ibidem Mariana.

HADRIANVS, ET TRAIANVS *Imp. Auguſti.*

HAbuit hic Ælius Adrianus Italicæ ſtirpis ingenium multiplex, varium, acutum, ſemper pręſens, & imperio Romano par; quod antea Seneca de Cicerone dixerat: eiuſque gentilis *Traianus*, qui adoptione Neruæ imperium obtinuit, a litteris & Muſis nunquam auerſus fuit. Simpliciora enim ingenia aut eruditiſſimos, quamuis ipſe parcæ eſſet ſcientiæ, diligebat, inquit Victor Aurelius. Sed in *Adrianum* Diui ipſi ſua prorſus bona (vt dici ſolet) effuderunt: nam ſi dicendi copiam, & artem oratoriã in principe (vt Plato poſtulat) requiramus, cauſſam pro Italicenſibus municipibus ſuis eleganti ornataq; oratione (quemadmodum Gellius refert) lib. 16. Noctium Attic. cap. 13. frequenti ſenatu egit: ſi vero Poeticam ſpectemus, nemini vnquam (quod meminiſſe queam) aut præſentius Mineruæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

numen fuit, aut magis sane familiare, quam cum salsissimis versibus (quod Ælius narrat Spartianus) Florum poetam irrisit. Litterarum omnium peritissimus est habitus: sed Matheseos in primis. Idem architectus, Musicus, statuarius, multarum denique artium refertissima officina. Huius vero principis in aulam non viri tantum militares, sed innumerabiles etiam Philosophorum greges tanquam in Lyceum, aut veterem Academiam, vnumue aliquod ex illis antiquis gymnasiis, magnis de rebus disputaturi, conueniebant. [Alfonsus Matamorus lib. de Academiis, doctisque Hispanię viris.

THEODOSIVS IMP.

THEODOSIVS genere Hispanus originem à Traiano principe traxit, inquit Aurelius Victor: qucum & illũ comparat in Augustæ historiæ Epitoma. A Gratiano Augusto apud Sirmium Imperator effectus regnauit annos decem & septem. Litteris mediocriter doctus, sagax plane multumq; diligens ad cognoscendas maiorem res gestas atque historias. Leges plurimas tulit Christianus Imp. eiusque nomine Legum Codex circumfertur.

ALPHONSVS X. REX.

PArum visum cælesti numini, *Alphonsum* maximum esse Astrologum, nisi & veterem Hispaniæ gloriam mirum in modum, ampliaret. & leges infinitis voluminibus antea dispersas, in septem sectionum libros (quas hodieq; Hispani *Partitas* nominant) contraheret; & doctissimas Astronomiæ tabulas: & historiam, quam Generalẽ nominant, partim ipse suo elaboraret ingenio, partim per alios conscribendas curaret. Huius cũ exemplo, tum fauore cœperunt in Hispania magis magisq; protendi ac dilatari litterarum studia.

SEXTILIVS HENA.

CVm floreret Romæ, Tiberio Cæsare imperante, T. Liuius Patauinus, rerum Romanarũ Historicus, eius eloquentiæ, summæque in scribendo grauitatis fama totum pæne orbem peruaserat, eiusdemque ingenium admirati *Hispani* ab vltimis vsque Gadibus, Romam se, vt Plinius Iunior refert, contulerunt. Acute ad hæc B. Hiero-

Hieronymus, prologo galeato in Biblia, maiori exteris fuisse admirationi Liuium Scriptorem, quam vrbis Romæ maiestatem. Quo in numero fortasse fuit, qui eadem Romæ claruit tempestate, *Sextilius Hena*, (nisi forte *Hemina* appellandus) domo Cordubensis, Poeta non ignobilis, vt è Senecæ Rhetoris Suasoria VI. planum est. *Fuit*, inquit, *homo ingeniosus magis quam eruditus, inæqualis Poeta, & pæne quibusdam locis talis, quales esse Cicero Cordubenses Poetas ait: pingue quiddam sonantes, ac peregrinum. Is Ciceronis proscriptionem non siue assensu recitauit:*

Defendus Cicero, Latiæq; silentia linguæ.

Asinius Pollio audiens non æquo animo tulit, & ait Messallæ: Ego istum auditurus non sum, cui mutus videor. Atque ita consurrexit, ne interesset recitationi, in qua & Cornelius Seuerus in eiusdem Oratoris obitum cecinerat:

Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ.

Quo & respexit Martialis Iberus & ipse lib. 5.

Quid prosunt sacræ preciosa silentia linguæ?
Incipiunt omnes pro Cicerone loqui.

POMPONIVS MELA.

CAligulæ imperium excepit Claudius Cæsar ad annum CHRISTI XLIII. quo regnante viguit Romæ fama illustris POMPONIVS MELA Hispanus, vt de se ipse fatetur. Bætica, quæ hodie *Andalusia* vocatur oriundum constat: sed qua vrbe natus sit, variæ sunt & discrepantes doctorum hominum sententiæ. Sic enim ille lib. II. cap. 6. *de Situ Orbis* in Hispaniæ descriptione ac Bæticæ: *Atque vnde nos sumus, Cingenteratum Mellaria ac Bello.* Vnde quidam *Mellariensem* & Mellam ineptè nominando fecerunt. Vidi qui *cingente freto Mellaria* legendum contenderet. Vinetus quoque Elias Burdigalæ edendum curauit *Tingentera, tum Mellaria.* Casaubonus verò homo doctissimus ad Strabonem Pomponii locum sic restituere tentabat. *Atque vnde nos sumus Tingi contraria Mellaria ac Belo.* Quid si breuius ita, ac concinnius ex vsu Melæ? *Tingin contra Mellaria ac Belo.* Huic igitur, vt & Barbaro ac Pintrano, *Mellariensis* Mela fuerit. atqui gentis cognomen *Mela* non patriæ, à qua *Mellariensis* esset, geminataque littera appellandus, fefellit eos nominis fortasse affinitas, & vicus Bæticæ oræ, qui vulgo à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Melle *Beier de la Meile* nuncupatur. Cognomentum verius dixeris. Lucani enim Poetæ parens Annæus Mela, L. Annæi Senecæ Philosophi ac Iulii Gallionis frater: pluresq; alii in Pandectis, ac Plinio *Melæ* cognomento occurrunt. And. Schotto in Melæ editione *Tartessius* seu *Carteius* olim videbatur, legebatque pro *Cingeteratum* non *cingente freto*, vt Barbarus aliique assecłæ, sed *ex gente ea*, Pet. Ciaconii hominis doctissimi coniectura probata. Quid si & *interamnium* ibi aliquod, vt in Italia, oppidū fuerit, quæ vox propius à *Cingenterato* discedit. sed mera hæc coniectura est: docti arbitrentur & veriora proferant. Reliquit verò Mela lib. 3. *de Situ Orbis* perelegãtes, quibus nihil in eo genere præclarius: à quo Plinius, Solinus ceterique sunt mutuati. De hoc tale exstat Alphonsi Matamori lib. de litteratis Hisp. viris Elogium. *Hunc*, inquit, *cum doctissimis Geographis comparare, neque ineptè tamen, neque imperitè soleo, vt Straboni Cretensi eruditionem; Plinio diligentiam; Ptolomæo artem tribuam: huic quidem vni, cum valde laudare cupio, omnia libenter largior; cum intra modum vero laudationis consisto, breuitate pariter & elegantia præter cæteros commendo.*

TVRANIVS GRACVLA.

EAdem fere tempestate floruisse coniicimus Turianum, cognomento Graculam, Hispanum hominem scriptis olim clarum, sed cuius nihil ad nos præter nomen peruenit. equidem, Bæticum fuisse apparet. Laudat enim C. Plinius lib. 3. Naturalis Historiæ, de Gaditano freto agens, cuius & accolam facit. Naso Turanium quendam Tragicum Poetam prædicat. *Musaque Turani Tragicis innixa cothurnis.*

COLVMELLA.

CLaruit eodem sæculo Lucius Moderatus Columella, litteratum peritissimus ac disertus. Gaditanus & ipse, vt sæpius excellenti, *De agricultura* opere testatum reliquit: quo à se in re rustica potissimum obseruata, quæ à L. Volusio accepisset, retulit.

CORNELIVS HISPANVS, ET CLODII *Turrini.*

FLoruerunt eadem tempestate Cornelius Hispanus, & C. Clodius Turrinus pater & filius declamatores non contemnendi. Il-

lum Seneca Rhetor inducit Suasoria secunda; hos vero procœmio libri quinti Controuersiarum; filiumque sibi suisque carum prædicat. De parente quidem: *Dignitatem, quam primam in Hispania prouincia habuit, eloquentiæ debuit. Natus quidem erat patre splendidissimo, & auo Diui Iulii Hospite. Sed Ciuili bello attenuatæ domus vires excitauit.* De filio vero: *Adolescens*, inquit, *summæ eloquentiæ futurus, nisi mallet exercere quantum habet, quam sequi quantum consequi posset.*

PORCIVS LATRO.

ELoquentia quoque eodem ipso tempore Porcius Latro inclaruit. Quintilianus vero initio orationis cuiusdam *turbatum* memorat. Huius tamen nihil, præter vnam *in Catilinam declamationem* in manus nostras peruenit. Diserte hunc æqualis studiorumque sub Marullo socius M. Seneca Rhetor viuis depingit coloribus præfat. Controuersiarum, & alibi non raro. Vbi & de illo: *Oculorum*, inquit, *aciem contuderat, & colorem mutauerat.* Et Plinius lib. 20. Natur. Histor. cap. 14 *Omne cuminum pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Porcii Latronis clari inter dicendi assectatores, similitudinem coloris studiis contracti, imitatos.* Quintilianus lib. 10. *Porcius Latro genere Hispanus primus clari nominis professor, iudicio Senecæ tot egregiis declamatoribus, qui fœcundum Augusti ingeniis sæculum illustrarunt, gloriam præripuit.* Eius mors exstat in Eusebii Chronico ad Olympiadem 144. an. Augusti XL. *M. Porcius Latro Latinus declamator tædio quartanæ semet interfecit.*

SENECÆ DVO PATFR RHETOR, ET *filius Stoicus Philosophus.*

SENECAS Cordubenses (quæ ciuitas in nummis Tiberii vocatur PATRICIA COLONIA est) Annæâ equestri familia ortos nemo ignorat. *Lucius Seneca* patrem habuit Annæum Senecam, matrem Elbiam, vt ex inscriptione Controu. & Suasoriarum Rhetoris parentis, & lib. de Consolatione ad Elbiam (*tametsi* Albinam vulgo contra veteres libros excudunt) colligitur. Nec est quod quis vulgatum errorem sequi pertendat, & Declamationes Controuersiasque Philosopho tribuat: quæ res multos in his & Desiderium Batauum in errorem induxit: id enim fieri non posse fuit ab aliis partim obseruatum, vt à Volaterrano, & Alciato; partim rationibus demon-

stratum, vt nostra memoria à Lipsio, & And. Schotto, eruditis hominibus. Tres ex Elbia Marcus filios sustulit: quorum vnus Lucius Annæus Seneca, Stoicæ sectæ addictus; Annæus Nouatus (qui & Iunius Gallio est) & Mela. Lucius autem Seneca Philosophus ob singularem doctrinam, morumque grauitatem Neroni præceptor adscitus, maximæ apud eum auctoritatis initio fuit, vt è Dione, Xiphilinus prodidit; eidemq; composuit, quæ inuitio imperii tã in Senatu, quam apud exercitum diceret; illaque tanti Senatus fecit, vt columnæ argenteæ inscribi iusserit, quo ea quotannis in creatione nouorum Coss. legerentur, ea gratia, vt velut ad amussim iuxta ea præcepta Remp. quã optime regerent. Agrippinam quoq; Neronis matrem principio omnia, quæ ad imperium spectabant, administrasse constat, sed consilio Senecæ & Burri muliebrẽ potentiã infractam: ipsos autem omnem Reip. curã in se deriuasse: quam dum tenerent, cuncta optime & iustissime administrata: vt prudens narrat scriptor Tacitus Cornelius. Post obitum vero Burri variis criminibus Senecam calũniatores adoriuntur, tanquam ingentes, & priuatum supra modũ euectas opes adhuc augeret, quæque studia ciuiũ in se verteret. Hortorum quoq; amœnitate, & villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. Obiiciebant etiam eloquentiæ laudem vni sibi adsciscere, & carmina crebrius factitare; postquã Neroni amor eorum veniisset. At Seneca criminantium non ignarus, prodentibus iis, quibus aliqua honesti cura, & familiaritatẽ eius magis aspernãte Cæsare, orationẽ satis venustã habuit, eui & Nero ipse mox respondit. Mortis autẽ genus propius cõsiderare fuerit operæ preciũ: quo de fic Tranquillus: *Senecam præceptorem ad necem Nero compulit, quãuis sæpe commeatum petenti, bonisq; cedenti persanctè iurasset, suspectum se frustra, perituramque potius, quam nociturum se ei.* Et hoc secundũ Neronis paricidium diserttissime describit Tacitus his fere verbis: *Intromisit Cæsar ad Senecam, qui necessitatem vltimam denunciaret: quo cognito, poscit testamenti tabulas Seneca; at denegante Centurione, conuersus ad amicos, eorum lacrymas modo sermone, modo intentior in modum coercentis ad firmitudinem reuocauit. Post ictu ferri brachium exsoluitur. Quoniam vero senile corpus, & parco victu tenuatum lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque & poplitum venas abrumpit: fessusque cruciatibus defessis, ne dolore suo animum Paulinæ uxoris infringeret, atque ipse videndo eius tormenta ad impatientiam deflecteretur, suadet in aliud cubiculum abscederet. At Nero Paulinæ (quæ mori una cum coniuge obstinato animo decre-*

decreuerat) inhiberi mortem imperat. Seneca interim durante tractu & lentitudine mortis, Statium Annæum diu sibi amicitiæ fide & arte Medicinæ probatum, orat prouisum pridem venenum (quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur) promeret: allatumque hausit frustra frigidis iam artubus, & clauso corpore aduersus uim veneni; postremo stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos seruorum addita voce: libare se liquorem illum Ioui liberatori. Exin balneo illatus & vapore eius exanimatus, sine vllo funeris solemni crematur. Obiit Seneca vno post Lucanum anno; duobus autem ante SS. Petri & Pauli Martyrium, iuxta D. Hieronymum in Eccles. Scriptorum Catalogo cap. 12. Vixit haud dubie plus annis septuaginta, cum iuuentutis eius tempus in Tiberii principatum inciderit. Nunc ad Scripta ingeniiq; monumenta transeamus, quæ ad manus quidem nostras delata, hodieque exstant.

Ad Ebucium de beneficiis lib. VII.
Epistolæ ad Lucilium.
Quare bonis viris mala accidant, seu de Prouidentia.
De ira ad Nouatum lib. III.
De clementia ad Neronem lib. II.
De vita beata ad Gallionem fratrem.
De tranquillitate animi ad Seuerum.
Quod in sapientem non cadat iniuria ad eundem.
De breuitate vitæ ad Paulinum.

De consolatione ad { *Polybium,* *Marciam.* *Helbiam matrem.*

Naturalium Quæstionum ad Lucilium lib. 7. { *1. De Ignibus aliisque.* *2. De Vniuerso.* *3. De Aquis.* *4. De niue, grandine, & pluuia.* *5. De ventis, & aeris motu.* *6. De Terræ-motu.* *7. Cometis.*

Claudii Cæsaris Apocolocyntosis.

Huius etiã Philosophi Tragœdias esse decẽ, quæ circũferuntur, sublimi genere Æschyli atq; Euripidis exẽplo scriptas contendit vir doctissimus Martinus Delrius, Societatis IESV, Commentario in

Tragicum. Et vero duos dumtaxat fuisse Senecas ait Valerius Martialis, & Sidonius Apollinaris. Poeta vterq; patrem nimirum Rhetorem, cuius sunt Suasoriæ & Controuersiæ: filiumque Stoicæ sectæ Philosophum, eundemque Tragicum Poetam designantes. Alii Cognatum Senecæ Philosophi Tragicum, vt mox in Silio Italico ex Io. Mariana doceo. Fertur eiusdem hoc versibus Epitaphium:

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
Ite, alias post hac sollicitate animas.
Me procul à vobis Deus euocat. Ilicet actis
Rebus terrenis hospita terra vale.
Corpus auara tamen solemnibus accipe saxis.
Namque animam cœlo reddimus, ossa tibi.

LVCANVS POETA.

LVcanus Poeta domo Corduba, scriptis clarus, parente Annæo Mela, & matre Acilia: Senecam Philosophum patruum habuit: quem & Nero ipse Tyrannus per nefas iugulandum curauit, cum vix septimum & vicesimum annum excederet, ad annum CHRISTI XLVIII. Scripsit heroico ac sublimi stylo *de bello Pharsalico*, hoc est, de pugna Cæsaris cum Pompeio in Thessalia belloque ciuili lib. 10. hoc initio:

Bella per Aemathios plusquam ciuilia campos, &c.

De huius nece Neronis iussu Corn. Tacitus Annalium lib. 15. extremo, Cõsulibus Silio Nerua, & Attico Vestino, qui est post R. C. DCCCXIIX coniurationem in Neronem cœptam, & in primis Lucanum Annæum coniurasse, quod famam carminum eius premebat Nero, prohibueratq; ostentare vanus assimulatione. Tum detecta coniuratione, Lucanus Acilium matrem suam inter conscios nominauit, promissa impunitate. Sed Nero, post mortem multorũ, Lucani cædem imperauit. Is profluente sanguine, vbi frigescere pedes manusque & paulatim ab extremis cedere spiritum feruido ad huc & compote mentis pectore intelligit, recordatus carmen à se compositum quo vulneratum militem per ciusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat: versus ipsos retulit, eaq; illi suprema vox fuit. Ambiguum vero an hos è libro 3. belli Pharsalici.

Scinditur auulsus nec sicut vulnere sanguis,
Emicuit lentius, ruptis cadit vndique venis,
Discur-

Discursuq; animæ diuersa in membra meantis
Interceptus aquis ——

An hos è lib. 9. extremo.

Sanguis erant lacrymæ, quæcunq; foramina nouit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant
Et patulæ nares, sudor rubet, omnia plenis
Membra fluunt venis, totum est pro vulnere corpus.

Plura leges in Crinito, Gyraldo, lib. 4. Dial. 4. Lamberto Hortensio Belga, qui vastos in eum Commentarios Basileæ edidit post Sulpitium Verulanum, ac Iacobum Micyllum.

SILIVS ITALICVS.

GEssit initio imperii Galbæ Consulatum C. Silius Italicus, cui Patria Italica cognomentum addidit: vrbs in Bætica iuxta Hispalim: qui locus hodie ab incolis *Seuilla la vieja*, hoc est, Hispalis vetus nominatur. Fuit hic Poeta excellens, Virgilii æmulus, vt ex opere illo *De bello Punico*, secundo animaduertas: tametsi parum illi æquus iudex est Iulius Scaliger, cetera acerrimi vir iudicii. Sexagesimum autem annum cum attigisset, carbone fertur exstinctus. Plinius Secundus lib. 3. epist. 7. *calli tædio* obiisse dicit. Plura qui volet, Crinitum legat: eoque disertiorem, Lilium Giraldum in Poetarum Historia. Ioan. Mariana lib. 4. rerum Hispanicarum, cap. 3. *Occisus inquit Nero Domitius, Cos. Silio Italico, salutis anno 69. Silium plerig; Hispanum faciunt. Crinitus Romæ natum ait, sed Hispania oriundum. A Giraldo vtrumq; repudiatur & in Pelignis patria Italica natum arbitratur. Inde vero erroris occasionem captam. Secundum bellum Heroico carmine scripsit senex in secessu Campaniæ, Reip. cura abdicata: Huic æqualis Seneca Tragicus quoto gradu Senecam Philosophum cognatione attigerit clam est: fuisse propinquum ducta ex nomine coniectura plerisque persuasum. Vnius Tragœdiæ Quintilianus meminit Senecæ Philosophi nomine vulgatæ.* Hactenus ille. Italiæ quoque vindicat Ioan. Camers Commentario in L. Florum lib. 3. cap. 10.

MARTIALIS.

MAgna erat Romæ, imperante Domitiano Hispanorum Poetarum copia, quos inter non postremas tulit *M. Valerius Martialis*, Bilbili natus, quæ vrbs hodie *Calatajud* appellatur, in Aragoniæ:

finibus situm oppidum vel potius finitimus ibi locus, ruinis plenus & alto loco situs, qui *Baubula*, affini magis cũ *Bilbili* nomine, indigitatur. Nam qui nominis similitudine inducti Bilbilim eam esse tradiderunt vrbem, quæ hodie *Bilbao* in Cãtabria est, ii, vere vt dicã, toto errant cælo & solo: Hæc enim vrbs Cantabriæ portu ad Oceanum clara *Flauiobriga* antiquitus dicta; Bilbilis vero mediterranea cognomento AVGVSTA est, qualem Poeta 10. lib. Epigr. 103. describit:

Municipes augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat rapidis quos Salo cingit aquis.

Et mox *altam* vocat: vt & lib. 1. Epigram. 50.

Videbis altam, Liciane, Bilbilim,
Equis & armis nobilem.

Vt vulgo quidem legitur, rescribendum tamen obseruauit vir doctiss. Hieron. Surita Cæsaraugustanus:

——*Aquis & armis nobilem.*

Salonis enim fluuii nomen hodie retinentis, aquæ ferro temperando ac chalybe & armis etiam adhuc claræ: & olim, teste Trogo Pompeio ac Plinio; equis non perinde ager ille celebris. Idemque Surita lib. 10. non *agri monte creat*, sed *acri* reponebat, rectius quam alii *alto*. Ferrum autem Poeta noster lib. 4. Epigr. 55. commendat:

Sæuo Bilbilim optimam metallo.

Et lib. 12. Epigram. 18.

Auri Bilbilis & superba ferro.

Martialis itaq; iuuenis etiamnum Romæ veluti in orbis theatro inclaruit, vt dicax, lepidus, & salibus abundans ac dicteriis. Hinc regnat in epigrammatis, quæ iocularibus aptiora, & acumine commendantur, Ælio Seuero Imperatore ita in deliciis habitus, vt noto, & à plerisque celebrato elogio, suum Virgilium appellaret. Floruit extremo seculo primo, hoc est, à CHRISTI natali anno fere centesimo. Cetera de huius Poetæ natalibus, maioribus, ac Poematis dabunt eruditi interpretes: Crinitus item, ac Giraldus Gregorius, quorum scrinia non compilo, digitum ad fontes, quod aiunt, intendisse contentus.

M. VNI-

M. VNICVS, LICIANVS DECEANVS,
Canius Poeta.

M. Vnicum, aliter Vinicum æqualem suum immo & cognatum idem celebrat Martialis lib. 12. Epig. 44. vt *Lucianum*, (vel vt alii legunt *Licinianum*) patria quoque Bilbilitanum, & *Decinianum* Poetam insignem Emeritensem. Romæ etiam tum C. *Canium Rufum Gaditanum* inclaruisse idem affirmat, lib. 1. Epigram. 61.

Gaudent iocosæ Canio suo Gades
Emerita Deciano meo
Te, Liciani gloriabitur nostra
Nec me tacebit Bilbilis.

De Canio plura Lilius Gyraldus Dialogo 4. Historiæ Poetarum.

M. FABIVS QVINCTILIANVS.

M. Fabius Quinctilianus, ex Hispaniæ oppido Calaguri maxime propter obsessum in eo Sertorium insigni, Nerone imperante Galba (qui & ipse deinde imperator fuit) Romam adolescens admodum perductus est. Patre autem quantum colligimus, cum erudito viro, tum in reipub. suæ administratione honestissime versato vsus est. Ipse cum in ea tempora incidisset, quibus & Anneus Seneca, & Iulius Afrianus, Vibius Crispus, & Tracallus, & Afer Domitius, aliaque Romanum forum præclarissima ingenia illustrarent: Domitium in primis senem iam colendum sibi assectandumque proposuit, hominem cum omnium eius ætatis oratorum eminentissimum, tum præcipua quadam facetiarum atque vrbanitatis laude memorandum. Neque illius solum actiones verũ & domesticos sermones diligentissime omnes obseruauit. Cum vero & probatissimis moribus, & summa ingenii vi, & acerrimo studio Quinctilianus esset prima statim iuuenta celebrare forum, atq; in summis patronorum numerari occœpit: ad eamque virtutis & ingenii commendationem repente peruenit, vt non solum maximæ quoque ad illum causæ deferentur, sed & notarii, qui eius dicentis verba exciperent, vulgo à studiosis hominibus conducebantur. Inter ceteras autem quas egit causas Quinctilianus, duæ in primis insignes habentur: altera quam pro Regina Benerice apud eam dixit: altera, qua ream tuebatur, quæ subiecisse dicebatur mariti testamentũ, & chyrographũ marito expirante heredibus dedisse quod

verum erat. Sed cum diu iam in foro, tanto successu, tantaq; gloria versatus foret, vt inde non ingentes modo opes, sed & Romanam ciuitatem, omniaque nobilitatis iura consecutus esset, & iam maximus (vt canit Iuuenalis) orator haberetur, honestissimum sibi agendi causas finem statuens, dum adhuc desideraretur, receptui cecinit, suamque mox operam vir ptocul dubio hominum causa natus, ad præcipiendi munus transfetre coactus est. Igitur Romæ publicum iuuentutis gymnasium, & è fisco eximium stipendium accepit: multiq; ex eius ludo quasi ex equo Troiano litterarum proceres exstiterunt, inter quos & Plinius ille Iunior fuit: qui etiam in epistolis Quintilianum præceptorem suum libentissime agnoscit: & Iuuenalem item fuisse (vt quidam arbitrantur) maxime verisimile est, qui de illo his verbis honorifice mentionem facit:

—— vnde igitur tot
Quintilianus habet saltus? exempla nouorum
Fatorum transi: felix & pulcher, & acer,
Felix & sapiens, & nobilis, & generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.
Felix orator quoque maximus, & iaculator.
Etsi perfrixit, cantat bene ——

Erat autem in eo præter cetera adeo exprompta fidelisque memoria, vt quæ ex tempore aliquando dixisset, ad verbum etiam repetita redderet: cuius rei sæpissime periculum fecit, si quando interuentus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegisset. Postquam vero in erudiendis iuuenibus viginti annos tanta sua gloria, tantaque iuuentutis Romanæ vtilitate posuit, vt ab ingeniosissimo Latinorum epigrammatum Poeta, & *vagæ iuuentutis moderator*, & *Romanæ togæ gloria* verè meruerit appellari: etiam hunc laborem deprecatus, studiis aliquãdo suis quietem impetrauit: atque vt non solum ætatis suæ hominibus, sed & posteris quoque consuleret, totum illud otium ad libros *de Oratoria institutione* componendos transtulit: quorum cum tertium iam in manibus volumen haberet, Domitianus Augustus curam illi sororis suæ nepotum delegauit. Vxorem prætorii viri filiam, omnes, quæ in pecuniam cadunt laudes (vt ait ipse) supergressam, cum nondum ætatis vndeviceſimum explesset annum, duos enixam filios, amisit. Atque hunc suum casum in horum librorum sexto vir pius, sed omnium suorum superstes, miserabiliter deplorat. Hos autem, qui nunc in manibus nostris libri versantur, Victorio Marcello, cum summa sibi amicitia coniuncto, tum eximio studiorum amore flagranti, dicauit: Præter hos autem & vnum librum *de Causis corruptæ eloquentiæ*, & alterum item, qui nunc quoque extat declamationum (quas illi Pet. Alrodius & Pythæus nostra memoria asseruerunt CXLV. de CCCLXXXVIII.) composuit. Miro autem candore veterum ingenia virtutesque omnium indicauit. *Senecam* tantum damnare, inuisumque habere est creditus: quod accidisse sibi ipse scribit, dum corruptum & omnibus vitiis depranatum dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendit. Nam cum solus fere Seneca in manibus adolescentium foret, non quidem ipsum omnino conabatur excutere, sed potioribus præferri non sinebat.] Ex oratione Politiani in Quinctilianũ. de eius institutionib. repertis Ioan. Mariana lib. 4. Annal. Hisp. cap. 3. his verbis. *Fabii Quinctiliani Institutiones Oratorias ante annos sexcentos amissas Pogius Florentinus, Concilii Constantiensis tempore in quodam eius vrbis monasterio inuentas luci publicoque restituit.* Franc. Philelphus audaci censura Fabium hunc Hispanitatem sapere iactare est ausus: vt apud ipsum lib. 1. Institut. Orat. cap. 9. & lib. 8. cap. 1. Titum Liuium summæ facundiæ virum Asinius Pollio Patauinitatem sapere dicebat. Quin & Declamationes cius, quæ olim institutionibus subiiciebantur, de Cæco, aratoris, non oratoris videri pronunciabat. Sic iudicia alternate docti consueuere.

Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis.

VOCANIVS VICTOR.

IMperante Romæ Hadriano, imperium mox excipiente Traiano, vtroque ex Hispania gente Imperatore, Voconius Victor fama innotuit, Patre quidem Romano, matre vero Saguntina. (quæ vrbs *Saguntum Muruiedro* vel *Monuiedro* in Valentino regno hodie appellatur) Poeta egregius nobili stirpe ordinis equestris ortum ait. lib. 1. Epistol. ad Priscum C. Plinius, eius familiaris, laudatque ingenii acumen: cuius quoque iudicium tanti Martialis fecit, vt versus illi suos castigandos miserit. Floruit vero anno CCXL. Adriano Cæsari vsque eo, dum vixit, eruditioris nomine carus, vt teste Apuleio in Apologia tumulum eius hoc elogio ornarit:

Lasciuus versu, mente pudicus eras.

Vt de se alibi idem Martialis Lasciua est nobis pagina vita proba est. Meminit & Plinius Iunior lib. 1. epist. 5. Et Giraldus dialogo, 4.

AVICENNA.

EMicuit tot inter tantosque præstantissimos Hispaniæ viros Auicenna Medicus. Hispali natum tradunt Annales: licet Cordubenses suum esse dicant. Et quanquam Maurus ipse laudandarum artium tinctus fuerit cognitione, in re Medica tamen æqualibus suis longe antecelluit, vt arteriæ pulsum tentando, cuius quisque gentis esset diuinare posset. Ferunt adhæc Mauris imperitasse: quin etiã inuidia quadam ab Auerroe veneno sublatum fabulantur. At non Hispanum, sed Afrum esse euincit Christophorus à Costa Afer, libro Aromatum, vbi de Elephantis agit Natum inquam, in vrbe Bochoroa in prouincia Vsbeque, quæ Tartariæ pars est, vnde multum Mannæ in India adferri solet: scripsitque Arabice, qua lingua Tartari vtuntur. Plurima nobis ingenii sui monumenta reliquit, pleraque Medica, alibi recensita.

AVERROES.

AVicennæ æqualis fuit Auerroes, à Mauris Auenrois dictus: Philosophus insignis, domo Corduba; qui & ob ingenii præstantiam *Commentatoris* est nomine hodieque cohonestatus. Maurus & ipse gente ac religione, & Auicennæ gloriæ in primis inuidens. Integrum fere Aristotelem aut certe maximam eius partem Commentariis explanauit, ac illustrauit; quæ Italiæ Philosophi potissimum mirantur & imitantur. Edidit etiam librum *de natura orbis*, *de re Medica*, *de Theriaca*, *de diluuiis*, *aliaque plurima*. Floruit hic, vt testantur Annales, anno CIↃ. CXLIX. qua etiam tempestate viguerunt Gratianus Monachus, Petrus Lombardus, qui & alias *Magister Sententiarum* vulgo nuncupatur, & Petrus Comestor, Scholasticæ auctor Historiæ, &, vt quidam tradunt, non æquales modo, sed & fratres. Hos autem gentium Philosophos, vt Hispaniæ decora & antiquitate ceteris priores præmittere visum est: venio nunc ad Christianos, sacros, & Ecclesiasticos Hispaniæ Scriptores principes.

HIERO-

HIEROTHEVS S. PAVLI AVDITOR.

CVm S. Paulus Apostolus in Hispaniam, vt CHRISTI Euangeliũ nuntiaret, peruenisset, Hierotheum ibi conuertit, secumq; duxit. Tantæ autem vir fuit sapientiæ, & sanctimoniæ, vt merito sit *Diuini* nomen consecutus. Fuit & hic S. Dionysii Areopagitæ præceptor, à quo illius Vita conscripta est: quæ cum in Sanctorum Vitis legatur, in præsens supersedere visum est. Illud tantum adiiciam, Hymnos aliquos diuini Amoris versibus decantasse. Meminit & Ioannes Mariana lib. 4. annal. Hisp. cap. 3. in Nerone.

PRVDENTIVS POETA SACER.

FVit Aurelius Prudentius Calaguritanus, vel, vt alii volunt, Cęsaraugustanus, editus in lucem anno CCCXLVIII. vt de se ipse in prologo περιστεφάνων testatur. Iuuenis etiamnum stipendia militiæ meruit; senex vero, sacris hymnis carmine pangendis, qui hodieque leguntur, animum appulit. Certe multum illi æternum Hispania debebit, quod Sanctorum Vitas, in iis & Hispanorum Laurentii ac Vincentii, athletarum insignium venusto admodum & eleganti carmine conscripsit, ad posterosque transmiserit: à quo, & nonnullas Sanctorum Vitas Aloysius Lipomanus Veronensis Episcopus, & Laurentius Surius Carthusianus mutuati euulgarunt. Scripsit idem *duos contra Symmachi relationem libros*. *Opus* quoque *sex dierum* teste Gennadio, sed hoc temporum iniuria, hominumque incuria intercidit. Viguit hic anno CHRISTI CCCCXXX.

IVVENCVS.

PResbyter ac Poeta Hispanus, B. quoque Hieronymi Catal. cap. 87. testimonio clarus, scripsit, quæ exstat, Carmine heroico *quatuor euangelistarum Historiam Sedulius* poeta, cui adhæret Scotus fuisse putatur; qui & ipse Prosa breues in Paulinas epistolas notas ac Scholia dedit, quæ circumferuntur. *Aratorem* etiam, qui Apostolorum acta Heroicis versibus complexus est, non nemo Hispanis annumerat: in quẽ & docte Arii Barbosæ Lusitani Commentaria Salmantica olim euulgata vidimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PAVLLVS OROSIVS.

CElebratur & omnium ore Paullus Orosius Tarraconensis, quæ citerioris Hispanię princeps ciuitas, maximæ de tribus partibus nomen dedit. Præceptore vsus est S. Augustino Hipponensi Episcopo qui & in epistolis non raro laudat c 11. & xxxx. B. Hieronymus ibidē Tom. 2. Aug. Eiusdemque gratia aduersus Priscillianistas scribit rogatus Tomo 6. & retractationum lib. 2. cap. 45. commemorat. fuitque disertus, ac multarum rerum peritia clarus. De functo vero hac mortali vita S. Augustino, Romæ degebat, vbi *Septem contra Gentes libris* res Græcorum Romanorumque domi militiæque gestas fideliter eo potissimum consilio contexuit, quo ethnicorum calumniam, quæ Christianis mala calamitatesque temere imputabat, refelleret. Scripsit & Apologeticon. *De arbitrii libertate* contra Pelagium, Coloniæ Agrippinæ euulgatum vna cum eruditis Franc. Fabricii Marcodurani Scholiis, in septem illos Orchestræ non Ormestæ aduersus Gentes libellos. anno 1573. Floruit autem anno à nato CHRISTO CCCCXL.

ALFONSVS TOSTATVS ABVLENSIS, *Episcopus.*

ALfonsus Tostatus Episcopus Abulensis, ibidem oriundus Matricalensi vico, tanta rerum sacrarum cognitione excelluit, vt eo sæculo doctior, aut sapientior sit inuentus nemo, solusq; illustrare Hispaniam doctrina nominisque celebritate posset. Memoriam quoque eam habuisse fertur, qua lecta à se cuncta veluti thesauro contineret. Laboris vero patientia vsque eo enituit, vt quod de Didymo Alexandrino iactatum ferunt, ænea habuisse intestina putaretur. Salmatica eo gloriatur Theologię doctore, vbi Collegii S. Bartholomæi alumnus exstitit: patriā quoq; Matricalium Vaccæorum non longe à Pintia oppidum se iactet nobili quidem vino memorabile, sed longe celeberius Testati natalibus, viri multiscii cuius numerosa & variis de rebus cum sacra tum profana scripta Didymo illi Alexandrino, vt diximus parem faciant. Sic Aluarus Gometius extremo libro 5. vitæ Franc. Ximenii Card. & lib. 3. vbi & illa additamenti vice adiecit. Abulensis opera in S. Bartholomæi Collegio Salmanticæ sumptibus suis excudenda Venetiis curasse Ximenium Cardinalem ingeniorum parentem. Partem quoque scriptorum fœda ad Barcinonem tempestate naui fracta diuinō quodam numine veluti è naufragio seruatam. Tot tantaque sunt eius in S. Scripturam Quæstionum Volumina, vt si vel à primo natalis die numerando terna folia attribuas, plura scripsisse comperias. Interfuit & Concilio Basilensi, ibiq; cum Ioan. Capreolo, ordinis S. Dominici doctissimo Monacho B. Thomæ assecla, disseruit, circa annum D. CCCCXL. supra millesimum. Leguntur eius hæc semel iterumq; à Venetis edita: *Quinque volumina in libros quinque Moysis. Commentarius in Iosue. item Iudicum, in Ruth, in quattuor libros Regum, in Paralipomena. quinque item libri in S. Matthæi Euangelium.* Reliquit & *Ecclesiasticam Eusebii Historiam ampliorem*, sed Hispano sermone Salmanticæ excusam 1505. Latine vtcunque cetera leges plura, de mira & inusitata disputandi cum Turrecremata coram Eugenio Pontifice acrimonia apud Ioan. Marianam lib. 21. Annal. Hisp. cap. vltimo, qui Turrecremata super decreta sic de Tostato indicat. *Non tam exacte Quæstiones dissoluere quam argute disquirere.* Epitaphium tumulo adscriptum è Bætico sic reddimus:

Hic situs ALFONSVS TOSTATVS, *quique Abulensis*
Præsul, perpetuæ virginitatis amans:
Plura dedit sacræ conscripta volumina Legis
Quam longæua ætas euoluisse queat.
Primæ natalis luci folia omnia adaptans:
Nondum sic fuerit pagina trina satis.

FRANC. XIMENIVS CARD. ARCHIEPISC. *Toletan.*

DIgnus sane & Franc. Ximenius Cisnerus, qui doctos inter Hispanos recensetur ex D. Francisci familia Archiepisc. Toletanus, & tit. S. Balbinæ Cardinalis; ad quod dignitatis fastigium ob insignem eruditionem merito est à Regibus Catholicis euectus: quibus Granatæ cum Mauris bellum gerentibus, Castellæ regna administrauit. Cumque tanta apud omnes valeret auctoritate, maiora est aggressus, quæ ad exitum duxit feliciter. Oranum, cum Africæ portum, qui Nadaurus olim dictus putatur, Mauritanis ereptum in Hispanorum redegit, qui hodieque tenent, potestatem. Academiam quoq; insignem Theologicis studiis florentem Compluti,

vulgo *Alcala Henares* à flumine sic dicta incredibili sumptu ac magnificentia ære suo excitauit. Gessit & alia spe atque expectatione maiora. Nam & Romanis pace Leonis Pont. Max. in Vaticanis eruditarum linguarum Bibliis calamo in membranis exaratis, Biblia illa Complutensia à loco dicta, magnæque apud pios toto terrarum orbis auctoritatis incredibili sumptu, Hebraicè, Græcè, Chaldaicè ac Latinè euulganda curauit: euocatis etiam ingenti præmio præstantissimis eius æui ingeniis, vt aut in Academia recens nata, Doctoris de superiore loco personam sustinerent, aut sacros illos libros illustrarent. Quo factum est, vt sæculo illo Ptolomæum Philadelphum repræsentasse videatur, cuius auspiciis duo & LXX. Interpretes Hebræi Pentateuchum, siue Octateuchum, è sacra lingua in Græcam transcripserint. Floruit anno Christi C I O. I O X. cuius tumulo Compluti hi versus inscripti leguntur in augustissimi à se constructi Collegii sacra æde, à Ioanne Vergara Franc. fratre Toletano Canonico dictati:

Condideram Musis FRANCISCVS *grande Lyceum,*
Condor in exiguo nunc ego sarcophago.
Prætextam iunxi sacco, galeamq; galero,
Frater, Dux, Præsul, Cardineusq; Pater.
Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo,
Quum mihi regnanti paruit Hesperia.

SACRI HISPANIÆ SCRIPTORES.

Ex Trithemio Spanhemensi Abbate.

Ildefonsus Toletanæ sedis post sanctum Eugenium Episcopus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & sæcularis quoque litteraturæ non ignarus: metro excellens & prosa; ingenio subtilis; sermone disertus, & super omnes sui temporis Episcopos facundus, & eloquens; vita & conuersatione Deo dignus atque sanctissimus. Fuit enim timore Dei præditus: religione deuotus: compunctione profusus; incessu grauis; honestate laudabilis; patientia singularis: disserendi ingenio clarus, sapientia summus. Qui cum adhuc

huc puer esset diuino spiritu adactus, res mundi, parentumque affectiones contemnens Agalinense monasterium petiit, monachumq; se in eo multis annis decenter exhibuit. Cœnobium quoque virginum in Deibiensi villula constituxit: quod de parentum suorum opibus dotauit. Abbas deinde effectus Agalinensis Cœnobii. Monachorum mores exercuit: rem discreuit: vitamque seruauit. Principis post hæc violentia Toletum reducitur: atque inibi primus decessoris sui obitu, pontifex surrogatur. Scripsit multa præclara opuscula. De quibus feruntur subiecta.

De sancta Trinitate:	*li.1.*
De imbecillitate propria:	*li.1.*
De Virginitate sanctæ Mariæ:	*li.1. Dom. mea dominatrix mea.*
Annotationes actionis diuinæ:	*li.1.*
Annotationum in sacris.	*li.1.*
Annotationum in sacramentis:	*li.1.*
De cognitione baptismi:	*li.1.*
De progressu spiritalis deserti:	*li.1.*
Hymnorum diuersi generis:	*li.1.*
Sermones varii:	*li.1.*
Epigrammata multa	*lib.1.*
De missa quoque:	*li.1.*
Epistolarum ad diuersos:	*li.1.*

Et alia quam plura.

CVm Beatissimus iste præsul Hildefonsus librum *De virginitate purissimæ Dei* genetricis Mariæ ad finem vsque complesset, cui omni studio, quo poterat, semper deuote seruire solebat: apparuit ei Domina mundi sacratissima ipsum librum habens in manibus, & gratias agens illi pro tali fructu, quem sibi gratissimum esse affirmabat. Ille vero cupiens eam altius honorare constituit, vt celebraretur solemnitas eius singulis annis octaua die ante natalem Domini: quæ solemnitas iam obtinuit, vt per vniuersam fidelium Ecclesiam in honore purissimæ *Conceptionis* illius celebretur. 6. iduum decembris. vnde rursum ei beata Dei genitrix apparens, vestimentum sacerdotale, quod nos Albam vocamus, & cathedram illi attulit: de quibus multa miranda & gloriosa narrantur.

Universidad de Deusto Biblioteca

IVuencus presbyter, natione hispanus: vir nobilis atque doctissimus: philosophus poeta: rhetor & Theologus insignis & non minus cōuersatione, quam scientia scripturarum ecclesiæ venerabilis: edidit pro ædificatione legentium tam metro quam prosa multa præclara volumina: sed pauca eorum ad notitiam meam peruenenerunt. Legi opus insigne quod hexametris pentametrisque versibus composuit:

De quattuor Euangeliis: *lib. 4.* *Immortale nihil mun.*
De sacramentis: *lib. 2.*

Cætera quæ composuisse dicitur, ad manus nostras nō venerunt.

Claruit sub Constantino magno & filiis eius. Anno CCCXXX.

DAmasus Papa natione Hispanus: sedit post Liberium in cathedra Petri annis decem & octo: vir in diuinis scripturis eruditissimus: & in sæcularibus litteris egregie doctus: rhetor & poeta çeleberrimus: & in componendis versibus peritissimus: ingenio subtilis: vita deuotus atque sanctissimus, Diui Hieronymi presbyteri amantissimus: scripsit vtroque genere varia opuscula. de quibus extant

Gesta summorum Pontificum: *lib. 1.*
Beatus Petrus Apostol.
De fide contra hæreticos: *lib. 1.*
Quoniam post Nicenum Concilium.
Epistolarum ad diuersos: *lib. 1.*
Damasus episcopus.
Diuersa carmina. Et alia.

Claruit sub Valentiano & Valente. anno Dom. CCCLXX.

AVdentius episcopus hispanus: vir in diuinis scripturis exercitatum habens ingeniū: scripsit aduersus Manichæos: Sabellianos & Arrianos præcipua tamen intentione cōtra Fotiniacos: qui postmodum Bonosiaci vocati sunt opus insigne: quod prænotasse dicitur.

De fide contra hereticos: *lib. 1.*

Alia quoque nonnulla edidit: quæ ad notitiam meam minime venerunt.

LVCIANVS Ecclesiæ Hierosolymitanæ presbyter, cui Deus tempore Arcadii & Honorii reliquias S. Stephani protomartyris reuelauit: quas & Græce vno libro complexus est: quam AVITVS presbyter, genere Hispanus, Latine conuertit, & adiecta epistola sua per Orosium Orientalibus misit legendum. circa annū Domini 410.

Exstāt inter opera S. Aug.

Isidorus

ISidorus senior: Episcopus Cordubensis: vir in diuinis Scripturis valdè peritus: & sæcularium literarū non ignarus; ingenio promptus: & satis disertus eloquio: non minus conuersatione morum quam scientia scripturarum insignis: cuius eruditio apud veteres in magno pretio erat. scripsit non pauca in diuinis voluminibus opuscula. de quibus ego tamen reperi: opus egregium quod edidit ad sanctum Orosium presbyterum Hispanum.

In quatuor libros regum: *lib. 4.*

De cæteris nil reperi.

Claruit sub Theodosio & Honorio principibus, Anno CCCCXX.

ORosius presbyter: natione Hispanus: Beati Augustini quondam auditor: vir in diuinis scripturis eruditus: & in secularibus litteris peritissimus: vita & conuersatione clarissimus fuit. Hunc Beatus Augustinus pro discenda quæstione *de natura Animæ* ab Hispania ad se venientem: ad sanctum Hieronymum in Bethleem Iudææ miserat, vbi aliquantulum moratus quæstionem pro qua venerat luculenter didicit: & ad Hipponem remeans, reliquias protomartyris Stephani secum portauit. Ad hunc studiosissimum virum plura extant Beati Augustini opuscula, & resolutiones variæ quæstionum scripturarum. Scripsit vero & ipse subiecta volumina: *Apologeticum.*

Contra Pelagianos: *lib. 1.*
**De hormesta mundi chronicam:* *lib. 7.*
Præceptis tuis parui:
De ratione animæ: *li. 1.*
Cum apud vos cælestis.
Epistolas plures ad Augustinum: *li. 1.*
Epistolarum quoque ad diuersos: *li. 1.*
In cantica canticorum. *li. 1.*

* de orchestra mundi *legit & emendat Steph. Pighius in Hercule Prodicio.*

Claruit vita & doctrina illustri, cum sancto Augustino Anno CCCCXX.

OSius Episcopus Cordubensis, ante Isidorum: ad quem Calcidius Grammaticus Timæum Platonis traduxisse memoratur vir quidem doctus & eloquens: in concilio Sardicensi præsidens, multas egregias sententias dixit: sicut ex gestis eiusdem Synodi constat. Hic in senectute sua nimis perterritus à Constantio Principe Arriano, metuens ne senex & diues, aut exilium pateretur, aut damna rerum, Arrianæ mox impietati consensit.

Vt ad Calcidiū Fulgētius de Vocibus Latinis, post Nonium.

Universidad de Deusto Biblioteca

Sed vitam vt meruit non diu post, exitus crudelis finiuit. Nam post impiam præuaricationem; cum sanctus Gregorius Eliberitanus Episcopus ex imperiali decreto veniſſet Cordubam, & nollet communicare Osio, commotus ille rogauit Clementinum Constantii præfecti vicarium, vt in exilium depelleret Gregorium, cui vicarius: Non audeo, inquit, episcopum in exilium mittere, nisi prius ab episcopatu deposueris illum. Nec more patiens Osius, cathedram vt iudex ascendit: Gregorium reali citat edicto: quo comparente in conspectu multitudinis, cum Osius fastu superbus sententiam demonstrationis conaretur exprimere, Gregorius totis viribus Christum appellat, ne tam iniustam eius præsumtionem sineret inultam. Et ecce Osius impius residens, cum sententiam vellet proferre, os vertit, distorquens pariter & ceruicem, & cadens in terram subito expirauit. Hinc omnes inuadit metus, S. Gregorium post hac nemo audet contingere.

Scripsit autem Osius adhuc catholicus, Ad sororem suam

De Laude virginitatis: *li.1.*
In concilio præfato, sententias. XVIII. *li.1.*

Et plures epistolas.

Claruit sub Constantio senex valde, à quo etiam deceptus interiit circa annum domini CCC. ac XC.

leg. Lumeca in Lusitania.

*Dacius** Lemice Hispaniarum vrbis episcopus, vir in diuinis scripturis eruditus, cognomento & eloquio clarus, qui cum Vrsacio episcopo propter necem Priscilliani quem Treueris accusauerant à communione Ecclesiæ sequestratus, in exiliumque detrusus ibidem mortuus est. Scripsit autem non contemnenda opuscula de quibus ista feruntur:

Aduersus Priscillianum: *li.1.*
Chronicorum à tempore Theodosii *li.1.*

Et quædam alia.

Claruit sub Theodosio venerabili imperatore Anno Domini CCCC.

Vlianus episcopus Ecclesiæ Toletanę Hispaniarum, natione Maurus, ad quem sanctus Prosper tres libros *de Contemplatione* scripsisse dicitur: vir in diuinis Scripturis valde eruditus, & secularibus doctrinis sufficienter instructus, eloquio scholasticus, sensu apertus. Scripsit multa insignia volumina. De quibus referuntur subiecta.

De

De sancta virginitate: *li.1.*
De natura animæ: *li.8.*
De Resurrectione quæstionum: *li.1.*
De contemptu mundi: *li.1.*
Prognosticon futuri sæculi: *li.3.* *Nascendis fidem ecclesiæ*
De vitiis & virtutibus: *li.1.*
Epistolarum ad diuersos: *li.1.*

Alia quoque nonnulla composuisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Marciano imperatore Anno Domini. CCCCL.

Iustus Orgelitanæ ecclesiæ episcopus, frater Iustiniani præsulis, vir & ipse in scripturis sanctis excertitatus & doctus, in exponendis diuinis & canonicis voluminibus excellentis ingenii. Scripsit satis elegans & commendabile volumen scholastico sermone:

In cantica canticorum: *li.1.*

Et alia multa.

Claruit cum fratre suo sub Iustiniano imperatore Anno Dom. DXL.

Aprigius ecclesiæ Pacensis Hispaniarum Episcopus: in diuinis scripturis doctus, & in sæcularibus litteris eruditissimus, ingenio subtilis, & lingua disertus, tam glorioſe & profunde sacras scripturas exposuit, vt in eius comparatione veteres scriptores non exposuisse viderentur. de cuius opusculis extat insigne volumen subtili sensu, & illustri sermone.

In Apocalypsin Ioannis: *li.1.*
In cantica canticorum: *li.1.*

Alia quoque multa edidit, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit temporibus Theodoti Regis Gothorum sub Iustiniano Imperatore magno. Anno Domini. D. atque XXX.

Licinianus Carthaginis Spartarię Episcopus, vir in diuinis Scripturis eruditus, & sæcularium litterarum non ignarus, post multa studiorum exercitia apud Constantinopolin ab æmulis suis veneni poculo extinctus est, sub Mauricio imperatore. Nec cum læsit mors subita, dicente scriptura. *Iustus quacunque morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Tunc enim veraciter viuere incipit, cum bonis operibus ornatus ad *Christum* per mortem numquam moriturus va-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit. Scripsit autem non contemnendæ lectionis quædam opuscula, dequibus adhuc nullum videre merui. Fertur autem eius opusculum:

De sacramento baptismatis: *li. 1.*
Ad Eutropium abbatem epistolarum: *li. 1.*
Ad diuersos quoque epistolarum: *li. 1.*
Et quædam alia: *li. 1.*

Claruit sub Mauricio Imperatore, Anno Domini D X C.

SEuerus Malacitanæ vrbis Episcopus, socius & collega quondam præfati Liciniani antistitis. Vir in scripturis sanctis eruditus & in secularium litterarum disciplinis nobiliter doctus: ingenio acutus: eloquio clarus. Scripsit contra Vincentium Cæsarauguſtanæ vrbis Episcopum, qui de Catholica fide in Arrianam prauitatem fuerat deuolutus.

Consistorium: *li. 1.*
De virginitate ad sororem: *li. 1.*
Epistolam ad diuersos: *li. 1.*

Claruit anno Domini. D L X X X. sub Mauricio Imperatore, sub quo & moritur.

EVtropius Episcopus Valentinæ Ecclesiæ, quondam Abbas monasterii Scribitani, ordinis sancti Benedicti, ad quem * Licianus Episcopus in præfato Cœnobio commorantem multas conscripsit epistolas: vir tam in diuinis scripturis quam in secularibus litteris magnifice doctus: & monasticis disciplinis apprime imbutus. Scripsit epistolam *quare infantibus post hanc tribuatur*

Isider. c. 31. Scripsit ad Lucianum (al: Lucinianum) Episcopum.

Chrismatis vnctio: *li. 1.*
De coertione Monachorum: *li. 1.*

Et plures epistolas ad diuersos:

Claruit temporibus Mauricii Imperatoris anno Dom. D C.

IOannes Episcopus Gerundensis ex Monacho ordinis nostri, natione Gothus: ex prouincia Lusitaniæ vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, moribus quoque & persuasione clarus: Græco & Latino sermone doctus & inclytus fuit. Qui cum adolescēs Constantinopolin amore discēdi peteret, septennio elapso ad Hispanias reuersus est. Quem rex Leouigildus cum ad Arrianam impietatem vellet traducere & non posset: per decennii duro satis exilio damnauit. Inde à Recharedo Rege Christianissimo reuocatus, monasterium condidit: vbi fratribus suis verbo & exemplo regularis disciplinæ tramitem ostendit. Scripsit. *Ex*

Exhortatorium ad monachos: *li. 1.*
Additiones in chronica: *li. 1.*

Alia quoque multa composuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Recharedo Wisogethorum Rege Christianissimo in Hispaniis, temporibus Mauricii & Phocæ Imperatorum. Anno Domini D C.

MAximus Cæsarauguſtanæ vrbis Episcopus, in diuinis Scripturis doctus, & in sæcularibus non mediocriter eruditus, ingenio promptus, & nitidus eloquio, carmine excellens & prosa: edidit vtroque stylo satis præclara volumina, quæ ad noticiam lectionis nostræ adhuc minimè venerunt. Fertur autem eius insigne volumen & opus amœnum:

De gestis Gothorum in Hispaniis: *li. 1.*

Claruit temporibus Phocæ Imperatoris. Anno Dom. D C X.

ISidorus iunior: Episcopus Hispalensis post Leandrum, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus litteris nulli suo tēpore secundus: ingenio subtilis: sensu clarus: eloquio compositus: carmine excellens & prosa: non minus sanctitate quam doctrina insignis effulsit. Hic dicitur Iunior ad differentiam Senioris Episcopi Cordubensis, cuius supra fecimus mentionem: vel alterius etiam, qui cum præcessit, Hispalensis Episcopi. Scripsit autem iste Isidorus Iunior multa præclara opuscula, de quibus ego dumtaxat reperi subiecta. *Ad Braulionem Episcopum:*

Etymologiarum: *li. 20. incipit:*
Disciplina à discendo.
In Genesim allegoria: *li. 1.*
Historia sacræ legis.
In Exodum: *li. 1.*
Quædam mysteria.
In Numeros: *li. 1.*
In Leuiticum: *li. 1.*
Sequens Leuiticus li.
In Deuteronomium: *li. 1.*
Liber Deuteronomij.
In Iosue: *li. 1.*
Post mortem Moysi.
In iudicum: *li. 1.*
Historia iudicum.

In Regum:	*li.4.*	
Post librum iudicum sequitur.		
In Ruth.	*li.1.*	
In Paralipomenon:	*li.2.*	
In Esdram & Neemiam:	*li.3.*	
In Tobiam:	*lib.1.*	
In Iudith:	*li.1.*	
In Hester:	*li.1*	
In Iob:	*li.1.*	
In Psalterium:	*li.1.*	
In prouerbia Salomonis:	*li.1.*	
In ecclesiasten:	*li.1.*	
In cantica canticorum:	*li.1.*	
In librum sapientiæ:	*li.1.*	
In ecclesiasticum:	*li.1.*	
In Esaiam prophetam.	*li.1.*	
In Hieremiam:	*li.1.*	
In Ezechielem:	*li.1.*	
In Danielem prophetam:	*li.1.*	
In duodecim prophetas minores:	*li.12.*	
In Machabeorum:	*li.2.*	
In quattuor euangelia:	*li.4.*	*Liber generationis &c.*
In epistolas Pauli:	*li.14.*	
In Epistolas canonicas:	*li.7.*	
In actus Apostolorum:	*li.1.*	
In Apocalypsin:	*li.1.*	
Interpretationis nou.& vet.test.	*li.2.*	*Domino meo & Dei seruo &c.*
Proemiorum:	*li.1.*	*Quinque libri Moysi.*
Differentiarum:	*li.1.*	*Inter Deum & Dominum.*
De ortu, & obitu sanctorum:	*li.1.*	*Adam Protoplastus, &c.*
Ad sororem contra Iudæos:	*li.2.*	*Dominæ sanctæ: Florent.*
Synonimorum vel soliloquiorum:	*li.2.*	*Venit nuper ad manus:*
De illustribus viris:	*li.1.*	*Osius cordubensis ciui.*
De summo bono sententiarum:	*li.3.*	*Summum bonum Deus est.*
De origine officiorum:	*li.2.*	*Ea quæ de officiis di.*
De sancta Trinitate:	*li.1.*	
De corpore & sanguine Domini.	*li.1.*	
De officio missæ:	*li.1.*	

Decre-

Decretum canonum:	*li.1.*	
De computo & natura rerum:	*li.1.*	
De proprietate rerum:	*li.1.*	
Sermonum:	*li.1.*	
Ecclesiasticorum dogmatum:	*li.1.*	
Lamentum pœnitentis:	*li.1.*	
De astronomia:	*li.1.*	*Domino & filio charissi.*
Historiam seu chronicam:	*li.3.*	
De cosmographia:	*li.1.*	
De grammatica & vocabulis:	*li.1.*	
Allegoriarum quoque:	*li.1.*	*Mysteria sacræ scrip.*
De hæresibus:	*li.1.*	
Epistolarum ad diuersos:	*li.1.*	

Alia quoque multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non uenerunt. Claruit sub Heracleonate Imperatore, filio Heraclii Anno Domini DCXXX. temporibus Sisebuti regis Gothorum in Hispania, & ob sanctissimam vitam & conuersationem suam Catalogo Sanctorum insertus est: cuius festum celebratur XVIII. Calend. Februarii.

VERVS Episcopus Hispalensis prouinciæ Beticæ vbi Isidorus olim Præsulatum gerebat, vir in diuinis Scripturis eruditus, & secularium litteratum non ignarus, ingenio acutus sermone luculentus: non minus vita, quam eruditione spectabilis. Scripsit ad ædificationem fidelium, & præcipue Arausicæ Galliarum Ecclesiæ virtutibus & miraculis claram.

Vitam Eutropii Episcopi: *li.1.*

Et quædam alia:

Claruisse dicitur temporibus Pippini Imperator. Anno. DCCLX.

REGIMVNDVS* Episcopus Illiberitanę Hispaniar. Ecclesię ad quem misit Luitprandus Ticinensis Ecclesiæ Diaconus librum quem *Antapodosin* inscripsit, id est, *Retributionē*, de tyrānide Berēgarii Regis Italiæ, cuius quondam Scriba & Secretarius, ab eo in exilium actus, in Germania apud Francofurtum vixit. Aliquando carmine in eo opere ludit, aliquando Græco sermone vsus est: multa de Germanorum gestis interserens. Hæc Trittenhemius in Extraneo.

Luitprādus hic est in melioribus libris antiquis teste Petro Suffrido Notis ad Sigebertum cap. 127. exstatq; typis editus Basil. an. 1532.

ANTONIVS, dictus de Padua, natione autem Hispanus, ex Vlixbona ciuitate oriundus, ordinis Minorum & beatus: quippe qui ante ingressum ordinis Theologiam Tholosæ, Bononiæ, &

Patauii multo tempore glorioſe docuit: & diſcipulos poſt ſe inſignes reliquit. tantæ ſanctitatis extitit, vt multis & viuis & mortuis coruſcarit miraculis. Fuit autem excellentiſſimus prædicator: adeo vt ſummus eum Pontifex *Arcam teſtamenti* conſueuerit appellare. Et *Sanctus Franciſcus* eum ſuum Epiſcopum vocare ſolebat. Scripſit inter cætera ingenii ſui opuſcula valde elegantes & ardentiſſimos.

Sermones de tempore: *li.2.* *Erunt ſigna.&*
Sermones quoq; de ſanctis: *li.1.*

Claruit temporibus Frederici Imperatoris ſecundi. Anno Domini. M. CCXXX. Et propter miraculorum frequentium poſt mortem à Gregorio Papa IX. vna cum Sanctis Dominico, & Elizabet Lantgrauia Thuringorum, Catalogo Sanctorum ſtatim inſertus eſt.

RAimundus de Penna forti, natione Cathalanus, ſiue Prouincialis, ordinis Prædicatorum tertius Magiſter generalis: vir in diuinis Scripturis eruditus, & ſæcularium literarum non ignarus, ingenio promptus: & iuris canonici notitia inſignis: nomen ſuum varia ſcribendo immortale reddidit, & ſibi Eccleſiam ſuis opuſculis perpetue (vt ita dixerim) debitricem obligauit. Nam iuſſu Gregorii Papæ IX. compottauit.

Decretales iuris: *li. 5.* *Rex pacificus primi.*
Summa de caſibus: *li. 3.* Qm. vt ait Hierony.
Conſtitutiones ordinis ſui: *li.1.*

Et quædam alia.

Claruit ſub Frederico Secundo Imperatore. Anno Domini. M. CCXXX.

BErnardus presbyter Compoſtellanus, Innocentii Papæ IIII. familiaris & Capellanus: vir in iure doctiſſimus: eiuſdem Pontificis ſtudio prouocatus: conſcripſit in iure quædam præclara opuſcula, quæ in magna autoritate his temporibus apud Iuriſtas habentur. de quibus ego pauca potui inuenire: ſcilicet, *Apparatum inſignem*

Super decretalibus: *li. 5.* *In huius libri principio*
Caſus decretalium: *li. 5.*

De ceteris nihil vidi.

Claruit ſub Frederico Imperatore ſecundo. Anno Domini. M. CCL.

HVgo Barcinonenſis, Ordinis Prædicatorum ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ tituli ſanctæ Sabinæ presbyter Cardinalis vir in diuinis

diuinis ſcripturis eruditiſſimus: qui ante ordinis ingreſſum ſacræ Theologiæ magiſter fuerat: multosque inſignes diſcipulos habuit. Scripſit plura egregia opuſcula, quibus nomen ſuum immoralitati conſecrauit. Nec minus conuerſatione & religione, quam ſcientia clarus emicans. idem manſit in dignitate qua antea fuit: de cuius libris iſti feruntur:

In Geneſim: *li.1.*
In Exodum: *li.1.*
In Leuiticum: *li.1.*
In Numeros: *li.1.*
In Deuteronomium: *li.1.*
In Ioſue: *li.1.*
In Iudicum: *li.1.*
In librum Ruth: *li.1.*
In Regum: *li.4.*
In Paralipomenon: *li.2.*
In Esdram & Neemiam: *li.3:*
In Tobiam: *li.1.*
In Iudith: *li.1.*
In Heſter: *li.1.*
In librum Iob: *li.1.*
In Pſalterium: *li.1.*
In Prouerbia: *li.1.*
In Eccleſiaſtem: *li.1.*
In Cantica Canticorum: *li.1.*
In librum Sapientiæ: *li.1.*
In Eccleſiaſticum: *li.1.*
In Eſaiam prophetam: *li.1.*
In Hieremiam: *li.3.*
In Ezechielem: *li.1.*
In Danielem: *li.1.*
In XII. prophetas minores: *li.12.*
In libros Machabeorum: *li.2.*
In Euangelium Matthæi: *li.1.*
In Euangelium Marci: *li.1.*
In Euangelium Lucæ: *li.1.*
In Euangelium Ioannis: *lib.1.*
In epiſtola Apoſtoli Pauli: *li.14.*

In actus Apostolorum: *li.1.*
In Epistolas canonicas: *li.7.*
In Apocalypsin Ioannis: *li.1.*
Summa de casibus: *li.1.*

Alia insuper nonnulla composuit: quę ad notitiam meam non venerunt: Claruit sub Frederico Imperatore secundo. Anno Domini. M. CCXL.

ALphonsus rex Castellæ & Legionis, Philosophus & astronomus inter omnes sui temporis excellentissimus; ingenio subtilis & clarus eloquio, litterarum amator & cultor insignis, cum post longam imperii Romani vocationem contra Richardum fratrem regis Angliæ in Romanorum Regem fuisset electus, & esset vir bonus & prudens, mortuo Richardo anno electionis suæ quinto decimo intuitu pacis coram Gregorio Papa decimo voluntariè cessit, & omni iuri suo, quod in electione sua habuerat, sponte renunciauit. Scripsit valde vtiles & elegantes

In Astronomia tabulas: *li.1.*
Epistolarum ad diuersos: *li.1.*

Claruit tempore imperii vacantis. Anno Domini M.CCLXX.

PEtrus Hispanus Portugalensis, Episcopus Tusculanus & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis: ac post remo summus Pontifex post Hadrianum quintum, vir in medicinis valde eruditus & in sæculari philosophia magnifice doctus, sedit in pontificatu mensibus tantum. 8. Scripsit medicis non contemnenda opuscula, de quibus feruntur subiecta

Thesaurus Pauperum: *li.1.*
De Problematibus: *li.1.*
Canones medicinæ: *li.1.*
Epistolarum ad diuersos: *li.1.*

Et quædam alia.

Claruit in Pontificatu sub nomine Ioannis vicesimi primi temporibus Rodulphi imperatoris, Anno Domini M.CCLXXV.

GArsias natione Hispanus, vir in vtroque iure exercitatissimus, ingenio subtilis, concilio prōptus & cautus: & in soluendis quæstionibus causarū acutus, apud huius facultatis professores suo tempore in precio habitus, docendo & scribendo nomen suum dilatauit. Fertur enim tam legibus quam in canonico iure plura conscripsisse opuscula, quæ ad manus nostras non venerunt. Extant eius

Super

Super decretalibus: *li.5.*

Et in legibus plura.

Claruit temporibus Rodulphi imperatoris. Anno Do. M.CCXC.

GVido Perpinianus, patria Cathalanus: ordinis fratrum Beatæ mariæ semper virginis de monte Carmeli, duodecimus Prior generalis, ac deinde Maioricensis Elnensisque Ecclesiarum Episcopus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & sæcularium litterarum non ignarus, ingenio præstans & dulcis eloquio, disputator acutus, & non minus conuersatione, quam scientia insignis. Scripsit multa præclara opuscula, quibus nomen suum posteritati commendauit. E quibus subiecta ferunt: *Opus tripartitum, elimatum, & insigne.*

De perfectione vitæ catholicæ:
Ad Ioannem Papam XXII. *li.1.*
Super sententias: *li.4.*
Quodlibeta sex: *li.1.* *In prima nostra, &c.*
Quæstiones ordinariæ: *li.1.* *Vtrum verbum in diui.*
De concordia euangelistarum: *li.1.*
Correctorium decreti: *li.3.*
Ad Cardinalem Albanen.
De hæresibus quod opus exstat. *li.1.*
In libros physicorum: *li.7.*
Quæstiones de anima: *lib.1.*

Alia quoq; multa cōposuit, quæ ad notitiam meam nō venerunt.

Claruit temporibus Ludouici imperatoris quarti, & Ioannis Papæ vicesimi secundi, Anno Domini M.CCC. atque XXX.

PEtrus de Parpiniano, dictus Primi, natione Cathalanus ordinis fratrum Beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli, vir in scripturis sanctis eruditissimus, & philosophiæ Scholasticæ subtilis explanator, ingenio promptus & declamator egregius. Edidit multa non contemnendæ lectionis opuscula, quibus vberem ingenii sui venam exercitans, nomen suum etiam posteritati notum fecit. E quibus sequuntur

Quæstiones sententiarum: *li.1.*
In totum psalterio: *li.1.*
Sermones varii: *li.1.*

Et quasdam epistolas.

Claruit Ludouici imperatoris quarti, & Ioannis Papæ vicesimi secundi temporibus, Anno Domini M.CCC. atque XX.

ALuarus Pelageus ordinis fratrum Minorum, natione Hispanus, Ioannis Scoti auditor, vir in diuinis scripturis eruditissimus, apud Ioannem. XXII. in precio habitus. Contra Gulielmum Ockam Anglum scriptis egit & verbis. Edidit ingenii sui præclara quædam volumina, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis transmisit. E quibus exstat opus magnum & insigne, defectus ecclesiasticarum personarum describens, quod prænotauit.

De planctu Ecclesiæ: *li. 1.*
Speculum quoque Regum: *li. 1. In nomine domini nostri.*
Super sententias: *li. 4.*
Apologiam: *li. 1.*

Et quædam alia.

Claruit eodem tempore quo & Ockam sub Ludouico Imperatore IIII. & Ioanne Papa XXII. Anno domini. M.CCCXX.

IOannes Balistarius, patria Cathalanus, ordinis Beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli, decimus & septimus prior Generalis, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, qui ordinem suum opere & sermone annis sedecim strenue gubernauit. Ingenii sui præclara monimenta composuit, è quibus feruntur.

Super sententias: *li. 4.*
De bello militantis ecclesiæ: *li. 1.*
Sermones varii: *li. 1.*

Et quædam alia.

Opus insigne præfatum *de bello fortis militantis Ecclesiæ & Antechristi ipsam impugnantis*, Gregorio Papæ vndecimo dicatum transmisit. Moritur temporibus Caroli Imperatoris IIII. & Gregorii Papæ XI. Anno Domini. M.CCCLXXIII. Indictione XII. in conuentu suo Maioricarum.

PHilippus Riboti, natione Cathalanus, ordinis fratrum Beatæ Mariæ virginis de mõte Carmeli: & Prior prouincialis Cathalaniæ, vir in scripturis sanctis studiosus & eruditus, & sæcularium litterarum non ignarus, vita & conuersatione quoq; venerabilis, ordinisque Carmelitani amator & custos egregius. Scripsit pro ædificatione fratrum suorum non contemnenda opuscula, quibus zeli spiritalis feruorem erga religionem suam ostendens, etiam posteris nominis sui memoriam commendauit. E quibus extat volumen non abiiciendum de ordinis sui prima institutione, dilatatione & confirmatione, quod prænotauit *de gestis:*

Carme-

Carmelitarum peculiaribus: *li. 10.* *Cum populum Israelitici.*
De illustribus Viris Car. *li. 1.*
Sermones & epistolæ.

Alia insuper plura composuit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

IAcobus, qui dicitur *magnus*, patria Toletanus, ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini, vir in diuinis Scripturis eruditus, & philosophiæ naturalis cognitione insignis, ac veterum lectione copiosus. Fertur in diuinis libris varios tractatus & commentarios edidisse, qui ad manus nostras necdum venerunt. Reperi volumen eius vnum egregium, & insigne de sermone, & inquisitione sapientiæ prænotatum.

Sophologium. *li. 3.*

De aliis nihil vidi.

Claruit temporibus Wenceslai Imperatoris, & Bonifacii Papæ IX. Anno Domini nostri Iesu Christi. M.CCCC.

FRanciscus de Bathone, patria Cathalanus, ordinis fratrum Beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli: conuentus Gerundensis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & in philosophia sæculari nobiliter doctus, tantum docendo & disputando in Parisiensi vniuersitate valuit, vt doctor sublimis cognominatus sit. Scripsit inter alia ingenii sui monimenta opus magnum & insigne ex scriptis Sanctorum Patrum declamatoribus sermonum ad populum satis vtile, quod prænotare possumus.

Repertorium prædicantium: *li. 1.*
Super sententias quoq;: *li. 4.*

Fertur præterea & quædam alia scripsisse, sed ad manus nostras non venerunt.

IOannes de Palomar Barcinonensis Ecclesiæ archidiaconus, doctor decretorum insignis, & tam in diuinis Scripturis quam in sæcularibus litteris nobiliter doctus, ingenio subtilis, sermone scholasticus, vita & conuersatione præclarus. Edidit non spernendæ lectionis opuscula, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis transmisit. E quibus extat tractatus insignis ad Ioannem Abbatem monasterii Scotorum ordinis Diui Benedicti Wienensis.

De Abstinentia carminum: *li. 1.* *Surgent in iudicio filii.*
Sermones & quæstiones.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cætera quæ compoſuit ad notitiam noſtræ lectionis minimè venerunt.

Claruit in gymnaſio Wienenſi in Auſtria, & multa compoſuit temporibus Sigiſmundi imperatoris. Anno Dom. M. CCCCXX.

S. *Vincentius Ferrarius* de Valentia, ordinis fratrum prædicatorum, ad quem Ioannis de Gerſon nonnullæ extant epiſtolæ, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & ſæcularis literaturæ non ignarus: ingenio ſubtilis & clarus eloquio, moribus & conuerſatione deuotus, & declamator ſermonum ſuo tempore omnium celeberrimus, miraculis viuus & mortuus coruſcans. Scripſit elegantes

Sermones de tempore: *lib.1.* *Benedictus qui venit, &c.*
Sermones de ſanctis: *lib.1.* *Diues eſt in omnes, &c.*
Sermones per quadrageſimam: *lib.1.*

Epiſtolas quaſdam.

Claruit perſonaliter in Concilio Conſtantienſi, Anno Domini. M. CCCCXVIII. Mortuus vero propter crebra miracula, per Caliſxtum Papam III. canonizatus eſt. Anno Domini. M. CCCCLV. Indictione 3. cuius feſtum nonas Aprilis.

B *Onifacius Ferrarius* de Valentia, natione Cathalanus, ordinis Carthuſienſis Prior XXV. Beati *Vincentii* Prædicatoris, ſupra dicti frater, vir in diuinis Scripturis eruditus, & iuris canonici doctor egregius: vita & conuerſatione à Sancto fratre non degenerans. Carthuſiam maiorem verbo & exemplo ſtrenue gubernauit. Scripſit inter cætera notabilem tractatum: *cur in ordine Carthuſienſi pauci canonizati ſint, & miracula publicè non faciant.*

Ad Bonifacium eiuſdem ordinis: *lib.1.*
De Approbatione ordinis: *lib.1.*

Epiſtolas quaſdam.

Et alia multa.

Claruit temporibus Sigiſmundi imperatoris, & Martini Papæ V. Anno Domini. M. CCCCXX.

L *Vpus de Oliueto*, natione Hiſpanus, ordinis Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi: Prior generalis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, ordiniſque ſui inſtaurator egregius. Scripſit nonnulla præclara opuſcula, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis tranſmiſit. E quibus ferunt, ex dictis Sancti Hieronymi.

Regula

Regula ordinis ſui: *lib.1.* *Fratres chariſſimi.*
Sermones de tempore: *lib.1.*
Sermones de Sanctis: *lib.1.*

Et quædam alia.

Hanc regulam compilatam in 32. capitulis Martinus V. confirmauit.

Claruit tempore Concilii Conſtantienſis, Anno Domini. M. CCCCXX.

P *aulus de Sancta Maria*, genere Iudæus, fide Chriſtianus, primo Epiſcopus Carthaginenſis, ac poſtea Burgenſis in Hiſpania antiſtes: Archicancellarius Regis Caſtellæ & Legionis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſiſſimus & valde eruditus, & magiſter ſacræ Theologiæ, in virili ætate ſua conuerſus ad fidem Catholicam vita & doctrina in tãtum profecit, vt inter omnes Hiſpaniæ doctores ſimilem ſuo tempore habuerit neminem. Scripſit ad filium ſuum *Alphonſum* decanum compoſtellanum legum doctorem in Poſtillas Nicolai de Lyra.

Additiones notabiles: *lib.1.* *Quid tibi vis vt viuens.*
Scrutinium Scripturarum: *lib.2.* *Scrutamini Scripturas.*

R *aymundus Sebeyde*, natione Hiſpanus, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſæcularibus litteris egregiè doctus, artium & medicinæ doctor inſignis: qui docendo & ſcribendo in gymnaſio Tholoſano magnum eruditionis ſuæ experimentum dedit. Fertur multa præclara ſcripſiſſe opuſcula, de quibus ego vidi tantum volumen grande, quod in præfata vniuerſitate publicè legerat, in cuius principio & multa & glorioſa promittit, de quorum veritate nonnulli ſibi applaudunt, tanquam experti, quod prænotauit.

Creaturarum ſiue de homine: *li.1.* *Ad laudem & gloriam.*
Quæſtiones diſputatas: *li.1.*

Cætera me latent.

Claruit temporibus Sigiſmundi imp. Et Eugenii Papæ IV. anno Domini. M. CCCCXXX.

IOANNES CONSOBRINVS, Portugalensis natione, ordinis fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & sæcularis literaturæ, ac iuris canonici non ignarus, ingenio excellens, in declamandis sermonibus ad populum celebertimæ opinionis: contra inimicos fidei, primum in Anglia, ac deinde in Portugalia magnos & efficaces latratus dedit. Hæreses & errores quam plurimos disputando, prædicando, scribendoque reprobauit, & confutauit. Scripsit ad instantiam præpositi regalis Collegii Diuæ Mariæ de Amhten in Anglia insigne opus tripartitũ, *de contractibus & commutationibus*: quod prænotauit.

De iustitia commutatiua: *lib. 4.*
Sermones varios: *lib. 1.*
Et quædam alia.
Conflatum Franciſci Mayronis grato compendio breuiauit:
Claruit anno Dom. M. CCCCLXXV. Et sub Sixto Pont. IV. Olisipone pro fide intoxicatus moritur.
Hactenus ex Trithemio.

II. CLASSIS

II. CLASSIS DOMINICANÆ FAMILIÆ.

Ex Ant. Senensis Lusitani Bibliotheca, & Ioan. Mariettæ Cantabri Eccles. Hisp. Historia.

SERIES DOMINICANORVM.

IOANNES Turrecremata Card.
Bartho. Carranza Archie. Tolet.
Balthasar Sorius.
Bartholomæus Martyrum.
Bartholomæus Medina.
Bartholomæus Casa.
Didacus Deza.
Didacus Astudillus.
Franciscus Victoria.
Franciscus Forcius Lusitan.
Hieronymus Oleaster.
Dominicus Soto Segubiensis.
Petrus Soto.
Thomas Maluenda.
Didanus Alnariz.
Melchior Canus.
Dominicus Bannes.
Ludouicus Granatensis.
Moses Iudæus.
Matthæus Ortigius.
Matthias Ratius.
Melchior Puteanus.
Paulus Legionensis.
Vincentius Iustinianus.
Franciscus Cordubensis.
Paulus Burgensis.
Nicolaus Eimericus.
Barthol. Ledesma, & Martinus Ledesma.
Franciſc. Garsias.
Hieronymus Pereira.
Ferdinandus Castella.
Hieronymus Almanazar.
Alfonsus Ciacconius.
Ioannes Mærietta.
Ioan. Gallus.
Ioannes Viguerius.
Ioannes Crucius.
Ioannes Pedrasa.
Petrus Garsias.
Antonius Penna.
Antonius Fonseca.
Antonius Dominicus.
Petrus Iuroscus.
Ioannes Segobiensis.
Petrus Martyr.
Sanchius à Porta.
Thomas Mercatus.
Thomas Valentinus.
Alphonsus Carillus Archiepisc. Toletan.
Thomas de Truxillo.
Thomas à Csanes.
Thomas Maluela.
Didacus Aluarez.
Petrus Coranubias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOAN. TVRRECREMATA.

DOctrina par & pietate ac forte etiã superior Io. Turrecremata exstitit ordinis S. Dominici Castella oriundus, qui in iure Pontificio summus à cunctis tunc prædicabatur. Is sacri Palatii primum Magister, post vero Cardinalis tit. S. Sixti ab Eugenio Pont. creatus, Romæ degens, vita decessit ad annum CHRISTI. CIↃ. CCCC. LXIIX. conditus honesto tumulo ad B. Virginem supra Mineruam, templo Cœnobioque Dominicanorum. Ingenii autem monumenta, quibus immortale suum reddidit nomen, ex Trithemio recensebo.

In Gratiani Decretum Iuris Pontificii volum. quatuor.
Summa Ecclesiæ vtilissima libris sex.
De Pœnitentia.
De Concilio Florentiæ sub Eugenio habito.
De Consecratione.
De Conciliis.
De conceptione Domini libri tres.
De corpore CHRISTI *contra Bohemorum errores.*
De aqua lustrali.
De auctoritate Rom. Ecclesiæ.
Meditationes in vitam CHRISTI.
Contra Ismaelitas.
De animæ salute.
In Regulam S. Benedicti.
In totius anni Euangelia Quæstiones.
Sermones de tempore & Sanctis.
De vnitate Græcorum.

BARTHOLOMÆVS CARRANZA MIrandensis

Concilio Tridentino Theologus interfuit, Theologiam annos aliquot publicè Dominicanorum in familiis professus, atque Hispaniæ Prouincialis inter suos renunciatus, scripsitque Tridenti de necessaria *Episc. Pastorum residentia personali.* Post etiã Cõciliorum concionẽ ad Patres Cõcilii Trident. prima Dominica 40. habitam, post etiam *Conciliorum* omnium Compendium reliquit. Hispanicè item *Cathechismum* ingenti volumine in Belgio excudendũ curauit.

Regem

Regem Catholicum Philippum 2. in Britanniam ad nuptias Mariæ Reginæ profectum secutus, à confessionibus huic præficitur: quæ Regina inscio & inuito Monacho Toleti Præsulatum impetrauit. Moritur Romæ omni iam æmulorum inuidia liber ac purus in Dominicanoram supra Mineruam domicilio, postridie Cal. Maias, anno CHRISTI CIↃ. IↃ. LXXVI. ausi Gregorius quoque XIII. Pontifex, qui eiusdem Iudex sedit, hoc eius sepulcrum elogio exornandum curauit, ad veritatis fidem, posteritatisque memoriam sepiternam, spectaturque Romæ in æde B. virginis supra Mineruam.

Bartholomæo Carranzæ Nauarro Dominicano.
Archiepiscopo Toletano, Hispaniarum primati;
viro genere, vita, doctrina, concione
atque eleemosynis claro.
Magnis muneribus à Carolo V.
& Philippo Rege Catholico sibi commissis
egregie functo.
Animo in prosperis modesto, in aduersis æquo.
Obiit anno CIↃ. IↃ. LXXVI. *die secundo Maii.*
Athanasio, & Antonino Sacro; ætatis suæ LXXII.

BALTHASAR SORIVS.

INclaruit & Balthasar Sorius inter sodales S. Dominici prouinciæ Aragoniæ præfectus, anno orbis redempti CIↃ. IↃ. XLVI. scripsitque non pauca. Inter ea autem hæc mihi videre contigit.

Sermones de B. Virgine anno 1538. Dertusæ.
In Psalmum XLIV. *Eructauit cor meum homiliæ decem ad Ducem Calabriæ.*
Sermones de sanctis ac de Tempore.
De septem blasphemiis super B. virgine & Ioseph. ad Episc. Ilerdensem.

De vnica Magdalena hic Cæsaraugustę 1521. Ille valentię 1511. exiit, idque contra Iac. Fabri Stapulensis sententiam, quæ Magdalenas plures astruebat. Scripsit eadem tempestate pro *vna Magdalena non duabus.* Iudocus Clichthoueus Neoportuensis Belga Theologus Parisiensis, anno 1518. Item Marcus de grandi valle S. Augustini Canonicus ad S. Victorem typis Badii 1518. Scripsit & idem Balthasar Sorius de viris illustribus S. Dominici prouinciæ Aragonensium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BARTHOLOMÆVS MARTYRVM.

TRidentino etiam Concilio Bartholomæus Martyrum Lusitanus interfuit, ordinis S. Dominici, & Archiepiscopus Bracarensis, qui ob singularem coniunctam cum pietate doctrinam Regis Lusitaniæ studiis magister præficitur. Archiepiscopatum gessit quo se sponte postea abdicauit, & Vianam secessit, vbi Collegium Dominicanis excitarat: alterum item Bracaræ Societatis IESV sacerdotibus. Illius hæc sunt ingenii monumenta:

Stimulus pastorum Latine, de officio Episcopi & Sacerdotis.
Catechismus Lusitanice conscriptus.
Moliebatur & in Psalmos aliquot Dauidis & Vitæ spiritalis compendium Romæ iam editum.

Obiit vitæ bene transactæ gloria clarus, anno Christi CIↃ. IↃ. XC.

BARTHOLOMÆVS MEDINA.

BArtholomæus Medina Dominicanus, Medinæ, quod *à sicco riuo* cognominatur, oppido natus, omnibus disciplinis imbutus, in Theologia Scholastica, ac doctrina S. Thomæ primas tunc tenebat. Is Academiæ Salmanticæ primum Durandi, post S. Thomæ primarius est Professor declaratus. Tametsi vero firmis esset lateribus validoque corpore, assiduis tamen laboribus vigiliisque fractus facile succubuit. *Primam Secundæ partis Summæ* D. Thomæ, tertiam item *partem* commentario *per Quæstiones* illustrauit. *Casuum item Conscientiæ Compendium*, sed Hispanice, conscripsit, typis sæpius variisque linguis euulgatum. Decessit Salmanticæ ad S. Stephani, (vbi Prædicatorum ordini primus adscriptus) ad annum Christi CIↃ. IↃIXXXI. ad Calendas Februarii.

BARTHOLOMÆVS CASA.

FVit & Bartholomæus Casa Hispalensis, Episcopus Cliapæ Indiæ Occidentalis, ordinis S. Dominici, qui non minus Legum & Canonum peritia, quam Theologia excelluit, vt è libris, Indorum gratia conscriptis, satis liquet: quamque fuerit in Sanctorum Patrum scriptis diu multumque versatus, aliorum esto iudicium. Floruit

ruit anno Christi CIↃ. IↃ. LX. Disputabat Valisoleti cum Io. Genesio Sepulueda, anno 1550. super Hispanorum in Indias iure & officio.

DIDACVS DEZA.

DIdacus Deza primum in cœnobio S. Ildephonsi in Tauris, Dominicanorum fuit ordini adscriptus. Æqualibus suis tam Philosophia, quam Theologia longe antecelluit; quam & Salmanticæ de superiore loco est professus. Inde euocatum Catholici Reges Ferdinandus, & Isabella præceptorem Ioannis Principis regnorum heredis studiis præficiunt. Mox ad Zamorensem Episcopatum traductus, hinc ad Salmanticensem, dein ad Palentinum: rursum ad Hispalensem in Bætica Archiepiscopatum euectus: vbi Collegium B. Thomæ Sodalibus suis exstruendum curauit. Fuit & eidem Catholico Regi à confessionibus, atque à sacris primarius. Cum vero quæsitoris munere liberari Thomas Turrecremata ob decrepitam senectutem postulasset, eius in locum suffectus Didacus est. Hispali Episcopatum cum gessisset, eorundem munificentia regum designatus Toletanus Archiepiscopus, qui & Hispaniæ primas obtinet, atque opimus est: eo dum proficiscitur, in itinere exstinguitur anno eius sæculi decimo quinto. Hæc inter negotia, quæ 1511. tractauit publica, studiis adeo deditum quis credat? Scripsit enim plurima.

Doctrinæ B. Thomæ defensionem contra Lyranum, Paulum Burgensem & Matthiam Saxonem Hispali. an. 1491.
In quattuor Euangelistas, Monotessaron inscriptum.
Homilias in anni totius festos, ac Dominicos dies.
In quattuor Magistri sententiarum libros, tomos totidem.
In Orationem Dominicam. li. 1.

DIDACVS ASTVDILLVS.

MAximo in pretio ab æqualibus, in his Franc. Victoria, habitus est Didacus Astudillus, ordinis Prædicatorum, floruitque anno CIↃ. IↃXXV. Scripsit nonnulla, quæ hodieque in Bibliotheca Valisoletana, Collegii S. Gregorii adhuc inedita asseruantur:

In octo libros Aristotelis de Physica auscultatione, & in duos eiusdem libros de ortu & interitu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In Euangelium Matthæi Scholæ.
In B. Pauli Epistolas ad Romanos & Hebræos.
Regulas intelligendi S. Scripturam.

FRANCISCVS VICTORIA.

NOn immerito Victoria Cantabriæ oppidum (quæ eadem Ioan. Mariettæ Historico sacro patria est) se iactet, quod tale tantumque ingenium Franciscum protulerit, vnde & cognomentum tulit, omenq; nomine dedit, qui iure optimo Hispaniæ decus ac columen dici queat. Lutetiæ enim Parisiorum hausta primum Scholastica Theologia, laureaq; meritò parta, primus eam in Hispaniam, veluti margaritam attulit, & Salmanticæ princeps est cathedrarius inter sodales renunciatus: cuius & scriptis præclaris, ac familiæ eiusdem successoribus viget etiamnum hodie, primasque tenet in ea Academia Theologiæ studium: quo etiam exteri, ceteraque adeo orbis gymnasia, plurimum se iuuari ingenue profitentur. Huius è ludo tanquam ex equo Troiano heroes aliquot doctrina clari prodierunt: quorum nonnulli etiam successerunt, Dominicus Sotus, & Melchior Canus. Laudaturque (quia laudabile est laudari à laudato viro) à Martino Doctore Nauarro in Enchiridio Confessariorum, cap. 1. de Contritione num. 38. & cap. 16. num. 19. Canus quoque discipulus de locis Theologicis lib. 12. Obiit anno Christi CIↃ. IↃ. XLVI. pridie Idus Augusti. Eius hæc feruntur, sed posthuma, ingenii monumenta typis euulgata Lugduni:

Relectiones de potestate Ecclesiæ.
De ciuili potestate.
De potestate Pontificis & Concilii.
De Indis, & iure belli.
De matrimonio.
De augmento caritatis.
De Temperantia.
De homicidio.
De eo ad quod tenetur perueniens ad vsum rationis.
De arte Magica, & Simonia.
De Silentii obligatione.
Prodiit & septem Sacramentorum Summa.

Reliqua eius inedita à Sodalibus excepta leguntur.

FRANC.

FRANC. FORERIVS.

LItterarum peritia ac linguarum inclaruit Conimbricensi in Academia apud Lusitanos *Franciscus Forerius:* vbi gymnasium Ioannis III. beneficentia excitatum Galli aliquot doctores, in his Nic. Gruchius, ductu Andreæ Goueani disciplinis illustrarant. Familiæ is adscriptus Prædicatorum, Concilio Tridenti tum indicto non interfuit modo, sed & à secretis electus, Patrum iussu *Liturgica canonicarum horarum breuiaria* (à Pio V. post approbata) damnatæ lectionis auctorum catalogum, deniq; *Cathechismum* concinnauit vna cum eiusdē ordinis Episc. Leonardo Marino Laucianēsi, & Ægidio Fuscario Mutinensi. Vidimus eius erudita *in Esaiam ad Hebraicam veritatem Commentaria Venetiis excusa.* Scripsisse & plura in S. Scripturam fertur, mihi nondum visa.

In duodecim Prophetas Minores.
In Iob.
Psalmos Dauidis.
Prouerbia Salomonis.
Ecclesiasten.
Cantica Canticorum.
Sapientiam.
Ecclesiasticum.
Item in Ezechielem.
Hieremiam, &
Danielem.

Vita decessit anno humanæ salutis CIↃ. IↃ. LXXX.

HIERONYMVS OLEASTER.

ORdinis & ipse S. Dominici doctoris laurea insignitus, in Lusitania natus, quo etiam in regno violatæ Quæsitor fidei exstitit. Obiit anno Christi CIↃ. IↃ. LXIII. *Pentateuchum Moysis* Commentariis illustrauit, linguæ sanctę in paucis peritus. Fertur & hic scripsisse *in Esaiam, Hieremiam, duodecim Prophetas Minores. Deniq; contra tempestatis huius Sectarios.*

DOMINICVS SOTO SEGOBIENSIS.

IS iuuenis etiamnum litteris egregiam operam Lutetiæ Parisiorum nauauit: ibique edoctus Hispaniam repetens, Burgensi in Cœnobio, Prædicatorum familiæ aggregatur. Hinc Salmanticæ pomeridianis primum Scholis, post antemeridianis doctor annos 16. præfuit. Quo profitendi munere cohonestatus, Concilio inde Tridentino sacris legibus ferendis adfuit, vbi auctoritatem nominisque splendorem sibi suisque parauit. Hinc Cæsari Carolo à confessionibus, patriæ quoque Episcopatum repudiauit, reuertitque ad docendi munus Salmanticam: quam principem cathedram quattuor annos tenuit. Migrauit è vita Salmanticam reuersus, anno Christi CIↃ. IↃ. LX. 17. Cal. Decemb. egregiis ingenii hisce monumentis relictis:

Dialecticæ lib. quinq; quas Summulas ibi nominant, easq; in compendium mox libris totidem redegit.

In Porphyrium & Organum Aristotelis, & in eiusdem Physicæ auscultationis octo, cum quæstionibus.

Theologica vero hæc grandior dedit:

In librum quartum Magistri Sententiarum Tom. II.

De Iustitia & Iure lib. 10.

De natura & gratia item de iustificatione in Concilio Tridentino lib. 3.

De tegendis secretis.

De pauperum caussa.

Apologiam contra Ambrosium Catarinum Senensem.

De peierandi abusu.

In S. Paul. Apostoli ad Romanos epistolam Commentarius.

PETRVS SOTO.

MVltos tulit Corduba insignes viros, variarum artium cognitione, rei etiam militaris, præditos: quos inter doctos *Petrus Soto* Theologia cæteris præstitit, vt Concilio Tridenti habito interfuerit, ibique vitam cum morte commutans à labore quieuit in Domino anno, eius sæculi CIↃ. IC. LXIII. die 20. Aprilis. Sunt, qui contendant, saeras eum litteras Salmanticensi in Academia pomeridianis Scholis interpretatum, sed nominis affinitate decepti errant. Is enim alter *Ludouicus Soto Maior* cognomento fuit, cuius nuper in

per in Cantica Canticorum Salamonis exiit Commentarius ingens an. 1606. Ille vero Dilingę Sueuorum. Theologiam scientiarum dominam docuit, quam Academiam Otho Truchses Card. Augustanus suis auspiciis Catholice instaurarat. Docuit, inquam, vna cum Martino Olauio Victoriano Cantabro, qui mox Societati IESV sponte se addixit, vt in Iacobi Lainis Præpositi Generalis secundi Vita memoriæ proditum video. Scripsit Petrus hic aureum

De sacerdotum institutione librum.

Christianam item institutionem.

Doctrinæ Catholicæ compendium.

Confitendi methodum.

Denique aduersus Luterianam confessionem Wittenbergensem.

MELCHIOR CANVS.

INter insignes Franciſci Victoriæ discipulos palmam facile *Melchior Canus* prouinciæ Castellæ obtinuit, vt & ipsemet *lib. Theologicorum Locorum* duodecimo præfatur; de parente vero suo lib. II. qui & magistro post in Academia Salmanticensi succedens, antemeridianis & ipse scholis Theologiam explanauit. Mox ad Canariensem Episcopatum, qui Fortunatarum est insularum, euectus, eo se paulo post abdicauit. Concilio quoque Tridentino interfuit. Vita Toleti decessit in Cœnobio B. Petri Martyris, anno Christi CIↃ. IↃ. XL. honesto in ordinis sui Cœnobio conditus tumulo. Scripsit autē diserto admodū stylo *de locis Theologicis* lib. 12. in quibus Ciceronianæ dictionis amans proemia artificiose adhibet, luxuriarique stylo videtur.

Relectionis item edidit de sacramentis in genere lib. 5. & de Pœnitentia totidem.

Ioannes Petreus Toletanus Oda bene longa eum exornat.

Si digna tentet Melpomene tuis
Pensare vates carmina laudibus
Quæ sacra dilectum Minuerva
Ipsa sinu fouet alma casto.
Dircæa poscat plectra, & sibi lyram.
Aut si quid illis grandius insonat.
Qualis comanti quæ pependit
Ex humero religata Phœbi.

Illa & beatas eloquii canet
Cælestis vndas, non tibi riuulo,
Sed fonte largo perfluentes,
Fundis vbi placido ore nectar.
Illa & sacrorum oracula fontium
Vulgata turbis de perennibus
Hauſtum Scatebris, quo rigantur
Ora virum ſitibunda flumen.
Quippe, vt repoſtas accumulatius
Proferre larga diuitias manu
Conſueuit, & fului metalli
Diues opum genus omne promit.
Sic tu vetuſto de Sapientiæ
Penu benignè, deq; recentibus
Deprompta theſauris talenta
Diuidis, vberiore fœtu.
Euge ô fidelis pro me, & Herilium
Cuſtos bonorum, qui tibi creditum
Non abdidiſti parcus aurum,
Fœnore, ſed gemino reponis.
Intrabis ergo, quo Dominus iubet,
Dignos miniſtros in requiem ingredi,
Quo nullus intrat ſordidatus,
Sed trabea redimitus alba.
Illic nitebis Cœliculum greges
Inter loratus, clara mirantibus
Vt ſtella flammis: quippe doctos,
Talis honos manet inter omnes.
Illic videbis purpurea ſtola
Cinctum magiſtrum, pocula nectaris
Lectæ miniſtrantem coronæ,
Perpetuis recreare menſis.
Intaminati tu quoq; corporis,
Artus lauatos flumine concines,
Ieiuniorum poſt labores,
Et domitus repetetur hoſtis.
Hinc iuſta vino Lympha rubeſcere, &
Bis ſex virorum concio principum

Dicetur

Dicetur è cymba, ad cacumen
Et ſolum reuocata regni.
Quod cum ſtupendis prodigiis canes,
Pulſoſque morbos & furialibus
Diris leuator, & ſepulcris
Et latebris redituua membra?
Infida poſthæc oſcula, & impiam
Dices phalangem, & ſacrilegum nefas,
Raptumque vinclis ad tribunal,
Per ſcelerum genus omne Regem,
Infame lignum, ſed Domini in nece
Mox conſecratum, quod diademate
Regum niteſcat, quod nefandæ
Supplicium fuit ante turbæ.
At cum reduces Tartareo ſpecu
Clarum trophæis, & ſpoliis Ducem.
Quem perſtrepenti concinebam
Ipſe lyra & rudiore plectro.
Omnes iubebo degeneres procul
Hinc ire curas, deq; cathenulis
Suſpenſus auratis, beatam
Aure bibam ſitiente venam.

DOMINICVS BANNEZ.

HIc quoque origine Cantaber oppidi Mondragonii, familiæ S. Dominici, ſacras litteras antemeridianis horis Salmanticenſi in Academia interpretabatur, qui Abulæ, compluti ac Pintiæ Sodales edocuit. Eius autem hæc exſtant ſcripta:

In primam S. Thomæ partem Summæ lib. 2.
Item in Secundam Secundæ.
De generatione & corruptione lib. 2.
De Iuſtitia & iure.
De Fide, Spe & Caritate, &
Relectiones de augmento caritatis.

LVDOVICVS GRANATENSIS.

LVdouicus à patria Bæticæ vrbe cognomentum adeptus, summa doctoris Theologi laurea inter Sodales Dominicanos ornatus, Lusitaniæ Prouincialis præfuit, eruditione varia, Philosophia, Theologia Scholastica ac morum, concionando quoque æqualibus antecelluit, & ob modestiam grauitatemque carus in primis acceptusq; Lusitaniæ principi Henrico Cardinali, Eborensium Præsuli, ac post in Africa Sebastiano cum exercitu Lusitaniæ clauum tenenti. Ceterum si ingenium ac scripta celebrare velim, tempus citius, quam Oratio deficiat. Itaque quod de Carthagine Sallustius, *Silere præstat, quam pauca dicere*, idem ego de laudato hoc viro iure dixero. Illud tamen silentio præteriri minime debet, misisse ad illum diploma Gregorium XIII. Pontificatus anno vedecimo, qui est Christi CIↃ.IↃ.LXXXII. ad eam diem scripta illius comprobando, hortando insuper, vt plura id genus bono publico euulgare pergat, nec de suscepto labore quidquam remittat. Obiit hic vitæ sanctimonia clarus, exeuntis anni octogesimi octaui die vltimo supra millesimum quingentesimum, Olysipone conditus in Sodalium S. Dominici æde sacra.

Plurima reliquit ingenii monumenta tam Latino, quam Hispanico conscripta sermone. nonnulla etiam de Latinis Hispanica. Latine vero hæc studiose constanterque leguntur:

Homiliæ iam inde ab Aduentu Domini in totius anni vertentis curriculum, vt & in festos dies.
Varii item argumenti Sermones.
Doctorum Sententiæ.
De Pœnitentia.
Collectanea Philosophorum potissimum Plutarchi, & Senecæ Philosophi, in suo cuiusque genere principis,
Item Apophthegmata selecta.
Rhetorica Christiana libris 6.
Sylua locorum communium.

Hispane vero scripsit, quo in sermone adeo disertus cum omnium admiratione sic excelluit, vt oraculum sit æui sui habitus, longeque à plurimorum vitiis recesserit, qui partim Arabicis, partim Poeticis vocibus affectando sublime nimis dicendi genus orationem contaminant. Plerique etiamnum Coloniæ Agrippinæ in

in Vbiis Latine redditi libri, vt & Italice, Germanice, Gallice, & Angliæ alibi ob eloquentiam singularem ac pietatem cupide legantur. Princeps enim sine controuersia in Asceticis, seu spiritalibus mentis exercitationibus, ac meditandi ratione, atque amplificandi arte regnat, quibus & Ecclesiastæ in Iberia, concinnatis indiculis, plurimum adiuuantur. Nomina recensebo:

Dux viæ peccatorum, Vbi de septem lethalibus vitiis, post Cassianum ac Prudentium, item de Beneficiis diuinis pie disserit.
De oratione ac meditatione. lib. 2.
Christianæ vitæ memoriale, cum additamentis.
Cathechismum quoque seu Symbolum Apostolorum, diserte ad Mauros ac gentes conscripsit; imitatus præter Plutarchum, Basilii Magni, & Ambrosii sex dierum opera.
Auctarium quoq; huic operi accessit.

De Latinis venuste reddidit Hispanice.

De imitatione Christi Thomam de Kempis, qui aureus sane libellus Ioanni Gersoni à plerisque adscribitur.
Scalas quoque Ioannis Climaci populari vertit sermone.

Hic vnus certe inter ceteros decus atque ornamentum non familiæ modo Dominicanæ, sed & Hispanicæ gentis (siue pietatem spectes, qua enituit, seu eloquentiam, qua æquales omnes vicit) iure censeatur.

IOANNES LOPEZ EPISC. MINOPOLITANVS.

EPitomen composuit sanctorum patrum per locos communes ex Origene, Basilio, Chrysostomo, aliisque desumptã & in 5. Tomos distributam. Brixiæ, Romæ, & Venetiis.

MOYSES IVDÆVS.

FVit is in Hispania, linguæ Hebraicæ peritissimus, atque relicta Iudæorum secta, cum ad veram IESV Christi fidem se contulisset, anno fere CIↃ. c. eandem scriptis suis egregie stabiliuit. Eius autem hæc Alphonso in Enchiridio scripta memorantur:

Contra Iudæos lib.
De scientia, & Philosophia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

NICOLAVS EYMERICVS.

Nicolaus Eymericus Gerundensis, prouinciæ Catalauniæ, instituti S. Dominici, Doctoris Theologiæ laurea est insignitus, & in Hispania Iudex religionis per annos amplius XLIV. successit Nic. Roseel, Cardinali creato tit. S. Xysti ab Innocentio VI. Pont. Max. Plurima vero litteris à se consignata ad posteros transmisit, vt quod in manibus est Romæ à clarissimo Iureconsulto Francisco Penna Hispano Rotæ Pontificiæ auditore egregie illustratum:

Directorium Inquisitorum Tomis III.
Fertur & scripsisse *Homilias in Dominicas anni totius.*
In omnes item festos Sanctorum dies.
In quattuor Euangelistas Commentaria.
In Epistolam item ad Galatas & Hebræos.
Logicas quoque Præceptiones & Physicas, quæ Gerundæ à Sodalibus asseruari putantur.
Item *de Schismate*, citanti Ægidio Bellamera Pontificii Iuris Interprete.
Vitam quoq; & miracula Fratris Dalmatii Monerii cuius alumnus fuerat.

Gregorio Papæ vndecimo à sacris fuit, cum quo & Auenione familiariter versatus, plenus tandem dierum Gerũdam in patriam, indeque in Beatorum sedes pridie Nonas Ianuarii commigrauit, ad annum Christi, CIↃ. CCC. XCIII. Spectaturque Gerundæ apud Sodales tumulus Epitaphio inscriptus.

1393

BARTHOLOMÆVS LEDESMA.

EPiscopus hic fuit Guacarensis, Indiæ Occidentalis, Salmanticæ primum in Collegio S. Stephani Dominicanorum ordini aggregatus. Huius nihil præter Vnicum *in librum quartum Magistri Sententiarum* exstat *Commentarium*. Floruit ad annum CIↃ. IↃ. XCV. Alter MARTINVS LEDESMIVS vicesimo antea anno Conimbricæ floruit: eaque scripsisse refert Ant. Senensis, Laudaturq;, vt gloria ac decus ordinis sui à Martino Doctore Nauarro Mannalis Confess. cap. 8. Nu. 3.

IACO-

IACOBVS XIMENES ARIAS.

PRouinciæ hic Bæticæ, floruit ad annum sexagesimum supra millesimum quingentesimum. Ingenii hęc pauca sunt monumenta:

Lexicon Ecclesiasticum.
De S. Maria Magdalena.
Christianæ doctrinæ Enchiridion.
In Psalmum denique quinquagesimum: Miserere mei Deus Commentarius.

FRANC. GARSIAS.

FRanc. Garsias, prouinciæ Aragonensis, instituti Prædicatorum, summa Theologiæ laurea donatus, in Tarraconensi Academia profitendi munus feliciter obiuit, in D. Thomæ doctrina diu multumque versatus. Argumento sunt, quæ edidit. *Errata* enim *typographorum* in B. Thoma magnà cura diligentiaq; legit ac selegit: quem laborem suum Ant. Augustino Archiepiscopo Tarraconensi, viro nunquam satis laudato *Emendationum titulo* nuncupauit. *De contractibus, item ac stipulationibus mercatorum*, sed Hispano sermone, subtiliter scripsit. Obiit anno Christi, CIↃ. IↃ. LXXXVII.

HIERONYMVS PEREIRA LVSITANVS.

FAmiliæ & hic S. Dominici, ob egregias animi dotes Episcopus est Salenensis creatus. Scripsit quidem non pœnitenda, sed furto clam sublata, amisit. Exstant hæc paucula:

De Christi Resurrectione.
De Sacramentis.
Homiliæ variæ.

Moritur Eboræ ad annum Christi sesquimillesimum & septuagesimum octauum.

FERDINANDVS CASTELLA.

GRanatensis hic fuit, Dominicanorum ordini Pintiæ primum aggregatus, concionandi ita in paucis peritus disertusque, vt Philippo II. Hispaniarum regi fuerit à concionibus annos aliquot. Moritur Madriti, postridie Cal. Aprilis, anno supra millesimo quin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gentesimo nonagesimo secundo, in B. Thomæ monasterio. Extant eius *Prædicatorii Ordinis Patrum iam inde à B. Dominico Centuriæ duæ*, Hispanico sermone eleganter conscriptæ.

HIERONYMVS ALMONAZAR.

SVmma Theologorum laurea donatus & *Hieronymus Almonazar*, instituti S. Dominici, in Theologia Scholastica, sacrisque litteris diu multumq; versatus: quas cum annos aliquot in Religiosorum Cœnobio docuisset, publice eas Complutensi in Academia profiteri de superiore loco iussus, annos amplius viginti quinque feliciter id muneris obiuit: vsque eo gratus acceptusque suis, vt iubilei diem, (quod professorum antea apud suos concessum nemini) magno omnium applausu læti egerit. Florebat hic anno Christi CIↃ. IↃ. XIV. Fuit & Iudicibus Religionis ab intimis consiliis. Nihil eius præter duplicem *in Cantica Canticorum Commentarium* typis euulgatum, ad posteros transiit. Præsentibus enim viua hominis vox docendo seruiit.

ALFONSVS CIACCONIVS.

PRouinciæ hic Bæticæ, Astigi oppido oriundus, quæ hodie Baeza incolis est, historiæ in primis Ecclesiasticæ gnarus, omnisque adeo antiquitatis: cuius magnum apud se thesaurum vndique collectum asseruabat. Theologiæ quoque doctor, à Gregorio XIII. Romæ Pœnitentiæ ministris Pontificiis adscriptus hæc fere in apertum ibidem retulit.

De Cruce Dominica Commentarium.

De Traiani anima à Gregorio primo liberata, quem libellum Columnæ Traiani Aug in æs insculptæ adiunxit.

Item B. Hieronymum Cardinalem fuisse contendit.

Edidit & morti vicinus *Pontificem Rom. vnaque Cardinalium omnium seriem.*

Obiit Romæ anno Christi CIↃ. IↃ. XC.

IOAN.

IOAN. VIGVERIVS.

GRanatensis fuit, Philosophus insignis, S. Theologiæ doctor, quam Tolosæ Tectosagum laurea accepta docuit: magno iudicio atque delectu è D. Thomæ summa Theologica moralis doctrinæ compendium excerpsit, titulo *Institutionum Christianæ fidei*, quo nihil legentibus vtilius reperiri queat. *Commentarium item in B. Pauli epistolam ad Romanos.* Floruit, teste Sixto Senensi, ad annũ Christi CIↃ. IↃ. LX. Cumque Diũi Thomæ Aquinatis corpus in Tholosano Cœnobio asseruetur, pro eo amplius vt pugnaret doctrinamque illustraret teneri se existimabat.

IOANNES CRVCIVS.

Ioannes Crucius, prouinciæ Castellæ, familiæ S. Dominici, magnæ vir religionis & virtutis, Historiæ Ecclesiasticæ in primis peritus. Scripsit, sed Hispanæ, *ordinis sui Annales* libris quinque, quos & Latinos fecit. *Dialogos quoque in laudem precationis voce prolatæ. Historiam* item *Tripartitam Cassiodori* genti suæ transcripsit.

Vixit ad annum Christi CIↃ. IↃ. LVI.

IOAN. PEDRASA.

PRouinciæ & hic Castellæ, summa Theologiæ laurea insignitus, Conimbricẽsi in Academia primam inter suos cathedrã tenuit. Summam casus conscientiæ, sed perbreuem, atque Hispano idiomate ad posteros transmisit. Viguit anno Christi CIↃ. IↃ. LX.

PETRVS HISPANVS.

INter antiquissimos S. Dominici religiosos fuit & Petrus Hispanus, subtilis in primis, & Dialecticæ, qui tunc ingeniorum captus erat, non imperitus. Hunc sibi magistrum, olim Logicæ studiosi delegerunt, docebaturque *Summa eius* à barbarie non aliena. In Prædicatorum Cœnobio Stellę Nauarrorum sepultus iacet, floruitque ad annum CIↃ CC. L. De hoc siue alio Portugalensi legendus Ioan. Mariana Annalium Hisp. lib. XIV. Cap. 2.

IOANNES MARIETTA CANTABER.

VIctoria Cantabrorũ oppido oriũd⁹ Dominicanæ aſcriptus familiæ, ad ſacram cõtexendã hiſtoriã animũ attulit, ſcripſitq; Hiſpanicè *Sanctorum Hiſpaniæ vitas, itemque de 5. Scriptoribus Theologis familiis nobilium Hiſpaniæ* libris duobus ac viginti Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ.

IOANNES GALLIO.

BVrgenſis Orationem habuit in Tridentina Synodo, in Laudem S. Thomæ Aquinatis. fratrem habuit Galium Epiſcopum Cæſaris Eccleſiaſten.

THOMAS MALVENDA SETABITANVS.

DE Antichriſto libros xi. edidit Romæ copioſos ſane & eruditos, quæſtionibus variis refertos. anno 1604. in fol.

DIDACVS ALVARES.

THeologus Prædicatorii Ordinis Tomos duos dedit Commentariorum in Eſaiã Prophetam, Romæ in 4. anno *160*. Prodiit ibidem eadem que forma Thaddæus: Peruſinus in Eſaiam Tomis duobus: qui & de triplici Conuiuio ſcripſit.

PHILIPPVS MENESIVS LVSITANVS.

SCripſit Chriſtianæ doctrinæ ſummam, ſeu Catechiſmum dilucidè atque eruditè, qui liber vulgo *Lux animæ Chriſtianæ* inſcribitur.

ANTONIVS PENNA.

DOctor hic Theologus & concionator inſignis, Canarienſis Eccleſiæ antiſtes creatur. *Vitam & Epiſtolas B. Catharinæ* Senenſis ad Franc. Ximenium Archiepiſc. Tolet. Hiſpanicè conſcripſit. Claruit tempore regum Catholicorum. Sed hic ne Dominicanæ fuerit familiæ nondum comperi.

ANTO-

ANTONIVS FONSECA.

ANtonius Fonſeca Luſitanus, ſumma Theologorum laurea cohoneſtatus, primum Conimbricenſi in Academia ſacras interpretatus litteras Olyſipone poſt Ioanni III. Luſitaniç regi à concionibus fuit. Scripſit *Annotationes in Commentaria Caietani ad Pentateuchum*. vita eiuſdem Caietani præmiſſa. Claruit anno Domini CIↃ. IↃ. XLII.

ANTONIVS DOMINICVS.

CONimbricenſis hic vbi & Theologiæ doctor S. Thomam de ſuperiore loco Sodalibus explanauit, ad annum Chriſti LXXX. eius ſæculi vertit Iunior ſuis & ex B. Antonio *SS. Dominicanorum vitas*: maioraque extra viuam docentis vocem exſpectantur.

PETRVS IRVROSCVS.

NAuarrus hic fuit & pariſiis Theologiæ Doctor Dominicanæ familiæ columẽ, floruit obiitq; Baremone; ſcripturis aſſidue peruolutandis vſq; eo diligens & aſſiduus, vt lumen oculorum ſenex amiſerit. Vidimus typis ſtellæ 1557. in Celtiberia euulgatam *Seriem ſeu concordiam quattuor Euangeliſtarum. Item in vndecimum B. Pauli ad Corinthios caput de Euchariſtia Commentarium*. Cæſarauguſtæ excuſum. Habentur & Barcinone eiuſdẽ *in S. Scripturam inedita volumina*, quæ à Sodalibus aſſeruãtur & in Collegio Societatis IESV cuſtodiũtur.

IOAN: SEGOBIENSIS.

INſtituti Prædicatorum, Religioſus ac Theologus inſignis, à patria, vt fratribus illis mos eſt, cognomentum tulit, claruitq; in Hiſpania anno Chriſti CIↃ. IↃ. LXXVI. Edidit egregium Compluti *volumen Prædicationis Euangelicæ* libris quattuor comprehẽſum: quorum duobus prioribus, *de Oratoris officio*, quod eſt docere, diſſerit: tertio verò *delectandi*, quarto denique *flectendi mouendique* munus explicat. Quo in genere & alii laudabiliter verſati, vt eiuſdem ordinis Ludouicus Granatenſis, edita *Eccleſiaſtica Rhetorica*. Auguſtinus quoque Valerius ex Veronenſi Epiſcopo Cardinalis poſt creatus. Omitto nunc Didacum Stellam, Pereſium, Semperium Matamorũ alios gentis Hiſpanicæ. Fertur & Segobienſes tres *de Sanctis* Tomos concinnaſſe: quos typis editos videre nondum contigit.

MATTHÆVS ORTISIVS.

DOminicanæ hic familiæ, & hæreticæ olim prauitatis Censor vindexque Religionis exstitit: quem & *contra Hæreses* scripsisse Sixtus Senēsis affirmat in sacra Bibliotheca. Claruit, opinor, ad annum millesimum, ducentesimum sexagesimum secundum.

MATTHIAS PACIVS.

REfert & idem Sixtus Senensis scripsisse hunc varia eiusdem ordinis monachum non modo *in Sacram Scripturam; sed & in B. Thomæ Aquinatis Summam* quorum tamen nihildum videre mihi datum.

MELCHIOR PVTEANVS.

ARagonius hic fuit Dominicanæ sodalis familiæ, B. MARIAE laudes, quod *Mariale* vulgo nominant, scripsisse fertur: & ad populum habitas de re diuina conciones. Floruit anno CIↃ.IↃ.LX,

PAVLVS LEGIONENSIS.

MOnachus & hic Prædicatorii ordinis, ac disertus Ecclesiastes. edidisse fertur *de Fide, Spe, & Caritate* opus. Clarus ipse ad annum CIↃ.IↃ.XXX

PETRVS MARTYR.

INter Dominicanos hic sodales claruit apud Catalaunos eruditionis non mediocris: scripsitque iam Episcopus Elmēnsis vt nominar, *Directorium Pastorum*, Barcinone latine primū euulgatum, mox populari sermone: vt *& Christianæ doctrinæ præcepta*: item *de Sacramentis*. Vixit anno CIↃ.IↃ.LXXVII.

SANCHIVS A PORTA.

CÆfarauguſtanus, prouinciæ Aragoniæ, è familia S. Dominici, Ecclesiastes apud suos disertus, *Homiliarum Tomos aliquot* reliquit, obiitque in patria CIↃ.CCCC.XXIX.

THO

THOMAS MERCATVS.

INea quæ de moribus est Theologia apprime versatus, scripsit *de contractibus* opus egregium Salmanticæ excusum. Degebat in Occidentis India Mexici, in gentium conuersione, ad annum Christi CIↃ.IↃ.LXXVI.

VINCENTIVS IVSTINIANVS ANTISTIVS.

VAlentinus hic, ordinis Prædicatorū claruit Theologus, ac concionator in patria ad annum Christi CIↃ.IↃ.LXXX. scripsitque populari sermone cognominis sibi B. *Vincentii Ferrerii vitam resque gestas 1575: item de S. Petro Telmo an. 1587.* Latine vero *Logicæ Compendium.* Meditabatur & alia longe his maiora, quæ post exierunt Valentiæ: vt S. Ludouici Bertrandi vitam anno *1582.*

FRANCISCVS CORDVBENSIS.

FRanciscus Cordubensis à patria sic dictus, Dominicanus, *Summam* scripsisse fertur *de Officiis*, vel vt vulgus appellat, *Casuum conscientiæ: Homilias item in anni totius curriculum.* Claruisse ad annum CIↃ.IↃ.XX. refert Chronicon Bœticum.

THOMAS VALENTINVS.

THomas Valentinus sodalis & ipse Prædicatorum scripsit vtilem *in aduersis*, sed Hispano sermone *Consolationem, in omni tempestatum huius vitæ genere:* quem etiam libellum Italis transcribendum curauit. Venetiis foras datum anno *1562.*

ALFONSVS CARILLVS ARCHIEPISC. Toletanus.

COmplutum olim suorum memoria duos & quinquaginta cōcueniſſe accepimus, cum in Iure Canonico, tum in sacris litteris laureatos viros, rogatu iusſuque Alfonsi Carilli Archiepisc. Toletani; vt de Exomologesi à Petro Oxomensi edita, iudicii seueritas exerceretur. Is enim Salmāticæ Theologiam profitebatur. Cumque vindices nondum essent, qui vltricibus flammis cuiusquam in re-

ligione errata coercerẽt(quod quidem decus Ferdinandus Rex exactis Hiſpania Iudæis,Hiſpanicæ genti intulit) ipſi eſt Alfonſo Præſuli à Sixto quarto huius cognitionis delegata cura.] Hæc Alfonſus Garſias Matamorus libro de Academiis Hiſp.

THOMAS DE TRVXILLO.

SCripſit conciones tomis duobus in Euangelia totius anni venetiis 1592. item Theſaurum concionum Tomis IV. quibus & Sanctorum patrũ ſententias diligenter colligit,& ſanctorum vitas fideliter enarrat.

III. CLASSIS ORDINIS MINORVM

EX FR. HENRICO GVILLOT BELGA.

SERIES MINORITARVM.

ALexius Salamãca.
Alfonſus à Caſtro.
Andreas Vega.
Antonius Cordubenſis.
Antonius Gueuara.
Antonius de Padua.
Bernardinus Arenacenſis.
Didacus Stella.
Didacus Valades.
Franciſcus ab Oſſuna.
Franſciſc. Cordubenſis.
Franciſc. Guzmannus.
Franc. Horantius.
Franciſc. Ortigius.
Franciſc. Zamora.
Guitræus Treuis.
Ioannes Pinæa.
Ludouicus Carbaſalus.
Ludouicus Villalpandes.
Marcus Olyſipponenſis.
Michael Medina.
Philippus Diez.
Pontius Carbonellus.
Ioannes Iubinus.
Chriſtophorus Morenus.
Antonius Ruuius Legionenſis.
Nicolaus Ramos.

ALE-

ALEXIVS SALAMANCA.

ALexius Salamanca Zamora (quæ multos S. Franſciſco peperit filios)ciuitate Hiſpaniæ,indole optima,& ad virtutem propenſa natus,trib: *Dialogis de Chriſti Repub.* inſtitutis bene mereri ſtuduit. Lugduni prodierunt.

ALFONSVS A CASTRO.

ALfonſus à Caſtro Zamorenſis, Hiſpanus, Prouinciæ S. Iacobi, talis ac tantus religioſa conuerſatione & ſelecta doctrina cuaſit: vt minus in eius laudem ſit,quidquid ab homine dici poteſt. Prętерquam enim quod Carolo V. Auſtriaco,propter ſibi ad natam benedicendi, & ad optima quæque cohortandi facundiã,à ſacris concionibus,& cõſcientiæ ſecretis fuit:Singula huius opera ſtudio Franciſci Feuardentii in 2. tomos diſtincta ex typographia Michaelis Sonnii,Pariſiis,an.1578,hoc ordine partita ſunt.

TOMO I.

Libri 14. aduerſ. hæreſes. Appendicem ad eoſdem libros, in qua 40. hæreſes ab illo vel prætermiſſæ, vel poſt eius obitum natæ & deprehenſæ,refelluntur,idẽ Feuardentius,libris trib. continenter adiecit.

TOMO II.

Libri tres de iuſta hæret. punitione.
Libri 2. de poteſt. legis pœnalis.
Homiliæ 24. habitæ ad populum Salmanticæ in Cõuent. PP. Minorũ,quibus explicatur Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt, &c. Homiliæ 25. in Pſal. 50. Miſerere mei Deus*, ad eundem populum habitæ. Floruit eodem Carolo rerum in orbe potiente. Et chorum Franciſcanũ Bruxellæ ſuo funere nobilitauit.

ANDREAS VEGA.

HIſpanus hic Salmanticenſis Magiſter, vir cum primis eruditus, parique ſanctimonia cum viueret,commẽdatus, ſed & primoribus Concilii Tridentini Theologis (quos præſtantiſſimos, & toto orbe ſelectos,nemo ambigit) annumeratus *doctrinam de Iuſtificatione* 15. Libris abſoluit. Quod opus pro dignitate nunquam ſatis laudari queat, vt proinde ſuperuacaneum iudicem in eiuſdem commendationem multa præfari: de hoc certe auctore præclarum exſtat Petri Caniſii,Societatis IESV teſtimoniũ. Sed ad ſcripta redeamus.

Universidad de Deusto Biblioteca

Addidit & doctus hic Vega opus non solum *de Iustificatione*, *sed etiam de gratia*, *fide*, *operibus*, *& meritis*, *quæstionibus 15. partitum*. Floruit tempore Concilii Tridentini.

ANTONIVS CORDVBENSIS.

HIc Compluti, facultate toto orbe notissima Prouinciæ Castellæ, Gardianum strenue egit. cur non etiam eruditi viri insignia haud obscura prætulisse credatur? Vulgata est illius *in Regulam Franciscanam* copiosa, quæstionibus partita *elucidatio*. Nec ignotę sunt *Annotationes*, quas compendio priuilegiorum FF. Minorum, & aliorum mendicantium attexuit. Præcipue excultum viri ingenium probat liber *quadraginta & vna quæstionib.* absolutus, quo *de Indulgentiis*, subiecto ad tractandum difficillimo, scholastice egit; Ingolstadii recusus, post Hispanicam editionem, an. CIↃ. IↃ. XCIII. Scripsit & de Famæ restitutione in Detractionibus, in Dominicum Sotum de ratione tegendi, & detegendi decretum.

CHRISTOPHORVS MORONVS.

CRistophorus Moronus Prouincialis Valentiæ Hispano idiomate descripsit vitam & miracula B. F. *Petri Nicolai actoris*: item *de claris familiæ S. Francisci viris*, sed vernacule. Floruit vsque ad annum CIↃ. IↃ. LXXXIII. quo Valentiæ diem clausit extremum.

ANTONIVS GVEVARA.

ORdinis & hic Minorum, & Mindoniensis Episcopus, lingua patria tum disertissimus, vt Caroli V. Ecclesiastes atque historicus sit delectus. Inclaruit anno CIↃ. IↃ. XL. sollemni sacello à se condito in sua Cathedrali Ecclesia sepultus. Scripsit vernaculo sermone, in quo affectasse nimium schemata visus, pompa quadam tumens, & antithetis putide nimium iteratis lectorem enecat: quin &, vt poetæ verbis vtar.

Proiicit ampullas, & sesquipedalia verba.

Reliquit Religiosis viris vtilia:

Caluariæ montem, seu de Christi cruciatibus meditationes.

Oratorium item Religiosorum.

Nam

Nam duo alia quoque eiusdem opuscula circumferuntur: Altero vitam aulicorum contemnendam docet: altero ruralem vitam Curiali antefert. Nam *principum horologium*, seu de vita M. Aurelii Imperatoris, & Faustinæ Coniugis conficta sunt, non ex historiis petita: ne quis erret, vt in Gallia, vbi cupide nimis in sinu olim nobilium, manibusque gestatum fuisse, memini; vt & *Epistolas* eius nauci plenas, & ineptiarum *Aurearum* titulo transcribere non iidem dubitarunt: sed quas illi legant, per me licet, quibus meliora non suppetunt, aut capere non possunt. Video itaque recte etiamnum superstitis Præsulis *Epistolas* illas singulari libello Petrum Rhuam Soriensem vanitatis damnasse edito singulari de fide in historia scribenda Commentario.

Alius ab hoc *Antonius de Huecara* Prior S. Michaelis de Scalada, qui doctum commentarium reliquit in Abacuc prophetam variis Antiquitatum linguarum, & historiarũ notis refertũ Madridii, 1595. Itemq; se in caput primũ Geneseos & Psalmos scripsisse pręfatur.

B. ANTONIVS DE PADVA.

B. Antonius Paduanus Canonicus, primum Ordinis S. Augustini, post B. Francisci sodalibus aggregari voluit. Olysippo illi patria. Litterarum bonarumque artium cognitione tinctus fuit. Sacras etiã litteras postea publice de superiore loco Tolosæ, Parisiiis, & Ticini est interpretatus. Vitæ quoq; sanctimonia clarus exstitit, vt eum in Beatorum numerum referre Põtifex Gregorius IX. non dubitauit. De vita eius admirandisque, quando alii luculenter scripseruut, supersedebo. Floruit anno Christi CIↃ. CCXXX. Circumferuntur illius *Sermones de totius anni Sanctis*.

ALVARVS PELAGIVS.

EDidit opus egregium *de planctu Ecclesiæ* varia eruditione refertum Vlmæ, 1474. *Summam* item ibidẽ. Ioannis Scoti in Philosophia, & Archidiaconi in Theologia discipulus. De quo nos infra pluribus Tom. 4.

BERNARDINVS AREVALENSIS ordinis Minorum scripsit *de Correctione fraterna*, opusculũ eruditum ex SS. Patrum & DD. sententia. Metymnæ Campi Iacobus Gratianus, Cæsari à secretis & poeta illius obitum cecinit, & Epitaphium amico posuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hic situs ex decus, & Franciſci glória cœtus?
Cuique mori lucrum, viuere Chriſtus erat:
Tene Sacer vates, mors importuna peremit?
Secula multa ſenex viuere dignus, obis?

Aliud.

Quid Bernardinum terris lugemas ademptum?
Non obiit, cuius nomen honoſque manet?
Parte ſua eſt etenim multo meliore ſuperſtes,
Fama viget terris, ſpiritus aſtra petit.

BERNARDINO DE AREVALO,
SODALI FRANCISCANO
THEOLOGO ET CONCIONATORI
CLARISS. OB EXIMIAM
SANCTITATEM CETERASQ.
ANIMI DOTES OMNIB. CARO,
VIRO INCOMPARABILI
IAC. GRATIANVS
MOESTVS P. C.

DIDACVS STELLA.

DIdacus Stella, Luſitanus, Prouinciæ S. Iacobi, rarus Dei concionator, Illuſt. D. Cardinali Granuellano quondam à ſecretis conſcientiæ; commentatus eſt, ſtylo tamen tenui & vulgari, *Euangelium Lucæ* vaſto volumine, in quo ſenſu literali acute inuento, morales quoq; ſenſus infinitos eruit & locupletat. Iam ſæpius poſt varias editiones Hiſpanicas, Pariſiis, Lugduni, Antuerpiæ, propter libri vtilitatem, à variis typographis recuſus. Habemus etiam eiuſdem varios tractatus, vtpote:

Rhetoricam Eccleſiaſticam.
De vanitate mundi.
De contemptu mundi.
De amore Dei, vernacula lingua.
De modo concionandi, Latino ſermone, qui nuper Venetiis impreſſus eſt.
Item edidit *Expoſitionem in Pſalmum* CXXXVI. *Super flumina Babylonis.*

Tandem factus Epiſcopus, noſtra ætate, ſancto fine quieuit.

DIDACVS VALADES.

EVnctus hic in vrbe Procuratoris Ordinis officio, & in dilatanda Magi-

apud Indos Euangelica vinea, vbi ſtrenue decertaſſet; vt doctis Patribus inſereretur, promeruit. Hic bene peritus,

Magiſtrum Sententiarum in epitomen redegit.
Rhetoricam Chriſtianam Oratorum captui aptauit.

Vixit anno CIↃ. IↃ. LXX.

FRANC. AB OSSVNA.

BEticus ſuper *Miſſus eſt* libros duos myſteriis grauidos, euulgauit. Et in Pſalmum 50. *Miſerere mei Deus*, &c.

Item Sermones in Euangelia totius anni, Quadrageſimale Euangeliorum.

Denig, in Paſſionem Domini, opus magnum Sua vetò lingua Alphabetum ſpirituale Tomis quinq;.

Claruit anno CIↃ. IↃ. XXX.

FRANC. CORDVBENSIS.

FRanc. Cordubenſis *Annotationes Catholicas in Chriſtianæ religionis articulos* euulgauit: quæ Viennæ Auſtriæ 1567. & Coloniæ apud Cholinum ann. 1572. in 8. exſtant. Et libellum Pragæ anno 1562. De *Officio Prælatorum.*

FRANC. GVSMANVS.

TOletanus, *de ſacris miniſtris altaris, & cœlibatu*, opere lectu digniſſimo, quid poſſet, palam fecit.

FRANC. HORANTIVS.

GLorioſo principi Ioanni Auſtriaco in Belgio Proregi à confeſſionibus, cuius in caſtris prope Namurcum mortui corpus cum in Hiſpanias ex ordinum decreto retuliſſet, Epiſcopus Ouetenſis deſignatus, ibi quoque vitæ finem accepit. Scripſerat iam prius *libros 7. locorum Catholicorum pro Romana* fide ad Carolum Hiſpaniarum Principem. Venetiis ex Officina Iordani Ziletti an. 1564. Interfuit & Concilio Tridentino.

FRANCISC. ORTISIVS.

FRanc. Ortiſius, vir ſpectabilis famæ, prudentiæ, & litteraturæ non vulgaris, ſcripſit laudatiſſimam *expoſitionem Pſalmi quinquageſimi, an. 1540.*

FRANC. ZAMORA.

AQuilæ Generalis anno c I ɔ. I ɔ. L I X. creatus, sub Paulo IV. & Pio I V. Ordinem annos sex moderatus est. *In singulos versus Psalmi* quinquagesimi singulas scripsit pulcerrimas *Homilias* num. 25. edidit & parua B. Bonauenturæ Opuscula à se emendata venetiis in fol. 1564. Visitandis prouinciis pro officii ratione occupatus, humanis sublatus est, anno c I ɔ. I ɔ. L X V.

GVTIERRVS TRENIS.

GVtierrus Trenis, Placentia Hispaniæ oriundus, vir eruditione & dicendi gratia præstans, *Commentaria in 4. Euangelia* elaborauit.

IOAN. PINEDA.

IOannes Pineda scripsit *Monarchiam Ecclesiasticam* pluribus libris distinctam, sed quia Pseudo-Beroso, adiunctisque ab Annio Viterbiensi suppositiitiis historicis innititur, infirmum iecit operi fundamentum, quod labascens ruinam minetur. Scripsit & Hispano similiter idiomate de *Agricultura*, qua de animi potissimum cultura præceptiones tradit. Item de vitæ S. Ioan. Baptistæ Salmanticæ, c I ɔ. c I L X X I V.

IOSEPHVS ANGLES VALENTINVS.

THeologus insignis, acerque disputator, scripsit *in librum secundum & quartum Petri Lombardi* Magistri Sententiarum vtiles Quæstiones Antuerpiæ & Lugduni excusas.

LVDOVICVS CARBAIALVS.

BEticus, edidit *restituta Theologia* lib. 1. Opus semel iterumque editum, in quo lector videbit Theologiam à sophistica, & barbarie magna industria repurgatum. Antuerpiæ & Coloniæ ex officina Melchioris Nouesiani, anno c I ɔ. I ɔ. X L V. Carolo Cæsari huius nominis V. Hispaniarum & Germaniæ Regi, & patri patriæ semper Augusto consecratum. Scripsit & opus hoc titulo.

Dulco-

Dulcoratio amarulentiarum Erasmicæ responsionis ad eiusdem apologiam, Principi Ludouico Cordouci Demarcho Commarensi dicatum.

Item pro immaculata Genitricis Dei Mariæ Conceptione. Declamationem, ac Dilutionem x v. Argumentorum. Parisiis 1551.

LVDOVICVS VILLAPANDEVS.

LInguam *Indicam* hic in methodum redegit, certasque regulas, quibus facile addiscatur, edidit. Floruit circa annum c I ɔ. I ɔ. L X I V.

MARCVS VLYSSIPONENSIS.

MArcus Vlyssiponensis, cum iussu R. P. Andreæ Insulani Generalis, Hispanias, Galliam; & Germaniam lustrasset; *Chronica religionis* Lusitana lingua in III. volumina digessit: ea demũ in linguam Hispanam conuertit Philippus Sosa eiusdem ord. Compluti an. 1577. & inter Italicam transtulit Horatius Diola Bononiensis. A Gregorio Portuensi Ecclesiæ præficitur.

MICHAEL MEDINA.

MIchael Medina, Theologus egregius, edidit *Christianam paræneſim* Venetiis 1594. Item tractatum

De Indulgentiis.
In quattuor articulos symboli Apostolorum.
De purgatorio.
De recta Fide in Deum B. Cyrilli exemplo.
De continentia sacrorum hominum lib. 5.
Apologeticum pro defensione quorundam locorum Ioannis Feri in Ioannem, contra.

Dominicum Soto Segobiensem, & alia plura, vt & vera & Christiana Humilitate Tomos 2. Toleti 1570.

PHILIPPVS DIAZ.

PHilippus Diaz, Lusitanus, Prouinciæ S Iacobi; operibus multis Ecclesiam ordinemque suum decorauit: quæ & in sex tomos diuisit, suntque *homiliæ de tempore ac Sanctis* trigeminæ, Recenti etiam

memoria excusa est Lugduni eius *Summa prædicantium*, ex omnibus locis locupletissimis, ad illustrissimum Ioannem Baptistam Saluagum, Lunensem & Sergianensem Episcopum.

PONTIVS CARBONELLVS.

S. Ludouici Franciæ Regis præceptor, scripsit *postillam in vtrumque Testamentum*. Iacet Barcinone.

IOANNES IVBINVS.

EPiscopus scripsit *de Sacramento Eucharistiæ* carmine Sapphico, aliaque elegiaco, *de B. Virgine, D. Hieronymo, de mundi contemptu*, ob secessum abdicato imperio Caroli V. Barcinone apud Claudium Bornat, anno 1568.

ANTONIVS RVVIVS LEGIONENSIS.

THeologiæ Ord. Minorum Professor, scripsit Assertionum Catholicarum aduersus Erasmi in Operibus passim occurrentes errores libros 9. Salmanticæ apud Canouam.

NICOLAVS RAMOS.

NIcolaus Ramos Minorita Theologiæ Vallisleti Professor, scripsit Assertionem editionis vulgatę Bibliorum, iuxta Decretum Tridentinæ Synodi Sess. IV. Salmanticæ Matth. Gastum.

IOANNES DE DVENNAS.

CConcionator Ordinis Minorum euulgauit Barcinone apud Iacobum Galuan, 1580. *Speculi Consolationis afflictorum, Tomos V.*

IV. CLAS-

IV. CLASSIS CARMELITARVM.

EX TRITHEMIO, ET PET. LVcio Belga.

SERIES CARMELITARVM.

DIACVS de Leon.
Franciscus Martini.
Petrus Thomæ.
Guido Perpinianus.
Ioannes Balistarius.
Simon Cœlius.
Ioannes Carranza.
Ioannes Consobrinus.
Petrus Rimi.
Philippus Ribotti.

DIDACVS DE LEON.

DIDACVS DE LEON Hispanus, Episcopus Columbriensis, vir insigniter doctus, & vario scientiarum genere egregie ornatus, Concionibus ad populum habendis insignis exstitit: dignus etiam habitus, qui à Pio. IV. Pont. Max. ad Concilium Tridenti inditum vocaretur.

FRANC. MARTINI.

FRanciscus Martini, natione Catalanus, Conuentus Barcinonensis, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, ac diuini verbi concionator egregius. hæc ingenii sui monumenta ad Posteros transmisit.

De Conceptione B. MARIÆ *semper virginis lib. 1.*
Compendium in honorem Ordinis sui lib. 7.

Claruit Barcinone, anno Domini, CIↃ.CCC.XC.

PETRVS THOMÆ.

PAcensis hic Episcopus, & postea Patriarcha Constantinopolitanus, vir in Scripturis studiosus & eruditus, vita & consuetudine sanctissimus, quippe qui multis & viuus & mortuus miraculis claruit. Fertur nonnulla scripsisse opuscula, quibus nomen suum illustrius reddidit. Sunt autem fere hæc

Super Sententias lib. 4.
De purissima Conceptione B. MARIÆ. *Virg. lib. 1.*
Sermones varii, & quædam ad diuersos Epistolæ.

Meminit huius sancti viri Carthusianus historicus, & Trithemius Abbas, qui illum etiam Archiepiscopum Cretēsem facit. Moritur Famagustæ Cypri ciuitate, festo Epiphaniæ, anno Domini CIↃ.CCC.LXVI. Octauo Idus Iunarii.

FRANCISCVS DE BACHONE CAhalanus.

SCripsit vastum Opus magis quam vtile, vocatque Repertorium prædicantum, & in 4. libros Magistri Sententiarum.

GVIDO

GVIDO PERPINIANVS.

FVit hic natione Catalanus, duodecimus Prior Generalis, deinde Maioricensis, & postea Elnensis Episcopus, in diuinis Scripturis doctissimus, ingenio acutus, scientia profundus, sermone scholasticus: à Ioanne Pontifice XXII. in honore & pretio habitus. Feruntur eius hæc scripta:

De perfectione vitæ Catholicæ lib. 3. opus tripartitum ad Ioannem XXI. Papam.
Super Sentent. lib. 4.
Quodlibeta sex, lib. 1.
Quæstiones variæ, lib. 1.
De concordia Euangelistarum, lib. 1.
Correctio decretorum, lib. 3.
De hæresibus item liber singularis doctus sane & perelegans ad Cardinalē Albanensē in manibus est Lutetiæ Badianis typis euulgatus
In lib. Physicorum, lib. 8.
Quæstiones de Anima, lib. 1.

Claruit anno Christi CIↃ.CCC.XI. & moritur 21. Augusti Auenione sepultus.

Aiunt & contra *Arnoldum Villanouanum Catalanum* scripsisse: in *Cantica* item *Euangelica.*

IOAN. BALISTARIVS.

IOannes Balistarius Catalanus Prior totius Ordinis Generalis decimus-sextus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & sæcularis Philosophiæ scrutator auctus, hæc à se scripta posteris reliquit:

Super Sentent. lib. 4.
Constitutiones Ordinis sui, lib. 1.
Sermones varios.
De nouissimis temporibus, qui idem inscribitur: De bello militantis Ecclesiæ & Antichristi, ad Gregorium XI. P. M. cuius Pontificatus anno quarto Balistarius obiit. Meminerunt huius Raph. Volaterranus, ac Trithemius Abbas.

SIMON COELIVS.

LVsitanus, hic S. Theologiæ Doctor, vir doctissimus, & variæ Lectionis, vt facile colligitur ex opere, quod *de Ordinis Carmelitarum Antiquitate* scripsit, Olyssipone excusum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MICHAEL CARRANZA.

SAcræ Theologiæ Doctor celeberrimus, & Hispaniarum Vicar. Generalis vario & exquisito scientiarum genere excultus, vitam degendo ac scribendo procudit. Scripsit *ad B. Ildephonsi Præsulis Toletani de B. virgine, & ipse de eiusdem immaculata conceptione vitaque Ildephonsi Commentarium* Valentiæ Edetanorum excusum, ac Louanii.

IOAN. CONSOBRINVS.

PAtria Lusitanus, sacrarum atq; humaniorum litterarum nō ignarus, Theologus, Philosophus, & Iurisperitus egregius, rogatu Præpositi Regalis Collegii Diuæ Mariæ de Amthem, in Anglia, opus scripsit triplex *de Contractibus* hoc titulo:

De Iustitia commutatiua, lib. 4. Parisiis an. 1496. editum.
Sermones varios.
Scripta item *Francisci Moronis in epitomen* redegit.

Claruit anno Domini 1475. & sub Sixto IV. Pont. Olyssipone obiit.

PETRVS RIMI.

PEtrus Rimi de Perpiniano patria Catalanus, vir ingenio præstans, & Sacræ Theologiæ doctor. Eius hæc feruntur scripta.

Super Sentent. lib. 4.
Quæstiones Sententiarum, lib. 1.
In Psalmos omnes Dauidis.
Item Sermones varii.

Meminit huius præter Trithemium & Sixtus Senensis.

PHILIPPVS RIBOTTI

PHILIPPVS RIBOTTI natione Cathalanus, scripsit de Ordinis sui primaeua institutione, dilatatione, & cōfirmatione, quod vocauit, *De gestis Carmelitarum*, lib. 10. De illustribus viris Carmelit. lib. 1. Item Sermones & Epistolas.

V. CLASSIS EREMITARVM S. AVgustini.

Series Augustinianorum sodalium.

ALfonsus à Cordu-
ba.
Alphonsus ab O-
roseo.
Alfonsus Vargas.
Alfonsus à Vera cruce.
Hieronymus Romanus.
Ioan. à S. Ioseph.
Iacobus Magnus.
Iacobus Perez.
Theodoricus Vrias.
Didacus Stunica.
Gaspar Casalius.
Franciscus à Christo.
Laurentius à Villauicentio.
Ioan. Bapt. Burgos.
Ioannes Soares.
Ludouicus Hurtadus.
Ludouicus Legionensis.
Ludouicus de Montoya.
Martinus de Corduba.
Michael Salon.
Rodericus S. Crucis.
Rodericus de Solis.
Thomas Villanouanus.
Vincentius Montagnesius.
Alphonsus Mendoza.
Petrus de Aragon
Dionysius Vaspices.
Ioan. Gregorius Satorrus.

S. AVGVSTINI HISPANORVM SCRIPTORVM.

EX IOS. PAMPHILI EPISC. SIGNINI Chronicis, & Hieronymo Romano.

ALPHONSVS A CORDVBA.

PATRIA hic Bæticus, vir liberaliter doctus, cum Parisiis sui studii titulos reportasset, Salmanticam veniens, viam Nominalium introduxit, fuitque doctor regens in Academia multis annis, vbi quoque rexit cathedram Gregorii Ariminensis, suæ doctrinæ celebritate ibidem institutam. Hinc habebatur illis in regionibus omnium doctissimus. Scripsit tractatus quosdam *in Logicam*, & Commētarios edidit in libros Aristotelis *Ethicorū, Oeconomicorū, & Politicorum*. Decessit tandem in ciuitate Abulensi an. Domini CIↃ. D. XLII.

ALPHONSVS AB OROZCO.

DOctus hic, & in variis cognitionibus versatus, iam antea Caroli v. Cæsaris, post vero etiam filii Philippi Hispaniarum Regis concionator; scripsit librum orthodoxis omnibus perutilem, & maxime Religiosis viris, qui *Bonum Certamen* appellatur. Salmanticæ impressum. Item De regali Institutione compluti. Edidit præterea sermone patrio quandam sui Ordinis historiam, in qua recensentur multa de B. *Augustino*, de *Monica* eius matre, de *S. Nicolao*, deque aliis pluribus, qui non solum Augustinianam Remp. verum etiam vniuersum Christianum nomen admodum decorarunt. Ædificauit Tālaueræ in Carpetanis oppido agri Toletani Cœnobium suis anno redempti orbis CIↃ. IↃ. LXVI. Exstāt eius & alia plurima Hispane.

ALPHONSVS VARGAS TOLETANVS.

EPiscopus primum Vxamensis, deinde Archiepiscopus Hispalensis, Parisiis, (vbi magno auditorum plausu cum Philosophiam, tum Theologiam, prope decem annis professus est) primum floruit. Edidit Commentaria in *Primum Sententiarum*, & in libros Aristotelis *de*

de Anima, multa eruditione referta, Venetiis, & alibi impressa. Decessit Hispali anno salutis CIↃ. CCC. LIX. die 13. Octob. in Sodalium templo sepultus.

ALPHONSVS A VERACRVCE.

APud Indos Prouincialis dignitate claruit, sacrasque litteras apud sodales professus, reliquit *Speculum coniugiorum*: quo nodos omnes in Matrimonii ac Pœnitentiæ Sacramentis plerumque controuerti solitos, subtiliter expediuit: Opus vtile iis, qui rite confitentibus aures dare consueuerunt. Salmanticæ excusum.

HIERONYMVS ROMANVS,

Et

IOANNES à S. IOSEPH. LVSITANVS.

VIri spectatis moribus, & haud segens antiquitatis & progressionis indagatores, suo ipsorum idiomate Chronica à S. Augustino ad sua vsque tempora conscripserunt. illi Salmanticæ anno 1569. Exstat & Hieronymi Romani *Monarchia*, quæ tamen Censorum notionem effugere minime potuit.

DIDACVS STVNICA.

DOctor Theologus Toleti nobilis, linguarumque peritus, eruditum reliquit Commentarium *in Iob*: vt & in *Zachariam Prophetam* Salmanticæ excusum. Item contra hæreses. alius ab illo est, qui in Erasmi testamenti noui interpretationē inuectus, obiit Neapoli Sanedos, de quo nos Tomo III. Classe III. copiosius.

GASPAR CASALIVS.

LVsitanus, primum Leirensis Præsul, mox ad Ecclesiam Conimbricēsem traductus. Ioannis III. Lusitaniæ & Algarbiorum regis consiliarius, eidemque à Secretis, confessionibus, & regii Senatus Conscientiæ præfectus, vir prætēr insignem morum integritatem, ingenii præstantia, diuinarum atque humanarum rerum cognitione egregie excultus, edidit *De cœna & calice Domini* ad Pium IV. Pontif. lib. 3. in quibus omnia, quæ ad hanc rem pertinent, ex antiquis recentioribusque Theologis collecta, probe digeruntur, & in examen vocantur,

Item.

De vsu calicis lib. 3.

Axiomata Christiana. lib. 3.

Conscripsit præterea libros vndecim, hoc titulo: *Quadripartita Iustitia*, Tomis quatuor admodum amplis distinctos: in quibus omnium quotquot extant Theologorum conquisitis, excussis, probeq; digestis sententiis, de *Iustificatione*, nostra fides tractatur. Hæc omnia Venetiis, Antuerpiæ, & alibi excusa. Fertur etiam priusquam esset Episcopus, egregie scripsisse *in Prædicamenta*, & libros *Topicorum Aristotelis*. Claruit in Synodo Tridentina. Floruit ad annũ Christi C Iↄ. Iↄ. L X X V.

IACOBVS MAGNVS.

Toletanus in veterum Theologorum lectione plurimum versatus, præter id, quod vniuersam ferme (ut tradunt Ioannes Trithemius, Ambrosius Coranus, & Iacobus Bergamensis) scripturam sacram Annotationibus exornauerit, edidit volumẽ egregiũ & insigne *de sermone & inquisitione diuinæ sapientiæ* titulo *Sophologii, librũ decem* distinctum, characteribus antiquissimis excusum. Fertur alia scripsisse opuscula, quæ Bononię in Bibliotheca Sodalium olim asseruabantur, vt *Quæstiones in libros Aristotelis de Anima*, quas Patauii edocuit & disputauit, dum profitendi ibi munus sustineret. Item *Vtriusque Philosophiæ cum Physicæ, tum Metaphysicæ Compendium*, Michaeli Episcopo Antisiodorensi dedicatum. Hic Iacobus cum esset à secretis confessionibus Carolo V I I. Francorum regi, electus Archiepiscopus Burdigalensis, dignitatem repudiauit. Obiit Parisiis, in Sodalium templo sepultus.

IACOBVS PEREZ VALENTINVS.

CHrysopolitanus Episcopus, cuius *in Psalmos* exstant dilucidi *Commentarii*: de quo nos fusius in Valentinorum classe egimus.

LAVRENTIVS A VILLAVICENTIO XEREZANUS.

DOctor Theologiæ Louanensis & post Regius Ecclesiastes scripsit, *Phrases S. Scripturæ*:

Item.

Item.

De recte formando Theologiæ studio, seu de ratione studii Theologici, lib. IV.

De formandis sacris concionibus, seu de interpretatione Scripturarum populari, lib. III.

Tabulas compẽdiosas in Euangelia & Epistolas, quę per totam Quadragesimam populo proponi solent, concionatoribus omnibus perutiles. *Conciones in Euangelia & Epistolas*, quæ Dominicis Festisq; diebus in Ecclesia proponuntur, ad F. Bernardũ a Fresneda Episcopum Conchensem. Edidit præterea *libros tres De Oeconomia sacra circa pauperum curam, à Christo institutа*, Apostolis tradita, & in vniuersa Ecclesia inde ad sua vsque tempora perpetua religione obseruata, cum quarundam propositionum, quæ huic sacræ Oeconomiæ aduersantur, confutatione. floruit ad annum Christi C Iↄ. Iↄ. L X X X I.

ALFONSVS MENDOZA.

QVæstiones edidit Quodlibeticas eruditas sane, variæq; doctrinæ: decem quidẽ Scholasticas: totidemq; positiuæ Theologiæ: accessit relectio Theologiæ de *Regno Christi*. Salmanticæ 1588.

IOAN. BAPTISTA BVRGOS.

PAtria Valentinus, Doctor in Iure Canonico, & S. Theologiæ peritissimus, qui publice in Vniuersitate Valentina Theologiam & Ius Canonicum professus est. Ad Concilium Tridentinum sub Pio quarto Pont. Max. celebratum profectus, sententiã inter ceteros Theologos in Patrũ congregatione dixit, vt & orationem pulcerrimam.

IOAN. SOAREZ LVSITANVS.

EPiscopus Conimbricensis, comes de Arganil, vir singulari beneficentia ornatus, & apprime eruditus, edidit commentarios *in Euangelium Matthæi*, multis vtilissimis tractatibus distinctos. Quorum initium est. B. *Apostolus & Euangelista*. Floruit in Concilio Tridentino celebris. Scripsit & in Marcum & Lucam Euangelistas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LVDOVICVS HVRTADVS.

D. 4. VIr pius & eruditus, Mexici noua in Hiſpania florens, eleganter ſcripſit ad Chriſtophorum Ordinis Priorem Generalem librum, *De incremento & vtilitate Ordinis Auguſtiniani in India noua Hiſpaniæ.*

LVDOVICVS LEGIONENSIS.

REgni hic Caſtellæ eleganti præditus ingenio, in litteris Latinis, Græcis, & Hebraicis non mediocriter verſatus, ac præter excellentem in omni omnium bonarum doctrinarum genere cognitionem, in explanandis diuinæ ſcripturæ libris valde commendatus, in clariſſima Salmanticenſi Academia S. Theologiam profeſſus eſt, ſcripſitque Latine atque erudite *in Cantica Canticorum*: quem Commentarium & populari ſermone ciuibus ſuis tranſcripſit, ac *de probæ matris familias* officio B. Ambroſii exemplo: itemq; Dionyſii Areopagitæ exemplo docte *De diuinis nominibus* diſſeruit. Legimus & Salmanticæ Latinum eiuſdem Commentarium anno 1590. typis G. Foequelii *De vtriuſque agni typici ac veri immolationis legitimo tempore* terſo ac polito ſtylo conſcriptum. Cum enim Leuitici 23. Capite Moyſi præcepiſſet Deus, vt 14. die menſis primi ad veſperam agnus typicus immolaretur, paſcha vocatum, veſperam autem Hebræis à pomeridiana luce auſpicari, quod erat diei initium, non ab ortu ſolis, vt male Caietanus in Geneſin, aliique crediderunt. Argumentis itaque euincit in prima veſpera, hoc eſt, initio diei quartæ decimæ agnum typicum à Iudæis, cum ex Ægypto Moyſe Duce egreſſi ſunt, immolatum fuiſſe. Adhæc eo ipſo tempore à Chriſto fuiſſe occiſum, Chriſtumq; adeo ipſum, qui verus eſt agnus, tollens peccata mundi, intra eiuſdem 14. diei ſpacium à Iudæis in crucem actum, ſe immolaſſe Deo Patri. Sic difficilia & obſcura in Euangeliis loca meridiana luce clarius explanauit. Vtinam reliquæ eius ſcripta, ſodales euulganda curarent hominis immatura morte prærepti. Semper enim immatura mors videri ſolet eorum, qui bene de ſtudiis merentur.

LVDOVI-

LVDOVICVS DE MONTOYA CAſtellanus.

MOribus inſignis, & celebris cõcionator, atq; ordinis ſui in Luſitania Prior Generalis, idiomate Hiſpanico ſcripſit ex quattuor Euangeliis *vitam Chriſti* in modum Soliloquiorum animæ ad Deum. Obiit Olyſſipone.

MARTINVS DE CORDVBA.

DOctrina & vitæ honeſtate celebris, primum in Gallia Tholoſanum, deinde Salmanticenſe in Hiſpania Gymnaſia ſumma auditorum frequẽtia annis plurimis rexit & gubernauit. Quo tempore cum Epiſcopatu Pacenſi cohoneſtaretur humilitate oblatam renuit dignitatem. Concionibus ad populum habendis ita excelluit, vt quocunque vellet, facile auditorum animos impelleret. Vt igitur ingenii ſui ſpecimen poſteris teſtatum relinqueret, hæc litteris conſignata foras dedit.

Expoſitionem in tria prima capita Geneſeos.
Commentaria in omnes diui Pauli Epiſtolas.
Expoſitionem in Apocalypſin B. Ioannis.
Hortus nobilium Virginum Iſabellæ Reginæ.
De laude Virginitatis, Religioſis velatiſque Virginibus dedicatum.

Obiit Vallisoleti, in Sodalium templo conditus.

MICHAEL THOMAS SALON VAlentinus.

DOctor Theologus, & publicus in patria Academia Thomæ Aquinatis interpres, edidit ingens poſt Dominicum Sotũ volumen *De Iuſtitia & Iure*, itemque ιβηρικὸν *De vita ac moribus Thomæ Villanouanæ*, ex eadem Auguſtinianorum familia Archiepiſcopi Valentini, doctrina, concionibus, eleemoſynis, vitæ denique ſanctimonia clari.

RODERICVS SANCTÆ CRVCIS LVSITANVS.

VIr in omni doctrinarum genere eruditus, summaque religione præditus, quem Emmanuel Lusitaniæ Rex plurimum venerabatur, Olyssipone, vbi litteras humanas & diuinas docuit, Commentaria *in Aristotelem & Magistrum Sententiarum* scripsit, quæ vna cum Ioannis Magdalenæ lectionibus & Benedicti Lusitani tractatibus ibidem in Sodalium bibliotheca asseruantur.

RODERICVS DE SOLIZ.

REgni Castellæ, vir admodum religiosus, & sacris litteris non mediocriter eruditus, a Pio V in regno Valentiæ, Aragoniæ, & Catholoniæ Visitator Ecclesiastes insignis, scripsit populari quidem sermone, sed ascēticum vtilemque Commentarium in priores aliquot Psalmi centesimi secundi versus: *Benedic anima mea Domine, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Item *Artem bene viuendi*, quæ ars est a Deo data Abrahamo ad vitæ perfectionem.

THEODORICVS VRIAS HISPANVS.

VIr non contemnendæ eruditionis, reliquit opus *de Consolatione Ecclesiæ*, Argentinæ olim excusum. Floruit ad annum Christi CIↃ. CCCC.

THOMAS VILLANOVANVS.

A Patria agri Toletani in Carpetanis cognominatus doctus, maximus disciplinę regularis amator & custos, diuinique verbi concionator ardentissimus. Hic Valentinus Archiepiscopus renunciatus, cum dignitatem pastoralis curæ susceptisset, nihil prioris sanctæ institutionis annis XI. omisit, sed orationibus, lectionibus scripturarum, meditationibusque sanctis & internorum contemplationi, nisi aliorum commodis vtilitatique seruiret, operam assidue dabat. Ad pauperes & indigentes multum erat misericors, quos, vt potuisset, pro Dei amore aliquantulum esurientes reficere ieiunus sæpius remanens, sibi competentia cibaria impertiuit egenis: vbicunque enim offendisset pauperem, mox sine dilatione quantum potuit

potuit illius inopiæ tam in amictu, quam in victu subueniebat. In omnibus erat pacificus, mitis, quietus, grauis incessu, dulcis eloquio, & iucunda morum maiestate ornatus. Adeo vero coram Deo se humiliare didicerat, vt etiam exteriori conuersatione nitor quidā gratiæ spiritalis relucens, internam cordis humilitatem palam cunctis ostēderet. In habitu suo nihil differebat ab aliis sui ordinis fratribus, in eius funere plusquā octo millia & quingēti lacrymantes pauperes interuenere. Reliquit Cōpluti excusos multos varioſque *Sermones*, grauissimis verbis sententiisque refertos, qui summa inquirūtur diligentia ab iis, qui in suggestum ascendere profitentur. Collegia duo instituit ac dotauit, vnum Compluti fratribus ordinis, alterum Valentiæ sacerdotibus. Vitam eius sanctimoniæ plenam, memoriæ, sed Hispano sermone, mandauit sodalis eius Michael Salon doctor Valentiæ Theologus: quam qui legit, næ ille rerum amore cœlestium inflammati Pastoris boni exemplar mirabitur. Quieuit in Domino a.d.VI. Idus Septemb. qui natali B. Virginis, cui addictus erat, anniuersario ritu sacer est, anno partus Virginei CIↃ.IↃ.LV. quo tempore eadem in vrbe Valentina Augusto mense Dominicana in familia Ioan. Micon, summa & ipse vitæ innocentia, in Domino exspirauit. Thomæ sepulcrum spectatur Valentiæ in Sodalium æde sacra B. Virginis opitulantis, hoc elogio:

CONDITVR HOC TVMVLO DO. FR. THOMAS DE VILLANVEVA ARCHIEPISC. VALENTINVS, DIVINI VERBI PRÆDICATOR EXIMIVS. QVI CHRISTI PAVPERES BENIGNA QVIDEM MANV NON SOLVM VIVENS FOVIT, SED AD EXTREMVM VSQVE SPIRITVM AMPLISSIMIS ELEEMOSYNIS EST PROSECVTVS. OBIIT DIE NATIVIT. VIRGINIS MARIÆ, AN. CIↃ. IↃ. LV.

VINCENTIVS MONTAGNESIVS.
Valentinus.

REgni Aragoniæ, vir omni disciplina, præsertim Rhetorica, Dialectica, naturali & diuina Philosophia mire eruditus, quas Valētiæ ciuitate percelebri apud Hispanos in publico Gymnasio profitus

est, succubrauit elegãtissima *in* omnes *Aristotelis Logicæ libros Commentaria*: Epitomen Progymnasmatum Dialecticæ. Item in Porphyrii Isagogen. Obiit Barcinone, anno CIↃ.IↃ.LXXIII. dum Priorem Generalem Thaddæum Perusinum comitaretur in Galliam: qua in vrbe tertio ante anno edidit De principiis S. Theologiæ, Prouincialis Aragoniæ & Catalauniæ.

FRANCISC. ACHRISTO LVSITANVS.

RElIquit *Prælectionũ* siue *Enarrationum admirabilis diuini verbi Incarnationis* libros VI. & in lib. 1. Magistri Sententiarum.

PETRVS DE ARAGON.

SCripsit commentaria in secundam secundæ D. Thomæ, *de Iustitia & Iure* Lugduni, an. *1596*.

DIONYSIVS VASQVES TOLETANVS.

THeologiæ apud Augustinianos Professor, & Carolo v. à Concionibus. Orationem habuit ad Leonem x. *De vnitate & Simplicitate Personæ Christi in duabus naturis.*

IOAN. GREGORIVS SATORRVS.

THeologiæ apud suos Valentiæ professor, scripsit de Laudibus atque excellentia nominis IESV Tarracone, apud Philippum Mey, 1585.

VI. CLAS-

VI. CLASSIS SOC. IESV THEOLOGORVM.

SERIES SOCIORVM.

FRanc. Bossa III. General.
Alfons⁹ Salmerõ.
Francisc. Turrianus.
Ioan Pet. Perpinianus.
Ioan. Mariana.
Alfonsus Pisanus.
Benedictus Pererius.
Blasius Viegas.
Christophorus Madridius.
Conimbricenses.
Ciprianus Soarez.
Emmanuel Aluarus.
Emmanuel Sa.
Emmanuel Vega Lusit.
Ioannes Osorius.
Ioannes Pineda.
Ioannes Polancas.
Ioannes de Torres.
Petrus Ribadeneira.
Francisc. Arias.
Franc. Suarez.
Francisc. Ribera.
Francisc. Toletus Card.
Gabriel Vasquez.
Gaspar Gonsalnus.
Gaspar Loarte.
Gaspar Astete.
Gregorius de Valentia.
Henricus Henriquez.
Hieronymus Torrensis.
Iacobus Ledesma.
Ioannes Azor.
Ioannes Maldonatus.
Iosephus Acosta.
Ludouicus Crucius.
Ludouicus Molina.
Martinus de Zoa.
Melchior de la Cerda.
Petrus Fonseca.
Sebastianus Barradus.
Thomas Sanczez.
Alphonsus jera.

FRANC. BORGIA.

Societatis Iesu Præpositus Generalis III.

FRANC. Borgia dux Gandiæ diuinis incensus & inflammatus tædis, repudiato amplissimo patrimonio in Societatem Religiosorum nominis IESV adscribi voluit. Nobilitatem autem illam, quam ex laude optimorum studiorum & artium, decursis primum studiorum gradibus, sibi comparauit, quis pro dignitate celebrarit: Gandiæ gymnasium Societatis instituit, scripsitque Ascetica opuscula pietatis plena, Latine ab Alfonso Deca cõuersa. De ratione itẽ concionandi (interprete And. Schotto, qui & Hieremiæ Threnos libenter publice explanabat, hærentque libelli, veluti ederæ, vitæ eiusdem à P. Ribadineira Hispane, Latine vero ab eodem Schotto vtroque Societatis, eiusdem sacerdote conscriptæ Antuerpiæ, typis Trognaesianis & alibi,

DE

DE VITA, OBITV, ET SCRIPTIS ALPHONSI SALMERONIS,

Vnius E Decem Primis Ignatii Loyolæ Sociis.

PET. RIBADENEIRA TOLETANVS Societatis IESV presbyter Hispanice conscribebat, Latine And. Schottus.

ALPHONSVS Salmeron, Toleti (quæ vrbs olim Carpetanorum, nunc regni Castellæ nouæ caput, Regumque Gothicis temporibus sedes) natus est, ante diem sextum Idus Septembris, anni Millesimi Quingentesimi decimiquinti, tenuibus quidẽ parentibus, at honestis, integrisque natalibus. Patrem nomine retulit: Mater illi Marina Diaz fuit, Toletani agri pagis Olias & Magato vterque oriundus; filium ingenue, pieque educarunt. Puerilem indolem, promptoq; ingenio perspecto, parentes iis literis, quibus ætas puerilis impertiri debet, filium erudiendum curant, Complutumq; mittunt. Erat in puero, præter docilitatem ingenii, summa suauitas vocis, & actionis venustas, vt non celeriter solum acciperet, quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. Benedicendi vim, humanitatis artes, Græcas literas, supra ætatis captum, auide imbibit, vt vtraq; lingua declamitanti non raro ceteris vni in Gymnasio antecellere, præmiaque auferre contigerit, qua laude nobilis etiam tum puer inter æquales ferebatur, clariusque exsplẽdescebat, quam æquo alii animo ferre possent: itaque incitabat omnes studio suo, pareſque & eruditos conciliabat. Philosophiæ post curriculo exacto, Lutetiam Parisiorum studiis iam tum florentem, at-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que ingeniis Academiam, vna cum Iacobo Laine tanquam ad laudandarum artium mercatum proficiscitur, vt sacras litteras suo, & Ecclesiæ commodo perdisceret: moresque hominum, ingenia, & vrbes videret: scholas, bibliothecasque discendi flagrans cupiditate lustraret. Sic enim sapientiam tanquam è terræ venis laborando, hauriri, prudentiamq; peregrinando parari inaudierat. Hic IGNATIVM Loyolam tanquam vitæ, consiliorumque ducem nactus, ad illius se mox amicitiam exemplo Laynis contulit: cuius etiam noscendi gratia, famæ adhuc celebritate in Hispania vigente eodem accesserat. Confectis & his Theologiæ spatiis, cum cæteris ad Ignatium adiunctis sociis, Lutetia pedibus iter faciens, in Italiam venit ante diem XVII. kal. Decembris M. D. XXXVI. euocatus cum aliis ab Ignatio. Hic tum Venetiis in Nosocomio ægrotis, & inopibus ministrauit: inde Romam nondum à se visam contendit, reuersus Venetias sacris rite initiari cœpit. Dehinc Monte Celio in Oppido, vna cum Francisco Xauerio, post etam S enis cũ Paschasio Broeto Ambianensi vilibus sese officiis, pietatis tamen & amoris plenis, exercuit, societatem vna constituit, Ignatiumque suffragio cum cæteris, & Laynem inde Generalem creauit: Ante diem Idus Septembris, anni (vt opinor) M.D.XLI. in Hiberniam Pontificis Max. auctoritate Nuntii Apostolici titulo, Roma cum Paschasio mittitur. Quæ non hic pericula terra, marique adierunt? illinc à Gallia, quæ bello tum flagrabat intestino, hinc à Britannicis nautis. Certe victus sæpenumero, stratumque quieti defuit, dum varie per sola loca summo vitæ discrimine iactantur, vti ne orationi quidem vacuum spatium daretur. Cognito tandem ab Anglicis mercatoribus hoc agi, vt Henrico Regi octauo Pontificiæ tum Sedis acerrimo hosti, pretio traderentur; in Scotiam, ex Hibernia fugere coacti sunt, iussu Pontificis, vt pari illic fide, & integritate munus obirent, misso etiam diplomate auctoritatis pleno.

Verum infecta re Lutetiam repetũt. Hinc pedibus sine viatico,
1541. vt nuntios vere Apostolicos diceres, insequentis anni M. D. XLII. mense Quinctili Romam properant; cum ecce tibi Lugduni Segusianorum, quasi exploratum venissent, capti in custodia habentur. Post cogniti à Turnonio, & Gaddio Cardinalibus amplissimis, qui tum forte Lugduni agebant, vinculis liberati, honorificeque Romam versus dimissi, & viatico instructi. Nec Romæ cessatum à Salmerone, aures rite confitentibus dare: de verbo Dei ad populum verba

verba facere, cetera societatis munia exequi gnauiter. Aprili vero sequentis anni M. D. XLII. Mutinam postulante Ioanne Morono Cardinali, eiusque Sedis Episcopo proficiscitur. Sudatum hic à Salmerone, vt nutantium ciuium animos in religione maiorum confirmaret. Æmuli tamen, dæmonis artibus instructi, in tam honesto Salmeronis labore, non deerant, qui de eius existimatione sic detrahebant, vt extinctum velle ostenderent, quo impune inter incautos grassarentur. Romam itaque extremo anno quarto, & quadragesimo, sui purgãdi gratia adiolat: rei omnis gestæ ratione cõstare vult, & innocentiam probat, ita maledicos facile repressit. Romæ in Societatis templo assidue concionatus ad annum vsque sextum, & quadragesimum, quo vna cum Layne in Synodum Tridentum indictam, vt Pontificius Theologus sese contulit. Hinc Bononiæ conuẽtu Patrum habito; translatoque, ob infecti aeris pestilentiam Tridenti ortam, ita vterque qua differendo, qua sententiis dicendis, operã præclarã nauauit, vt magna eius Concilii pars, quemadmodum, & in Laynis vita ostendimus, ambo putarentur. Intermissus conuentus est, vacuumque ALPHONSO spatium datum concionibus, ceterisque Societatis officiis obeundis: afflictis enim succurrere, subsidioque esse, vt & Bononiæ antea, atque Venetiis: quo Layne comitatus negocium gessit, vnaque impetrauit à senatu, populoque Veneto, vt opimum Sacerdotium ad Diuæ Magdalenæ, cedere vellent, iuberentque Collegio Patauino Sociis extruendo, ex gratuita Andreæ Lipomanni munificentia Societati attributum. Secutum est vernum quadraginta dierum ieiunium anni (opinor,) M. D. XLIX quo magno hominum concursu, atque frequentia, Belluni (oppidum id ditionis est Venetæ) assidue cõcionatus, zizania, quæ finitimarum gentiũ opera, in agro Domini humani generis hostis, noctu disseminare cœperat, radicitus euellit, magno incolarum bono, quibus & animos aeri oratione in religione maiorum constanter retinenda addidit. Bononiam hinc reuertit, mensibusque aliquot consumptis, ab Ignatio in Germaniam mittitur, vt Bauarici Collegii fundamenta sociis iaceret: quod Gymnasium Ingolstadii Gulielmus Boiorum Regulus liberaliter, pieque constituit. Salmeron hic sacras docendi literas munere, post Ioannem Eckium, (validum illum Catholicæ fidei in Germania, vna cum Cochlæo aduersus Lutherum aduocatã) suscepto, Dion. Paul. epistolas de superiore loco, magna & audientiũ corona, & illustratione

fructuque incredibili, explanauit. Tridentum iterum in Concilium quod instauratum Iulius III. mandarat, rediit, hæsitque quoad ciuilibus iterum tumultibus interruptum est, Aprili mense anni M. D. LII.

Igitur Neapolitanum in regnum Prouincialis Præfecti Imperio Ignatii iussu, proficiscitur. Humilem hic domum subiit, & qua erat animi demissione, cum terram iaciendis fundamentis erueret, ipse dies aliquot cophino humeris impositio, baiuli in morem laborabat, sociisque exemplo præibat. Ibidem ita perpetuo vixit, vt merito omnibus ad extremum vsque diem esset carissimus. Hic si prudentem tantum ALPHONSVM dixero, minus, quam debeam, prædicaro. Periculi n. non ignarus ad excellentem doctrinam, qua plurimum valuit, zelo etiam domus Dei, religionisque Catholicæ flagrans, conciones, lectiones, sermonesque inter ciues ita moderabatur, vt dicendi vehementia concitatos, nutantes, lapsosque erigeret, constantes & confirmaret magis. Ad hæc ignorantiæ errorumque caliginem dissipauit, lucemque reddidit: rem denique publicam, fidemque sartam tectam constituit: quod vnum è multis Salmeronis eximium in Neapolitanum regnum, beneficium extitit, meritoque hodie prædicatum, illi, secundum Deum, acceptum est referendum. Tanti enim refert in primo statim ortu errores opprimi, quanti ad valetudinem tuendam venienti morbo succurrere, & nata statim incendia restinguere, priusquam domum ædesque vicinas flamma depopuletur. *Cancer n. hæreticorũ* (teste Apostolo) *semper serpit.* Quod exemplum si in aliis Christiani orbis prouinciis secuti Principes, qui & possunt & debent, ad communem flammam continuo opprimendam, aduolassent, melius sane se res Christiana, constantiusque haberet. Tertio iam & quinquagesimo supra millesimum, & quingentesimum anno, vernis iciuniis in æde Annunciationis B. Virginis, insequenti vero anno ad Diui Ioannis maioris: post in æde summa summo concursu ciuium, nobiliumque vrbis inclytæ, concionatus ALPHONSVS: in corona religiosorum hominum, qui quotidie confluerent, à dicentis ore pendentes, quæ dicta præclara essent, calamo excipiebant. Dominicis festisque diebus assiduè de verbo Dei in suggestu summa alacritate, dicendique vi ad populum disseruit: promeridianis etiam horis sacræ scripturæ libros explanandos sponte susceptit: His in administranda prouincia rebus ex animi sententia, reique publicæ, & Ecclesiæ commodo

modo gestis, Romam Pauli Pont. III Lauctoritate, anno M. D. L. VI accitus, Cardinali Pisano in Belgium legati nomine Apostolici proficiscenti comes datus. In quo itinere illud minime celandum, quamuis nonnullis leue visum iri putem. Basileam enim delatis, quæ Heluetiorum fœderata ciuitas est, dies aliquot morari visum est. Senatus audito Salmeronem Ecclesiasten apud suos egregium, doctumque Theologum, ministros cum illo disputare de fidei controuersiis iubet. Illi, ne quid existimationi decederet, aut doctrinæ quam promulgarent, pugnam detrectare non audent. disputatum vtrinque acriter. ALPHONSVS Romam vix redierat, cum idem Pontifex vna cum Apostolico Nuntio Aloysio Lipomano, Veronensium Antistite, singulari pietate & doctrina prædito, meritisque in Ecclesiam collectis, Sanctorum vitis claro, in Poloniam mittit: quo sociorum primus ALPHONSVS penetrauit: hodieque tot Collegia spectantur egregia, vt Prouinciæ Societatis formam constituant. Hic ita se gessit, vt redeunti Paulus Pont. officium Apostolicæ sedi ab eo præstitum, collaudarit. Hinc rursum in Belgium ablegatur, inita iam recens, optata pridem ab omnibus pace cum Philippo Rege Catholico, & Pontifice. Comes enim datus honoris gratia Salmeron vna cum Petro Ribadeneyra Carolo Caraffæ, Pauli IV. agnato, quem ad Regem in Belgium legatum mittere constituerat. Igitur ante diem 15. Kal. Nouem. M. D. LVII in viam se in Galliam Belgicam versus dederunt. Hic in Regia Bruxellis ALPHONSVS Italice ad Legatum de verbo Dei disserebat: cum quo reuertens, Ribadeneiram in aula manere iussit: qui deinde hæc non audita, sed cognita prædicabat. Insequenti vero anno Romæ in Iacobo Layne Præposito Generali deligendo præsens ALPHONSVS comitiis interfuit. Quo sociorũ conuentu tandem dimisso Neapolim & ille reuertit, mansitque ad annum vsque alterum & sexagesimum: quo Laynem Pius IV. qui Pauli IV. obitu vacuam B. Petri sedem occuparat, in Galliam Celticam vna cum Hippolyto Estensi Cardinali legato miserat: quo Galliam armis vexatam, ad fidei constantiam retinendam reuocarent, & ad concordiam adigerent. Romam itaque accitus ALPHONSVS est, vt vicariam Societati absente Layne operam præstaret. Gessit hoc munus egregie quoad Tridentum tertium iam ad instauratam Synodum profectus est. Hic Layni assiduus comes fuit laborum, vigiliarumque, Concilio quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que ad exitum adducto, dimissoque Patrum cœtu Neapolim rursum redire iussus ALPHONSVS est, rei gerendæ gratia: quem secessum loci genio amœnum ad salubrem valetudinis, & publici commodi gratia adamauit: mansitq; perpetuo, nisi si quando Romam excurrere cogeretur, dum conuentus senatorum haberetur, Præpositis deligendis. Etenim anno post octauo, qui est Christi M. D. LXV. Franciscus Borgia ex Duce Gandiæ Societatis Iesu presbyter, præpositus generalis tertius cõmuni suffragio renunciatur. Nono vero post creatus Euerardus Mercurianus, Euburo. Demum nono altero anno M. D. LXXXI. a pio Quinto euocatus Salmeron, vernis quadraginta dierum Ieiuniis Pontificis Ecclesiasten egit: sed postremum id concionandi munus obiit, quod ætate fessus, studiis laboribusque fractus fatisceret, dentibusque, qui ad pronunciandum articulate plurimum iuuant, careret, nec satis firmis iam lateribus, ad concionandi labores esset. Huc accedebat, quod aulam natura fugeret, secessumque amaret, studia quoque in obscura vita a latentibus tractari melius competisset. Missione itaque licet ægre a Põtifice impetrata, Neapolitanum in otium reuersus, in bibliotheeam sese abdens, cum veteribus amicis in gratiam rediit: vt qui vita iam voce docere præsentes corporis imbecillitate non posset, scriptis saltem ingenii monumentis, posteritati etiamnum viuus interesse videretur. Animum itaque ad scribendum adpulit, & sacrarum scripturarum libros, (qua lectione ita semper capiebatur, vt reliqua vel fastidiret, vel eodem referret omnia) Noui potissimum Testamenti volumina illustranda suscepit. Studiorum vero sacrorum hanc semper rationem tenuit, vt orationem sacra lectio, lectionem oratio exciperet. Solis enim ortum antelucana diligentia longa precatione anteuertere solitus, hinc diurnarum pensum horarum persoluere, Litaniamque sanctorum recitare, mox rem diuinam quotidie faciens vota persoluere. Nec dies vllus temere intercessit, quo non rebus omnibus, negotiisque alienis prolatis, Liturgiã ageret, sacris rite attenteq; operatus. Dici mox reliquum, promeridianumq; tẽpus studiis continenter impertiebatur, integra semper, & corroborata vsus ad inuictũ animum valetudine. Sic horas omnes, dum ecclesiæ tempus vrgeret, transigere. Hic quæ attente lectitasset, meditandoq; eruisset, ea litteris mandare solitus. Pertinaci hoc labore vigilus tandẽ debilitatus, spiritu prius tentatus est quæ

quæ in ardentem mox febrem, laterumque dolorem vertit, lectuloque senem affixit. Ille mortem animo præsagiens familiaribus suis multis retro diebus: *Velox* (inquit) *est depositio tabernaculi mei.* Interdũ vero vitæ finem vrgere prædixit, sanus adhuc, valensque, priusquam in lethalem morbum incideret, nulla de re aut libentius aut frequentius, quam de morte sermones serere, & audire: vt hinc facile Socii diuinarent mortem iam in votis habuisse. Ortum forte pium cum minoribus natu Patribus colloquium erat. Hic ALPHONSVS uehementi oratione, *Laborate* inquit, *iuuenes dum integra vobis ab ætate sunt vires.* De se vero suspirans, Iob illud intulit: *Ego autem expecto donec veniat immutatio mea.* Venerat eo ipso tempore Neapolim vidua nobilis, cuius magna exstabant in Societatẽ beneficia: hic é Patribus quidam non ab re fore ait, si illam officii gratia Salmeron validus adhuc intiseret. At ille renuit: satis sibi in affecta hac ætate negotii esse, ad mortem bene se comparare. Libris itaque clausis, scriptisq; omnibus valere iussis, hoc agebat vnum quasi iam vniuersæ carnis viam ingressurus. Medicis vt solent, animum blandis verbis ægroto addentibus, bono vti animo esset, non adeo cito interiturum: constanter ille quod euenit, fore vt viuorum è numero breui eriperetur, affirmabat. Dicente altero: Confide, pater, equidem dabo operam quoad licebit, vt conualescas. Ad hæc ille: *Da potius operam, bene vt moriar, cælumque petam: id enim mea permagni refert, quoniam melior est misericordia domini super vitas.* Interrogatus a socio sacerdote, vt haberet, hilari vultu respondit: *Oblationem est de præterito, præsenti, & futuro.* Alio quærente libenter ne mortem obiret, dictum illud Episcopi cuiusdam apud Augustinum intulit. *Si aliquando? cur non modo?* His persimilia mentem animi testabantur, quidque illo fieri vellet Deus. Igitur licet rite confessus ægrotans, sacra diuinæ hostiæ mysteria sumpsisset, iterare tamen sacramenta, totiusque actæ vitæ etrata, in tutis sacerdotis auribus deponere voluit. Allato itaque pane Angelorũ viatici nomine: *Expectate* inquit *venis Deus.* Cumque virium imbecillitate membris vti non posset, in cubitum tamen nixus, admirantibus, qui aderant Sociis, assurrexit pieque est epulatus. Socii obnixe rogant vti vita migrans, bene illis dicendo crucis signo precaretur. recusarat enim, qua erat animi modestia, ad eum diem: victus tandem precibus sublatisque in cœlum oculis Deum venerans precatur Sociis. Latine locutus fuisse verbis, vt, qui aderant, affirmarunt: *Patres*, inquit, *mei optimi*,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& fratres in Christo charißimi ſemper ego vos dilexi, & nunc maxime diligo; etſi non habuerim intimam conuerſationem cum omnibus vobis: tamen ego ſemper vos dilexi, & deſideraui, vos peruenire ad eam vitæ perfectionem, ad quam vocati eſtis in hac ſancta Societate IESV. *Ego iam meæ conuerſationis & vitæ rationem redditurus, decreui nouo modo vos alloqui. Propterea quando Deus pro infinita ſua bonitate voluit me vocare, decreui vos benedicere noua benedictione. Precor igitur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt dignetur vos protegere, manutenere, & benedicere: vt poſſitis reſpondere huic beneficio veſtræ vocationis, & peruenire in regnum cælorum: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Gratiam quoque implorat, qua ratam Dei vocationem habentes, ſalui fiant. Mox eiaculatus blanda oratione ſic appellabat: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, Et. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Et id genus complura, tum vero è Pſalmis potiſſimum adhibuit, animo blanditias migrandi iaciens: crucis ſeſe ſigno frequenter muniebat: aqua item luſtrali aſpergens: nihil vero cruciare, animique tranquillitatem labefactare, ita vixerat, videbatur. Rogante ſocio meminerisne rogare pro Sociis? *Dubitare mihi videris* inquit: *quaſi vero tam ingratus ſim futurus.* Oleo iam ſacro cum inungeretur, ſedato animo ad ſingula reſpondit: rogauitque *quando octauus eſſet à B. Agathæ feſto die*, cras, inquit Socius, tum ille. *Hic vitæ noſtræ terminus eſt.* Nocte quæ ſubſecuta eſt, identidem illud balbutiens iterauit: *In vitam æternam*: Et. *Hodie vitæ ærumnis tandem eripiar.* Vſurpabat & illud: *Lætabitur anima mea in Deo meo.* Quid ita hilaris eſſet interrogatus? *Quod* (inquit) *miſericordia vias patefacere incæperit Deus.* Sanctorum litanias frequentius recitari iuſſit: quodque attentiſſime auſcultauit, de Chriſti cruciatibus, Euangelium; in quo & repetere quædam loca anagnoſten recitando iuſſit. Cum vox iam defeciſſet, labia agitare, cruciſque ſignum manu effingere; deficientibus tandem membris, oculos in Chriſti de cruce pendentis, Deipareque Virginis effigiem defigens acquieuit: quibus oculis fractis, clauſiſq; placide in Domino obdormiuit: vt ſomno tandem captus videretur, iuxta illud Prophetæ: *In pace in id ipſum dormiam & requieſcam.* Erat is dies Iduum Februarii anni, M. D. LXXX V. ætatis vero in ſumma hodie ſenecta, vndeſeptuageſimus: cui viro vix pietate parem noſtram tuliſſe ætatem vere videor poſſe contendere. De morte vbi increbuit Neapolitani ciues confluxere

fluxere ad ſpectaculum vniuerſi: Patritii etiam viri, & Prorex, manus oſculabundi. Archiepiſcopus item honoris gratia, ſolemni ritu, & habitu; omniſque adeo Clerus funus deduxit. Republica denique tota proſequente lachrymis, exequias, iuſtaq; vrbs ita perſoluit, vt facile deſiderium indicaret. Facta re diuina, is populi concurſus fuit, vt aliis capillos mortui vellentibus, aliis lacinias veſtis, & vngues, quæ religioſe omnia ſeruarent, detrahentibus, humi mãdari non potuerit. Sed dimiſſa plebe noctu in communi ſociorum crypta, ad aram maximam conditur in capſa, cui inſcriptum.

PATER ALPHONSVS SALMERON TOLETI IN HISPANIA NATVS, VNVS EX PRIMIS DECEM SOCIETATIS IESV, PRIMVS Q. IN REGNO NEAPOLITANO PROVINCIALIS. VIXIT ANNOS LXIX. MEN. V. DIES. V. OBIIT IN NEAPOLITANO EIVSDEM SOCIETATIS COLLEGIO. IDIB. FEBRVAR. ANNO A CHRISTO NATO M. D. LXXXV.

Duodequinquaginta annos, quos in Italia conſumpſit, concionibus aſſiduis, & confeſſionibus, ſtudiis denique, & commentationi ſacrarum literarum tribuit. Miſſiones multas ſuſcepit Pontificum auctoritate, pedibus ſæpenumero iter faciens, & ſumma viatici inopia, in vltimas regiones, rei gerendę cauſſa, magnoque Eccleſiæ cõmodo. His rebus fractus, ſenectam, mortemq; anteuertit, vt iam canſceret totus, dentibusq; careret. Illud in confeſſo eſt, Neapolitanis omnibus flebilem eius mortem accidiſſe, vt de Regno illo, tam benemeritus, quam qui maxime, per cunctas prope illius regni partes doctrina, ſermonibuſque in religione maiorum incolas confirmauit. Pios enim conſtanteſque in officio, qua hortando, qua docẽdo, retinuit, nutantes manu erexit, omnibus denique ſalutis viam oſtẽdit. Rectam idem concionandi viam commonſtrauit: frequentem Sacramentorum, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ vſum, iam pridẽ obſoleſcentem, reuocauit. Ciuibus afflictis ea perpetuo præſtitit officia, vt plura à parente proficiſci non potuerint. Vitæ ſanctimonia, atque innocẽtia omnes ceperat, etiã nobiliſſimos, vt animos omnium

moderari facile posset: quibus artibus & Proreges, summo illic cum Imperio agentes, deuinxerat: verum Principum gratia tantum vtebatur: non suo, sed aliorum emolumento, vel deprecandis miserorum iniuriis, vel incommodis pauperum depellendis. Huc enim potissimum curam, cogitationemque conuerterat, indigentibus vti prodesset, & odia, simultatesque penitus aboleret: ratus id quod erat, bene hic operam, vel temporis dispendio, collocari. Beneficiorum quæ in alios contulisset facile obliuiscì; meminisse in quem collata essent oportere ex stimabat. Occurrit forte vir nobilis, gratiasque comiter egit, quod apud Prætorem se in gratiam posuisset, quodque honore, quem pridem ambiisset potitus commendatione illius esset. Ad hæc Alphonsus: *Bene me de te vnquam meritum fuisse non memini: quid enim officii à me præstari possit non video. Illud scio pleraque à me negligenter, vitioseque geri.* De Societate vero ita meritum scimus, vt tria, hodieque Neapoli domicilia Sociorum spectentur, Professorum, Tyronum, & Collegarum in litteris versantium: quartum deniq; nuper additum. Corpore fuit compacto, & robusto, valetudinis perpetua vsus prosperitate, vt labores omnes, studiorumq; vigilias perferret. Iã inde à puero litteris valde addictus, vt incredibili discẽdi flagrans cupiditate, excelso ingenio, disciplinas omnes, quas scire doctũ æquũ est Theologũ perdidicerit, memoriaq; sit cõplexus: Poetas nimirũ, Oratores, historicos omnes præsertim Ecclesiasticos, Philosophos, Theologos q via, & ratione progressi in scholis regnant. Sanctorũ Patrũ scripta, Concilia deniq; & Pontificũ Decreta, tenaci memoria, qua præditus erat, tenebat. His artibus instructus, Tridentina in Synodo, cui cũ Layne interfuisse ostendimus, sententiam, Theologos inter & Episcopos de maximis fidei controuersisq; dogmatibus rogatus, ita respondit, fecitque satis, vt Patribus etiam admirationẽ concitarit. Tres ad hæc eruditas linguas, Latinam, Græcam, & Hebræam, quas Christus in cruce sanguine consecratas Ecclesiæ propagandæ destinauit, puer adhuc didicerat. In dicendo acer fuit, & vehemens, firmisque lateribus. Lectione diuinæ Scripturæ mirifice capiebatur, præ qua sorderent omnia, maximamque illi ætatis partem impendit. Quindecim vitæ postremos annos commendationi eius tribuit, scripsitque duodecim ingentia, in totum Iesu Christi Testamentum volumina. In decem quoq; priora Geneſis capita reliquit commentarios: cæterum meditantem mors oppressit. Quæ quidem lucubrationes, nunc tandem,

tandem lucem aspiciunt, foraſque datæ in vulgus apparẽt, pretium operę legentibus erit, difficilium sacræ Scripturæ locorum explanationem, Sanctorum Patrum sensa, atque decreta cognoscere. Mores doctrinæ persimiles, candor ingenii, facilitasque, virtutis item Religionisque studium in illo tantum fuit, vt nihil supra. Zelus porro Catholicæ fidei, odiumque hæreticorum acerrimum. Affinium, agnatorumq;, ne quid caro, & sanguis spiritui officeret, summa obliuio, Paupertatis ad extremum vsque diem, mirum studium, honorum item summa contemptio. Ambitionem itaque oderat, & adulationem. In susceptis Christi nomine rebus, incredibilem constantiam adhibuit, Rituum, & Ceremoniarum Ecclesiæ summum in eo studium. Duodecies vernis quadraginta dierum ieiuniis, egregie cõcionantis munus, Neapoli potissimum, sustinuit: laboriose quidem & summa vi, & alacritate, piscibus senex victitans, nec ieiunare vnquam intermisit. extremo tamen anno, qui idem vitæ finem attulit, & laborum, ouis ieiunia sustentauit. Non illud præteribo, scientia minime, vt solet, inflatum ALPHONSVM, sed summa animi despicientia, de se humiliter sentire, & loqui, sua nihil vendicare, aliena & vel minuta laudare solitum. Ab indoctoribus percunctando doceri, & ad verum euadere non erubuit. Lectionem Sacram publice Neapoli pomeridianis horis festo die habuerat; stupentibus qui aderant cunctis. Vir nobilis admirabundus: *plurane* (inquit) *studio, atque ingenio consecutus vnquam Laynes est?* Intulit (qua erat modestia, Salmeron, & in Laynem studio) *Tantum me ille doctrina superat, quantum ego tibi antecellere videor.* De rebus diuinis perlibenter, dum vixit, atque suauiter verba facere solitus: vt iniecta sacræ rei mentione in epulis, sermonem, vbi oblitus, quasi Deum pręsentem cernens, produceret. Interrogatus item de locis sacræ Scripturæ, ea vi in mensa, cibis abstinens, differebat, ac profligabat, quæ obiici contra solerẽt, quæstiones, (præsertim ab hęreticis, quos cane peius & angue oderat) vt coram spectare, manusque conferere videretur. Pransus quoque & cœnatus summa temperantia, nulla de re libentius, quam de Christo eiusq; matre Virgine (cuius perpetuo, quoad vixit, studiosissimus fuit) & loqui & audire consueuerat. Hinc & Sabbathis quadragenarii ieiunii in Deiparæ laudem cõciones instituit. In Catholicam maiorum fidem zeli nullum afferre maius testimonium possum. Situs enim ALPHONSVS, & sepulcro condendus cum esset, vir domi nobilis, his alloquiis Neapoli vsus fertur: *Iure* (in-

quis *talem, tantumque virum lugemus, qui scutum Ecclesiæ hæreticorumque malleus extitit.* Quod vere ab illo dictũ sæpenumero cõpertum. Neapoli quoque falsus rumor in vulgus manauit, in Germaniam ad hæreticos transfugisse: quam calumniam, vt dilueret, per vrbem publice mulo vectus, spectandum se præbuit. Romæ quoque Vicariam societati operam nauante ALPHONSO, & cum Pontifice quotidie, ac Cardinalibus agente, sparsus est Neapoli rumor, ad Gebennicos transiisse, verum Alcalæ Dux, qui Catholici Regis auctoritate tum præerat, mendacium edicto compescuit.

Operum P. Alphonsi Salmeronis, quæ exstant,

INDEX.

IN EVANGELIA LIBRI XII.

I. LIBER Προλεγομένων est in vniuersam Scripturam.
II. De Incarnatione, seu in primum caput S. Ioannis.
III. De infantia seu pueritia Christi Domini.
IIII. Historiam Euangelicam complectitur.
V. Explanatio est Sermonis Domini in monte.
VI. De Miraculis Christi Domini.
VII. In Parabolas Euangelicas, Sermones, seu Tractatus.
VIII. De disputationibus Domini.
IX. De sermone Domini in Coena, sed primo de sacro sancta Eucharistia.
X. De passione Christi Domini & morte.
XI. De Resurrectione & Ascensione Domini.
XII. Acta Apostolorum comprehendit.

IN B. PAVLVM ET CANONICAS

Epistolas libri IX. Tomis IV. in quibus & eiusdem Epistolæ de sacris ac fidei controuersiis ad doctos sui sæculi.

Primus liber Prolegomenis consumitur.
II. III. & IV. In Epistolam ad Romanos.
V. In vtramque ad Corinthios Epistolam.
VI. In Epistolas ad Galatas, Ephesios, Philippenses, & Thessalonicenses.
VII. In vtramque ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem.
VIII. Epistolam ad Hebræos explanat.
IX. In septem Canonicas Epistolas, & in Apocalypsim.

IOANNES MARIANA.

ELboræ (quod in Carpetanis est agri Toletani municipium, *Talabrica* hodie seu *Talauera*, vt lib IV. annalium asserit) natus, litteras bonas Compluti primum edoctus, Philosophicisq; ac Theologicis in Societate imbutus, Romæ primũ, mox Lutetiæ eadem professus, valetudinis tuendæ gratia in patriam reuertit, & singulari vir iudicio rerumq; gestarum memoria, etsi Theologica scribere commode posset, ad patriæ tamen historiam, Latinis illustrandam litteris, quod eo sæculo præstitum à ciuium suorum nemine dolebat, animum conuertit, scripsitque 30. annalium Hispaniæ libros diserte admodum grauique stylo, vt Thucydidis prudẽtiam ac Taciti acumen vnus complexus esse videatur. Docet enim miram rerũ in omnibus ætatibus vicissitudinem, mores deniq; ac iudicium informat. Qui Annales in Hispania primum visi, nunc demum trans Pyrenatos in Germania euulgati leguntur, ab eruditis hominibus, vt & eiusdem *de Rege ac Regis institutione* doctus ac iucundus commentarius, quæq; *de Ponderib. ac mensuris* Hebræorum, Græcorum, Romanorum, & Iberorum subtiliter disseruit. Cõcionator & ipse facundus, corporis forma egregia, fronte lata, grauiq; aspectu. Septuagenario maior, viridique senecta, Tolete, ac *de morte* commentari mortis assidue memorem ferunt, de se ipso tale pangebat carmen:

Elbora me genuit, Compluti mystica cepi,
Romæ & Lutetiæ dogmata quæ docui.
Sed fractus cælo atque labore, Toletum
Conscripsi Hesperiæ tempora prisca redux.
Est MARIANA *domus, Christi inter vita Sodales,*
Multiplicis Sophiæ cultus, amica quies.
An dabit exstinctus tarda vt post fata quiescam,
Voluere bis septem qui mihi lustra dedit?

FRANC. TVRRIANVS ET BARTHOL. TORRES.

CLaruit sacrarũ litterarũ atq; linguarũ, quæ quidẽ Theologo dignæ, Græcæ atq; Hebrææ. Cognitione TVRRIANVS oriũdus vico Herrera Episcopatus Valẽtini in studiis sacris à patruo Bartholo Turriano Salmãticæ Theologo Episc. Canariẽsis in B. Thomam Trinitate pereruditis posteris reliquit. Salmãticę & Venetiis edidit. Romã grandior se Franciscus cõtulit, & Theologi nomine à Pio iv. Pontifice Max. Tridentum, quo Conciliũ indictũ erat, mittitur. Orta vero iam Societate IESV, ductu B. Ignatii Loiolæ, famaq; Tridẽti singularis doctrinæ nomine clarescente Iacobo Lamesio, vna cum Alfonso Salmerone, senex licet huic Societati aggregari Turrianus exoptauit, vt editis iam aliquot Florentiæ sacris ingenii monumẽtis, Torrensis cognomine, quod reliquũ vitæ esset, propugnandæ Ecclesiæ Catholicæ matri nostræ impenderet. Turriani induto nomine quod alium in Societate Hieronymum Torrensem reperisset.

Quo in certamine adeo strenue depugnauit, vt ad extremum vsq; spiritum diuini Verbi gladium tractarit. Oplothecam enim seu armamẽtarium electorum à se scriptorum pro Ecclesia Dei, dum molitur, vix carceribus stadii egressus, hinc morbo abripitur ad æternæ beatitudinis metam festinans. Romæ decessit in Professorum Societatis domo an. CIↃ. IↃ. LXXXV. Catalogum Scriptorum eius, quo digeri à Typographis possent ordine, subiecimus.

OPERA

OPERA

P. FRANC. TVRRIANI SOCIET. IESV THEOLOGI.

Quæ reperiri potuerunt Omnia

Tomis IV. distincta.

Quibus Dogmata, Concilia, Fideique Controuersa è SS. Patribus ac Græcis accure disputantur. &c.

OPERVM

P. FRANC. TVRRIANI S. I.

INDEX.

Tomus Primus. Canonica continens.

CONSTITVTIONES *Apostolorum. Clementis* cum Commentariis.

Pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum, aduersus Magdeburgenses.

TOMVS II.

Synodalia & dogmatica continens

Dogmatici characteres, lib. IV.

De peccato originali, & Conceptione B. Virginis ad Iac. Amiotum.

De Iustificatione & Electione diuina.

De summi Pontificis supra Concilia auctoritate.

Florent. *De Synodo sexta, septima, & octaua Oecumenica.*

De Hierarchicis ordinibus.

Dilinga in 4. Florent. in 4. *De residentia pastorum* ad Hieronymum Scripandum Card.

In Monachos apostatas.

De dispensatione bonorum Ecclesiast.

De sola legis & Prophetarum lectione Iudæis permittendam.

TOMVS III. CONTROVERSIAS CONTINENS.

Colonia in 4. *Defensio locorum Scripturæ, de Ecclesia Catholica, & eius pastore.*

De Ecclesia, & ordinationibus ministrorum Ecclesiæ aduersus Capita disputationis Lipsicæ.

De S. Eucharistia contra And. Vrlanum.

Apologeticus contra Boquinum.

TOMVS IV. E GRÆCO CONVERSA.

S. Nili Capita CL. de Oratione.

S. Diadochi Capita L. de profectione spiritali.

In Dionysium Areopagitam Joan. Cyparisioti Commentarius.

PETRVS IOANNES PERPINIANVS *Valentinus.*

MAgna plane ac mirifica *In Petro Ioanne Perpiniano* indoles ad eloquẽtiam extitit, cuius admodum adolescẽtis ingeniũ (quod de Hortensio accepimus) item vt Phidiæ signũ simul & adspectum & probatum est: sic prorsus, vt florẽte adhuc ætate omniũ suffragiis, non in disertorum modo, sed in eloquentium etiam numerum perueniret. Nam & adolescentulus in Lusitania cũ primis dicendi laude floruit, & in Italiæ, Galliæq; luce spectatus ingenii gloria sic excelluit, vt paucos haberet pares, superiorem fortasse neminẽ. Quod quidem hoc etiã admirabilius videri oportet, quo in ipso ætatis flore (nondũ enim quadragesimũ annum attigerat) cum maxime ad eloquentiã efflorescere in religionis propugnatione Parisiis extinctus est. Hic n. par ingenio ac virtuti suæ theatrum nactus, vbi cum teterrimis opinionũ mõstris decertaret, post multorũ mensiũ certamina nõ minore impiorũ gaudio, q̃ bene sentiẽtiũ mœrore spiritũ effudit in victoria. Atque vtinam longior ei vita suppeditasset, vt præclara illa dicẽdi vis maturitatem suam consequi potuisset. Profecto esset (etsi alii nostra ætate nõ desunt) quẽ cũ antiquitate, cumq; eruditis illius

illius sæculi oratoribus quodammodo cõferremus. Omnino illum ad Iulianũ orationis genus natura ipsa ducebat, efferebat se in eo illa, quam eloquentiæ parens optat, in adolescente fœcunditas: non desiderabatur id, cui idem ille suam in hoc genere excellentiam acceptam refert, studiũ vrgendi styli, accuratæq; scriptionis. Quod si ei contigisset, vt ad M. Tullii, cuius dicendi laudem summo studio æmulabatur, quæ quinque & viginti annis longior fuit, peruenire; næ illi ad eximiã summi oratoris speciẽ, ac similitudinẽ, quam propositã habebat, haud paulo propius accessisset. Etsi autẽ in quinque primis orationibus, quas adolescentulus effudit, nonnulla sunt, quę non satis deferbuerunt; ea tamen sunt eiusmodi, vt, quod de iuuenilibus suis scripsit Cicero, non tam re, quam spe & expectatione laudentur. Nimirum satis cõstat, eum, cum se natura duce ad diuini in dicendo hominis imitationem totum cõtulisset, aliquot etiam ante annis, quã vita decederet, in summis nostrę ętatis oratoribus numeratũ. Itaq; habenda est Deo gratia, q; talis Societati vir, diuino munere datus, concessusq; sit, vnde politiorum litterarum studiosi non imitandi solũ Ciceronis rationem percipere, verum etiam piæ Christianæq; eloquẽtiæ formam petere possemus. Atq; vt eius in hoc genere pręstãtia testata magis ac perspecta sit, pręclara de illo Q. Marii Corradi, Pauli Manutii & M. Antonii Mureti testimonia proferemus. At quorum virorũ? nempe eorũ, qui nostra tẽpestate eloquentiæ lumina sine controuersia fuerunt. Q. igitur Marius Corradus in Epistola quadam ad Perpinianũ: *Marcellus*, inquit, *frater meus, qui superioribus diebus Roma ad nos rediit, miros de te mecũ sermones agitat quotidie, & omnino tibi vix vnum aut alterum confert plurimarũ artium scientia, splendere orationis acumine ingenii, & omniũ elegãtia, & grauitate studiorũ.* & in alia ad eundẽ Epistola: *Sic itaq; ex his rebus te velim existimare tibi deuinctũ esse, memõriãq; nominis, scientiæ, & virtutis tuæ in omne tempus conseruaturũ: Colere enim soleo doctissimos homines, vt nullos Romæ, paucissimos in Italia esse sciã tui similes, quibuscũ mihi amicitia nõ sit, aut vsus litterarũ.* Paulus autẽ Manutius Zerbino Ritio ita scribit: *Decessit alienissimo tẽpore, cum ad eum salutaris doctrinæ dogmata & loco superiore ostendentẽ omnis omniũ concursus fieret, cũ hæreticæ factionis insidias patefaceret, impetũ frãgeret, tela retũderet; decessit*, inquã, *florente adhuc ætate nimis immatura morte, summo ingenio vir, incredibili scientiæ copia, maxima iã apud omnes bene sentiẽtes existimatione & auctoritate Perpinianus noster.* Mureto porro sermonem exponens habitum cum Dario Bernardo, *scribit in hunc modum: variarum Lectionum lib. 15. Cap. 1. Habet &*

Italia præclaros viros, qui & ornatißime scribant, & diſertißime ac copioſſißime, cum opus eſt, loquantur. Manutium, inquit fortaſſe dices, & Sigonium, & Ioannem Petrum Maffeium, aut eadem ſodalitate eum, cuius audita morte, vbertim tibi nuper lacrymas iſſe memini, Perpinianum, & ſi quos tales vix ſingulos ſingulas ac tales ferũt, & iſtos inquam & alios, quamquam is quidem, quem tu poſtremo loco nominaſti Hiſpanus, non Italus fuit: ſed ita diu in Italia fuerat, vt pro Italo haberi poſſet, quem tu virum, Dari, vtinam audire potuiſſes, neque te, quo tempore ille in hac vrbe eloquentiæ præcepta tradebat, alio vitæ genere implicatum aula tenuiſſet: numquam enim quẽquam audiſti, ac ne audies quidem (vt opinor) in quem illud de Neſtore eclogium melius conueniret, cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio. Sed quid externis præconiis Perpiniano opus eſt? Satis iis, qui modo eius ſcripta legerint, tacito quodam domeſticoque praeconio ſe ipſe commendat, nullius vt teſtimonium magnopere commendationemque deſideret.] Hæc Horatius Turſellinus eiuſdem Societatis.

XIIX. ORATIONVM PERPINIANI *Index*

De laudibus S. Elizabethæ, Luſitaniæ Reginæ, Orationes tres.
De Societatis IESV *Gymnaſiis*, I.
In funere Ludouici principis Luſitaniæ.
De Rhetorica diſcenda.
Ad Carolum Borromæum Cardin.
De Deo, trina, & vno.
Ad pium IV. *Pont. Max.*
De auita dicendi laude recuperanda.
De retinenda veteri Religione, ad Lugdunenſes, I.
Ad Pariſienſes quinque orationes de eadem re.
De humana & diuina Philoſophia.
De perfecta doctoris Chriſtiani forma.

SOCIE-

SOCIETATIS SCRIPTORVM AC THEOLOgorum in Hiſpania variis trans Pyrenæos locis editorum ſeries.

ALPHONSVS PISANVS TOLETANVS.

SCRIPSIT *de abſtinentia & continentia: Nicenum Concilium*, è Græco Latinum reddidit Coloniæ 1560.

ANTONIVS VELLESIVS Luſitanus *notas* dedit *ad Emanuelis Aluari Grammaticam Latinam* Eboræ 1599.

BENEDICTVS PERERIVS Romæ, à puero in Societate educatus diſertus, ac doctus primum libros octo edidit, *de Phyſica auſcultatione in cuius extremo, de mundi æternitate* ex Proclo, vt & lib. 4. de Philoſophorum ſectis atque ætatibus. Idem *de Magia & Aſtrologia, Commentarium in Danielem, in Geneſin Tomos 4.* item *diſputationum Tomum in Exodum*, & alterum *in epiſtolam Pauli ad Romanos.*

BLASII VIEGAS *Commentarius in Apocalypſin* Lugduni 1602. futuri verius ſpecimen operis, quod expectatur.

CHRISTOPHORVS MADRIDIVS, ſcripſit *de frequenti communione.*

CONIMBRICENSIS ACADEMIÆ apud Luſitanos commentarii docti *in Ariſtotelis Logicam, Phyſicam, libros de anima, & Ethica.*

CYPRIANVS ZOAREZ LVSITANVS, *Rhetoricam edidit.*

EMANVEL ALVARVS, *inſtitutionem grammaticam* vulgauit, cum ſuis etiam in præceptorum gratiam Commentariis.

EMANVEL SA, ſcripſit *Aphoriſmos*, ſeu *de conſcientiæ caſibus* apud Trognæſium: & Coloniæ item *in 4. Euangelia gloſſas*, & *in vetus teſtamentum* apud Plantinianos.

EMANVEL VEGA: eius ſunt *aſſertiones de Euchariſtia*, item cum theſibus aliorum Vilnæ 1581.

FRANCISCVS ARIAS Bæticus compoſuit libellum, *de imitatione Deiparæ virginis, de oratione mentali; de frequenti communione, de mortificatione; de vera differentia ſui; de profectu ſpirituali, & alia plurima quæ Hiſpane, Latine, Gallice & Belgice edita.*

FRANCISCVS SVAREZ commẽtatus est *in tertiam D. Thomæ* 5. voluminibus. Eiusdem *Metaphysica.* Scripsit *item de concursu Dei de scientia futurorum contingentium: auxilio efficaci, libertate, diuinæ voluntatis reuiuiscentia meritorum de Iustitia Dei.* Molitur & alia.

FRANCISCVS RIBERA commentaria dedit *in 12. Prophetas Minores*: item *in eosdem compendium: in Apocalypsin: in Epistolam Pauli ad Hebræos*: item *de templo Solomonis. vitam B. Teresæ religiosæ.*

FRANC. TOLETVS è Pontificio Theologo atque ecclesiaste Card. creatus, scripsit *in Ioannem, Lucam: Epist. ad Rom. Institutionem Sacerdotis: in Logicam: in Physicam: in libros tres de anima.* Huius infra elogium virtuti debitum apponere non grauabor.

GABRIEL VASQVEZ *in primam D. Thomæ partem, & in primam secundæ commentarium* dedit: item *de metu adorationis*: & *disputationes contra Elipandum, & Felicem.*

GASPAR CONSALVVS Lusitanus scripsit *Orationem in aduentum Legatorum Iaponiorum.*

GASPAR LOARTE *institutionem vulgauit sacerdotis*: item *consolationem afflictorum* Hisp. & Gallicè: & *Meditationes de Passione.*

GASPAR ASTELE *de Institutione iuuentutis* duobus voluminibus Hispanicè.

GREGORIVS DE VALENTIA Medina Campi oriundus scripsit *in primam D. Thomæ, in secũdam secundæ, in tertiam:* Item *Controuersiarum ingens volumen aduersus, Sadeelem & Tubingenses.*

HENRICI HENRIQVEZ *Theologia Moralis.*

HIERONYMI TORRENSIS *Confessio Augustiniana ex operib. B. Augustini.*

IACOBVS LEDESMA Cuellarensis (de cuius vita lib. 1. vitæ Iacobi Lainez cap. 19.) Romæ studia Theologiæ moderatus est, ediditque *Catechismum* Hispanicè, & *Grammaticæ Latinè præceptiones* Venetiis excusas. & *de Diuinis Scripturis in vulgatum sermonem non transferendis* Commentarium, Coloniæ typis Calenii an. 1574.

IOANNES AZOR *Institutionum moralium partem primam* edidit. Secundus & tertius Tomus mole pares.

IOAN-

IOANNES MALDONATVS scripsit *in 4. Euangelia*, edita Coloniæ, & Mussiponti.

IOANNES OSORIVS reliquit *Concionum* tomos V. iam in epitomen redactos Coloniæ.

IOANNES PINEDA, super *Iob* scripsit tomis duobus, fol.

IOANNES POLANCVS scripsit *Directorium Confess.* & *Methodum iuuandi morientes.*

IOANNES DE TORRES *Philosophiæ moralis* Hispanicæ.

IOSEPHVS ACOSTA Burgensis (fuit 17. annis in occidentis India Prouincialis Societ. Iesu.) duo volumina reliquit *Concionum de natura noui orbis, & promulgatione Euangelii, & Christo reuelato temporibus nouissimis*: item Hispanicè copiosè *de Indiarum historia.*

LVDOVICVS CRVCIVS Lusitanus *Psalterium* carmine reddidit. Poemata item alia & Dramata.

LVDOVICVS MOLINA scripsit *in primam D. Thomæ. concordiam liberi arbitrii*, tom. 10. *de Iustitia & iure* 2. *de Contractibus.* 30. *de Maioralibus & tributis.*

MARTINI DE ROA Cordubensis *singularium libri 6. & de die Natali* Cordubæ, & Lugduni: item *de sanctis Cordubensibus.* Exspectantur eiusdem Funeralia *Hebræorum.*

MELCHIOR DE LA CERDA scripsit *apparatum eloquentiæ*, 3. voluminibus. Hispali 4.

PETRI FONSECÆ *Dialectica, & Metaphysica, tomi duo.*

PETRVS RIBADENEIRA scripsit *de vita B. Ignatii Loiolæ* Hispanicè & Latinè: item *de vita Iacobi Lainez, & Francisci Borgiæ* trium Generalium: *Soliloquia Augustini, & Alberti magni paradisum, seu de virtutibus*, Hispanicè conuertit: dedit quoq; *de Schismate Anglicano* ex Nicolao Sandero. *de tribulatione*, aureum libellum. *Principem Christianum, (quem Latinum fecit P. Ioannes Oranus Eburo.) Florem quoque Sanctorum* Hispanicè tomis duobus.

SEBASTIANI BARRADII *Concordia Euangelica* tomis tribus.

THOMAS SANCHEZ *de Matrimonii sacramento.* Genuæ Ligurum 1592.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALPHONSVS DEZA.

SOcietatis Compluti Theologus Latine reddidit ex Hiſpano ſermone opuſcula Franciſci Borgiæ Societatis eiuſdem Generalis præpoſiti tertii, Salmanticæ, Matthias Gaſtias 1579. Moguntiæ item,& Antuerpiæ.

Reliquos, ſunt enim plurimi, nondum mihi viſos adiiciant, amabo, cum elogiis Hiſpani: ne inuidiſſe exteris videantur.

FRANCISCVS TOLETVS CORDVbenſis.

FRANC. Toletus in nobiliſſima illa vtriuſque Senecæ & Lucani patria Corduba parentibus ciuilibus natus, ab iiſque teneriori ætate Sanctiſſimis moribus & præcipue Dei timore inſtructus, Philoſophiam ita in celebri illa Salmanticenſis gymnaſii Academia apprehendit, vt laurea magiſterii ſumpta, annorum 23. Philoſophiæ illi cathedra, quæ non niſi viris ætate grandioribus & celeberrimis dari ſolet, conceſſa ſit; in qua biennio eam profeſſus, omnes illius candidatos inſigni affecit admiratione: quo exacto, Societati IESV nomen dedit, in qua Philoſophiam & ſacram Theologiam ſumma cum laude publice profeſſus eſt. Cognita vero ſingulari Toleti ſcientia, Romam à ſuperioribus euocatur. Quo remorante tamen aduentum Hiſpaniarum Regina Regis ſorore cui maxime carus erat, Paulo IV Pontifice profectus publice ibidem ſacras litteras profiteri, Seminaria adminiſtrare, ſtudiis præeſſe, Collegium Germanicum regere, & præ ceteris admirabiliter ſermocinari cœpit. Quibus perſpectis à Pio V. Max. beneficio Ioan. Aldobrandini cui amiciſſimus Toletus erat, ſacris concionibus coram eximio Cardinalium Collegio præficitur. Legato poſtea ad Imp. Maximilianum II. Io. Card. Commendono propter negotia Coſmæ Medici Etruriæ Ducis Toletus propter ſummam in magnis negotiis prudentiam Comes datur. Mortuo porro Pio V. atque illi Gregorio XIII ſuccedente cum felicem Germaniæ Polonæque Legationum euentum percepiſſet, Toletum idoneum ratus Pont. qui in Flandriam mitteretur, quo excellentiſſimum & eruditiſſimum in Louanienſi Academia Theologiæ Profeſſorem ad veritatis lumen deduceret. Quocum duorum menſium ſpatio perueniſſet Toletus, ſummi ingenii & doctrinæ virum vicit, victique, & quod caput eſt, conuerſi, litteras Romam, portat, quibus ſe efficacibus Toleti rationibus acquieuiſſe teſtatur. Quod facinus adeo gratum Gregorio XIII Toletum reddidit, vt in Italiam redeunti diploma, quo à ſuperiorum obedientia abſoluebat, ei conceſſerit; vnde poſtea in Apoſtolico Palatio commoratus, munus concionandi exercuit in aliis multis negotiis eius operam ſummis Pontificibus adhibentibus, vt Sixtus V. in reformandis ſacris Bibliis, in quo vt in omnibus, ſic omnibus ſatis faciens, aſſumpto ad Pontificatum Clementem VIII. cui à Confeſſionibus & à conſiliis in maxime arduis & periculoſis Chriſtianæ Reipublicæ. negotiis fuit. Demum anno Domini 1593. à Clemente VIII. in ſacrum Collegium fuit cooptatus Presb. Card. H. S. Mariæ Tranſpontinæ maxime repugnantibus ſocietatis Ieſu Patribus, aſſerentes Patres omnibus Eccleſiaſticis dignitatibus interdici. Egit hinc Toletus de benedicendo, & reconciliando cum S. R. E. Henrico IIII. Galliarum Rege: vnde poſtea vniuerſo terrarum orbi, & ſummum gaudium, & vtilitas emanauit. Patrocinio adhæc Canonicorum & S. Saluatoris ſuſcepto, vt ſuã erga pauperes pietatem, oſtenderet, multas Virgines feſto B. Virginis à Niue propriis ſumptibus Anno 1596. in matrimoniũ collocari iuſſit: quo etiam anno fatali morbo coreptus, ſummo Pontifice inaudita beneuolentia eundem viſente, feſto exaltationis S. Crucis in Apoſtolico Palatio Spiritum emiſit: hærede facultatum ſuarum inſtituto B. Virginis Altari in S. Mariæ Maioris Eccleſia poſito, relictaque Societati IESV Bibliotheca: & familia optime remunerata. Vir longiori dignus vita, ad Chriſtianæ Reipublicæ beneficium atque vtilitatem propter religioſiſſimæ vitæ exemplum, prudentiam, & ſingularem doctrinam natus: vt multa ipſius opera teſtantur. Scripſit *Commentaria ſuper S. Ioannnis Euangelia*, *in Logicam*, *Phyſicam*, in libros *de anima de generatione & corruptione*. Super Epiſtolas *S. Pauli ad Romanos*, & S. Lucam vſque ad XI. caput Conciones item Latinas aliaque nondum in lucem edita. Corpus eiuſdem XVIII. Calend. Octobris ad Eccleſiam Societatis portatum, poſtquam illi parentatum fuiſſet ad S. Mariam Maiorem delatum eſt, ibique in pauimento conditum non

longè à superioribus Basilicæ foribus, vbi in pariete à Canonicis nobili sepulcro donatur, in quo sequens Elogium legitur.

D. O. M.

FRANCISCO TOLETO CORDVBENSI S. R. E. PRESB. CARD.

QVI DOCTRINA, PRVDENTIA, SACRA ELOQVENTIA,

MERITIS, SVMMORVM PONTIFICVM GRATIA,

AD EXTREMVM PVRPVRA CLEMENTIS VIII. BENEFICIO CLARVIT.

DEIPARÆ VIRGINI APPRIME DEVOTVS.

CVI VIVENS OMNEM ANIMVM, MORIENS OMNEM HEREDITATEM

CONSECRAVIT.

ET IVGE SACRIFICIVM IN EIVS HONOREM

AMPLO ANNVO CENSV XII. SACERDOTIBVS DISTRIBVENDVM

DECREVIT.

VIXIT ANNOS LXXIII. MENSES XI. DIES X.

OBIIT ANNO M.D.XCVI. DIE XIV. SEPTEMBRIS.

HVIVS BASILICÆ CANONICI ET CAPITVLVM.

VIRO AMPLISSIMO ET OPTIME DE SE MERITO

POSVERE.

LAEVINVS TORRENTIVS ANTVERP. EPISC.

Ad Societatem Sanctissimi nominis Iesu.

GRATA cœlo sancta Sodalitas,
Rex Regum IESVS *nomine quam sue*
Illustrat exornatque, toto
Vt celebris memoreris orbe:
Non orbe dico quem veteres aui
Norunt minorem dimidio male
Truncatum, & angustis coactum
Limitibus, nec adhuc retectum

Quod

Quod vstus illic solibus, hic niue
Negaret aptas hospitibus domus
Nec torridam esset vlli
Sic perhibent superare zonam:
Sed orbe toto prorsus & integro
Quem belluosa dum volitant mari
Vtroque porrectum sub axe
Magnanimi reperere Iberi.
Quorum secuti turgida linteа
Pura sed omni mente, cupidine
Pulcro nec argento nec auro
Nec nitidis inhiante gemmis:
Armis vt illi sceptra potentium
Eregere Regum fluminaque & lacus,
Portusque vicinasque gentes
Indomito subiere ferro,
Sic vos inermes, impauidi tamen
Casta inferentes indigenis sacra,
Hac impios cultus & omnem
Barbariem pepulistis arte:
Qui namque vera luce carentibus
Fas esse notum vel potuit nefas
Turpi volutabantur antro
Cimmeriis medii tenebris
Clausis retenta seu caueis ferа
Edenda si quæ ad munera publica
Seruantur & damnata fulua
Corpora dilacerent arena,
Quo deprehensos tam misero in statu
Vt mente bruta non minus improba
Committerent, quam sæuus olim
Antiphates, genus aut Cyclopum
Sanastis: at non cantibus Orphei,
Linique, nec qui mœnia condidit
Thebana; facundique voce
Mercurii fidibusque Phœbi.
Fida sed almæ in sapientiæ
Quæ missa ab alto, vicit vt hactenus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic vincet eternoq; tandem
Omnia subiiciet parenti.
Qui vos ministros, quod sibi legerit,
Res gesta clamat, clamat & exitus
Spe maior, adductis opimo
Tam cito tot populis triumpho.
Quo ante necdum nomine cognitos
Portare Christi nunc dociles iugum
Miramur ingenti remixta
Lætitia simul & stupore.
Sed quid volenti non facile est Deo,
Deiq; verbo, virgineo satum
Quod mente prognatumq; nostri
Credimus ad generis salutem.
Hic ille IESVS, *progenies Patri*
Æquæua, cœlo quod fuerat manens.
Humana sed de matre sumpsit
Membra viam reserans Olympo.
Hic ille cuius nomen amabile
Vt vestra complet pectora, sic sacro
Porumpit exundans ab ore
Assidua colituq; laude;
Nec parua laudi gratia nam pijs
Aspirat orsis omnipotens Deus,
Firmatq; quas res cumq; nato
Auspicio geritis secundo.
Fremant superbi, nec teneant minas,
Bellumq; cædesq; & rabiem parent,
Causamq; quæ ius domat æquum
Vi vetitis tueantur armis.
Vos ista prudens simplicitas bene
Morata, sese nec lenis efferens,
Defendet insontes: at ipse
Se rabidus male perdet hostis,
Qui quo cruentus sæuierit magis
Plus inde damni comperiet videns
Vicisse quos victos putarat,
Et cineri superesse vires.

VII. CLASSIS IVRIS CONSVLTORVM aliquot.

SERIES IVRISCONSVLTORVM.

ANtonius Goueanus Lusitanus.
Martinus Azpilcueta Nauarrus.
Didacus. Couarruuias Episc. Segobiensis.
Ant. Couarruuias Didaci frater.
Franciscus Sarmientus.
Ant. Augustinus Tarracon. Archiepisc.
Fortunius Garcias.
Pet. Ruisius Morus.
Bartholomæus Albornotius.
Ludouicus Pegnera.
Ioannes Seyura Daciolos.
Ioannes Royas.
Ioannes Bernardus Diaz.
Ioan. Bernardus Branca.
Ignatius Lopez de Salcedo,
Emanuel Costa.
Arias Pinelus.
Emmanuel Soarez à Ribera.
Ferdinandus de Zoares.
Iacobus Simanca.
Franciscus Varyas.
Antonius Deldon.
Antonius Corduba.
Antonius de Burgos.
Alfonsus Aluarez

ANTONIVS GOVEANVS LVSITANVS
POTISSIMVM EX IPSIVS SCRIPTIS.

NATVS in Lusitania τρηχεῖα, ἀλλ' ἀγαθὴ κηροτρόφῳ. Adolescens in patria, post Lutetiæ sub patruo *Iacobo Goueano* Collegii Barbarani præfecto feliciter litteris operam nauauit: iunxit & Græca ac Philosophiam ex Aristotelis potissimum scriptis, pro quo propugnare orta in iudicio lite cum Petro Ramo, ac disputare publice non recusauit allato in forum exemplari Græco Philosophi. Iuuenis natu grandior tres fere annos in Iuris ciuilis studio operam dedit Æmilio Feretto Auenione profitenti, suæ memoriæ facile principi; quemque parentem alterum appellare lib. 2. de Iuris dictione non dubitat: neque ex eo tempore à Iurisconsultorum libris longius vmquam oculos dimouit. Tolosæ mox tanta in studio assiduitate, tantaque est vsus contentione, vt maiore non posset. Ea ad hæc litterarum præsidia attulerat, quibus vulgo destituti tamquam illotis manibus ad iuris sacra irrumpunt: pura litterarum, historiæ, & Philosophiæ omnis rudes. Florebant ea tempestate in Gallia variis in Gymnasiis Iuris ciuilis lumina, qui & inter eloquentes Iurisconsultissimi, & inter Iurisconsultos eloquentissimi merito haberentur. Vigebant Alciatus, Viglius, Ferettus, Duarenus, Corasius, Contius: & in Belgio Reuardus, Curtius, Balduinus, Gabr. Mudæus ætatisque suæ familiam ducens Iacobus Cuiacius: (à quo etiam mirifice Goueanus prædicabatur) quibus omnibus eadem mens, ius Romanum ab iniustis possessoribus barbaris ac rabulis vindicandi, quibuscum indoctissimis atque infantissimis hominibus, pro Iuris Ciuilis dignitate iustum ac pium bellum scriptis gerebant. *Quo in bello, inquit Goueanus, & acie si nihil potero, vota saltem pro victoria facta, quorum numquam nisi sero damnabor.*

Edidit accurate secundas *de Iurisdictione* cogitationes duobus libris aduersus Eguinarium Baronem, primum ætatis suæ Biturigibus Iuris Doctorem, qui omnem eam quæstionem difficilem ac secundam, dissensionibus etiam auctam adeo obscure ac perplexe tra-

tractabat, vt studio tenebris rem implicasse, ac minime dilucide tractasse videretur, quo saltem obscuritas vel imperitos in admirationem raperet, vel doctos & ingeniosos à reprehendendo deterreret. Stylum tamen Antonius hic temperauit, vt viri auctoritatem apud studiosos summam minime læsisse videretur: cuius præstanti ingenio excellentique doctrinæ tantum tribuetur: cuius præstanti ingenio excellentique doctrinæ tantum tribuet vt ei componeret paucos, anteponeret vero neminem, à quo non tam animo dissidere, quam iudicio dissentire videri vellet. Scripserat adolescens in Ciceronis Vatinianam Interrogationem, & in duos priores ad Atticum libros, ac de Legibus, & in Topica eiusdem ad Trebatium I. C. Iuris idcirco exemplis referta: scripsitque & *Variarum in* Iure Ciuile *Lectionum libros* peruditos, vt & alii æquales Obseruationum, Animaduersionumque; quibus humanitatis studiis Leges atque adeo ceteras illustrari posse disciplinas ostendunt. Citat alibi notata à se de Prætoribus & Proprætoribus, quæ haud scio an euulgarit. Cadurci ius annos aliquod magno concursu docuit, & Valentiæ Delphinatus anno à CHRISTO nato M. D. LV. ad tit. *de vulgari & pupillari substitutione* dictabat. Tolosæ VI. antea anno Andreæ natura atque animo fratri, beneficiis vero parenti librum, *de iure accrescendi* inscripsit. Gratianopoli *ad Legem Falcidiam*, quæ perdifficilis est, dictabat, anno M. D. LXVI. Quarto post anno, vxorem ibi domum duxit, ex eaque liberos sustulit, Petrum & Manfredum, quorum illum Petrus Bertrandus Cadurcorum Episcopus in baptismatis fonte susceperat. Taurinis Allobrogum decessisse fertur libellorum supplicum Magister apud Sabaudiæ Regulum, & Consiliarius annos natus vix sexaginta. Scripta eius alibi singulatim recenseo. Tomo III. & IV.

MARTINVS AZPILCVETA
DOCTOR NAVARRVS.

AB hoc vniuersa Ecclesia Catholica eum fructum accepit, vt ab illo auctore edito perutili *Confitentiũ Enchiridio*, omnes qui confessiones excipiunt suo se munere fungi posse fateãtur: & qui ante illũ natũ in eo munere versabantur, summis difficultatibus & tenebris

immersos. Taceo alia sexcenta monumenta explanandæ veritati apta. Omitto infinitum prope librorum in lucem nunc editorum numerum. Is vsque ad quinctum ante vltimum diem ita advigilasse commentando dictandoque visus est, vt vix ei tempus suppeteret, vix librarii manus subseruiret, vix dies & hora tam multa parandi satisfaceret.

Primum Tolosæ, deinde Salmanticæ, demum Conimbricæ in spatiis litterariis ita perstitit docendo, vt rude donatus publica auditorum prærogatiua, emeritis tamdiu stipendiis eodem præmio afficiendus iudicaretur, quo ad profitendum fuerat vltimo loco à Seren. Rege Ioanne III. in Lusitaniam inuitatus. Tanta eiusdem fuit doctrinæ vis & auctoritas, non vulgi opinione collecta, sed publico totius Reipublicæ Christianæ testimonio comprobata, vt eius sententia certa quædam lex, & quasi oraculum sit habita. Vixit annos centum, quinque demptis. Perstabat semper in precationum assidua vigilia, neque vnquam ab excubiis discedebat quia memoria tenebat Imperatoris summi Dei dictum: *Vigilate & orate, & estote parati, quia nescitis diem neque horam qua Dominus venturus sit.* Abstinentiæ adeo studuit, vt statis diebus ieiunium ab ecclesia indictum nunquam neglexerit, ad extremum vsque spiritum. Eaque in victu potuque moderatio, in libidinibus abstinentia fuit, vt hac parsimonia (qua pauperibusq; supererant, liberaliter erogabat) vitam diutissime produxerit, vixeritque incolumi valetudine in tantis studiorum vigiliarumque laboribus, quibus frangi debilitarique vires mirifice solent. In egenos & stipem colligentes summa beneficentia. Nam Salmanticæ maiorem bonorum partem erogauit. Conimbricæ, domus eius pauperum erat receptaculum. Qui dies de superiori loco Decreta Pontificum interpretantem Nauarrum videbat, eundem sæpe in Xenodochiis ægris & pauperibus linteo præcinctum, lecto & mensis ministrantem intuebatur. Et in vrbe orbis regina sibi subtrahere solitus, quæ inopia laborantibus suppeditaret, & afflictos subleuabat, re & consilio iuuabat libenter. Sanctum illum Paulinum imitatus, quem adeo benignum fuisse in pauperes memoriæ proditum est, vt cum bonis se omnibus abdicasset, egentibusque distribuisset, ipsum se in seruitutem addiderit, vt viduæ egentis filium ex Africana seruitute redimeret. Quo die, Diui, vt puto, tutelaris precibus adiutus, ex hac

hac vita migrauit hic Martinus, XXII. Iunii CIↃ. IↃ. LXXXVI. huius quoque patronus Martinus Turonensium Episcopus Paulinum amauit.

Iudicium illius quanti Romæ fecerint, indicio est, quod cum ante XVII. eos annos Romam venit, tres summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Xystus V. illius sapientiæ grauiora pænitentium negotia crediderint: qui summa integritate ancipites sensus, dilucide, aperte, vereque enucleabat. De iure respondebat, non quæstu aut emolumento adductus, sed de republica benemerendi & iuuandi omnes studio. Quo etiam scripta sua retulit, vt cum omni posteritate loqueretur, qui vnus eidem interfuisse, & famam (quæ fere non nisi à funere aliis contingere solet) consecutus esse videatur. Eo studio erga sacram Eucharistiam inflammatus, vt homo nonaginta amplius annos natus quotidie ritu cæremoniisque, pie ab Ecclesia Catholica institutis, sacris operaretur. Cum in vltimis versans animam ageret, adessentque qui ad mortem fortiter obeundam animarent, cum ad illum cruciatus Christi locum ventum esset: *Ego palam locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil*, eadem moriente iam voce recitans, tanquam & ipse in hac re Christi secutus vestigia esset, spiritum Christo reddidit.]

Hæc ex laudatione habita in funere à Thoma Gorræo Lusitano. Vitam eius fusius Romæ scripsit Simon Magnus Eburo, eius contubernalis, & post diserte Iulius Roscius Hortinus. Ore erat non pulcro, naso aquilino, statura procera, macie vigiliis lucubrationibusq; contracta. Auditorem habuit de multis illustrem Didacum Couarruuiam, post Salmanticæ Iuris professorem. denique Hispaniæ Præsidem ac Præsulem Segobiensem. Eodē anno homines doctissimi vita abierunt. M. Antonius Muretus Romæ. Pet. Victorius Florentiæ. Tarracone Ant. Augustinus Archiepiscopus. Festo Petronillæ die Vtriusq; Iurisconsulti Pontificii summi, Martinus & Antonius; ille practicus; hic Theoreticus. Huius Martini corpus delatum est humeris Religiosorum, ac sepultum in æde Diui Antonii de Pádua nuncupati, in campo Martio nationis Lusitanæ, vbi hoc eius monumentum sub effigie legitur.

MARTINIS AB AZPILCVETA NAVARRVS.
H. S. E.
DIVINI-HVMANIQ. IVRIS CONSVLTISS.
QVI SALMANTICÆ PRIMVM DEINDE CONIMBRICÆ.
FAVENTIBVS PORTVGALLIÆ REGIBVS IVS PONT. DOCVIT.
ROMAM PROFECTVS PIO V. GREG. XIII. SIXTO V. PP. MM. CARVS.
OMNIB. NATIONIBVS GRATVS, HVIC XENODOCHIO BENEFICVS.
OBIIT XI. KAL. IVL. CIↃIↃ. XXCVI. ÆTATIS ANNO XCIV. M. VI. D. VIII.
MVLTIS DOCTRINÆ SVÆ PERVVLGATIS MONVMENTIS.
MARTINVS ZVRIA AVVNCVLO. B. M. POS.

IN MARTINI NAVARRI VIRI DOCTISS. tumulum Iulius Roscius.

MArmore sub gelido NAVARRI *arentia membra*
Stant clausa in cineres non abitura leues.
Ast animus puris purus se intulit astris
Claraque perpetuo fama superstes erit.
Ille quidem dignus, cuius non stamina Clotho
Solueret, est vitæ quo duce aperta via:
Vt tamen in terris æquauit Nestoris annos,
Sic cælo indigeti stat sine fine quies.

DIDACVS COVARRVVIAS A LEYVA.

SIngulare Hispaniæ ornamentum Didacus exstitit, cum ob singulare iudiciũ, tum Iuris vtriusq;, quod scriptis ad posteritatis memoriã sempiternam, mirifice illustrauit, tractatione. Natus is anno eius seculi duodecimo Toleti Carpetanorum S. Iacobi festo, vnde illi nomen (*Didacus* enim idem qui *Iacobus*) quo etiã anno Pampelona victa Castellæ regno Nauarræ accessit: parentibus quidem Hispanis, auo vero materno Belga Toletanæ Ecclesiæ architecto. Hinc & vtrique nepoti ingens eruditarum linguarum Græcę ac Latinę studium ad rerum cognitionem insitum pęne atq; innatum. Patruus Salmanticæ sacerdos satis re lauta Didacum & Antonium, iactis

iactis iam feliciter primis Latinę linguæ rudimentis, vna domi aluit. Post in S. Saluatoris Collegii Ouetensis, vbi natalium integritas quęritur collegæ, eos breui in Iurisprudentia progressus fecerunt, vt æqualibus longe antecellerent, post etiam de superiori loco Ius publice ordine interpretarentur, magna auditorum corona atque applausu. Tametsi vero in Doctoris laurea iniquis Iudicum suffragiis Didacus pressus esset vicit tamen, ac transcendit; editis mox ingenii monumẽtis exspectationem iudiciumq; perturbato animo datum. Præstrinxit enim veluti Sol oculorum aciem, æmulosq; atq; aduersarios, qui in eum ora vultusq; admirabundi conuerterant: & præstanti doctrina, viros morumq; facilitate omnes sibi adiunxit. In his Ferdinãdo Græcarum litterarum Doctore est vsus, qui cum in Plinii castigationibus non semel prædicat. Missus hinc à Rege Catholico in Synodũ Tridenti coactam, hoc est in publicum piorum doctissimorumque theatrum vna cum fratre, Ant. itẽ Augustino, Martino Ayala, Aria Montano, cæterisq;. Dom ũ vbi reuertit Episcopus Rodericii oppidi est renunciatus: dein Segobiensis Præsul, & Conchensis designatus. Neq; hic Principis in ornando excellentis doctrinæ viro studium substitit: quin & Senatus Regii Præsidem exactrinæ viro studium substitit: quin & Senatus Regii Præsidem ex antecessore creauit. Quo munere integre annos aliquot Reip. constituendæ sic est vsus, vt continenter atque incorrupte ius dicendo florem sibi nobilitatis Hispanicæ obstrinxerit, temporis vsq; eo parcus, cætera minime auarus, vt semihoræ spatium, quo Senatores vna ad Regem ingressuri exspectare solent, elabi sine fructu non sineret: incitatus, credo, C. Plinii Maioris exemplo, qui temporis, quod, studiis non daretur, iacturam longe maximam existimaret. Sic interea Rhodigini Antiquas lectiones, quasi aliud agens, euoluit. Et vero *variarũ resolutionum* libri quantũ hic posset, satis ostendunt: de *re* scripsit *numeraria* acute: hinc à maleuolis iactatum nouisse illum Budæum de asse prętera nihil: quos facile reliqua tanti viri monumenta foras data refellunt. Sunt autem in manibus hęc *super 4. Decretal. Super 6. decreta.* & *regulis iuris* Super *Clementinis.* de *homicidio* C L. si furiosus. variarũ ex iure Pontificio regio & Cæsaris resolutionum lib. 3. Practicæ quæstiones: eiusdem collatio veterum numismatum cum his quæ modo expenduntur publica & regia auctoritate percussa. Excusa passim Salmãticæ, Venetiis, Lugduni & in Germania. Obiit Madriti prędes die XXVII. Septemb. an. M. D. LXXVII. ætatis an. LXVI.

ANTONIVS COVARRVVIAS.

ANT. COVARRVVIAS à Leyua Toletanus, Didaci Præsulis frater, Iureconsultus egregius: qui & ipse Salmāticæ ius ciuile publicè professus est ingenti auditorum applausu, ac fructu. Horis autē subseciuis quantū alii tribuerūt somno otio, illiteratisq; fabulis, tantum Græcis litteris sine doctore perdiscendis impendit: eosque fecit breui progressus, vt Græcarum litteratum doctiorem in Hispania viderim neminem. Græcos enim Scriptores senex assidue tractabat, legebatq; diligenter. Moliebatur in Aristotelis Politicorū libros octo Commētarium, & quidem post Sepulueda, Victorium, ac Perionium, quem ab hæredibus asseruari arbitror: & vtinā lucem aspiciat. In Tridentinam Synodum à Rege Catholico vnà cum fratre Didaco missus est: eundemque in Variarum Resolutionum libris concinnandis, humanitatis etiam notis insignib. vehementer adiuuit. Post intimi consilii Regii Senator, vnus ob excellentē memoriam cum doctrina coniunctam atque eloquendi venustatem instar omniū Regi fuit: ediditq; de iure Lusitanici Regni scriptū ad Philippū Regē Catholicum. Post auriū morbo tētatus (surdaster enim fuit) huic muneri nō amplius idoneus, collegio Canonicorū Toleti adlectus, Scholarchæ, vt vocant, & Academiæ præfecti est munere perfunctus: vixitq; assidue in studiis firma valetudine, & ingenti corporis forma, annum agens ætatis octauū & septuagesimū. Abiit autē è vita, stranguria oppressus, & nausea ad x i i. Cal. Ianuarias, anni exeuntis secundi & sexcentesimi supra millesimum.

Scripta tibi, ANTONII *dias si luminis oras,*
Aspicerent, tenuis laus foret ista nimis.

FRANCISCVS SARMIENTVS.

APostolici palatii auditor, post etiam in patrio solo Iaensis Episcopus (qui Toletano in Carpetanis paret Archiepiscopo) edidit Romæ *de Reditib. ecclesiasticis*, in quo disseritur vtrum Clerici ea, quæ sibi supersunt ex redditibus ecclesiasticis in pauperes & alios pios vsus erogare teneantur, ex lege iustitiæ, vel solum ex lege misericordiæ: & quando has leges & earum alteram transgrediantur. In quod opus, ab illo vehementer dissidens, Apologiam scripsit Martin° Aspilcueta Nauarrus, suppresso tamē Sarmienti nomine. Quin & *selectarū interpretationū* libros tres in Hispania euulgauit Sarmientus.

ANT.

ANT. AVGVSTINI VITA.

Ex oratione funebri And. Schotti Antuerp.

NAtus domo nobili AVGVSTINORVM & excellentibus viris in gerenda Rep. claris, Cæsaraugustæ, Celtiberorum vrbe celebri, & copiosa; nunc etiam studiis ingeniisque affluente. Patre adhæc Ant. Augustino, Procancellario Aragoniæ, finitimorumque regnorum. Quæ dignitas hodie apud Reges secundas tenet: Augustorum quoque Romanorum temporibus, vt ex Annalium memoria, & Carim Imp. vita obseruare memini, plena in administrandis rebus publicis, & honoris & auctoritatis *Cancellarii* potestas perpetuo fuit. Vixdum ex ephebis filius excesserat, tinctus iis artibus, quibus prima ætas ad humanitatem informari solet, natu licet minimus, tamen ob singularem indolem, maxima in spe deliciisque parenti, Complutum, quæ in Carpetanis princeps Academia est, adueberiorem ingenii cultum missus est: vbi celeriter antecellere æqualibus ingenii gloria contigit. Verum assiduis bellorum tempestatibus iacebant adhuc humanitatis studia: Ciceronis nomen vix in scholis tum audiebatur; nondum satis culta benedicendi facultas: Græcæ litteræ mutæ, doctoribus carebant: sine quibus tamen disciplinis, in Iure ciuili enucleando excellere potest nemo, & reliquę scientiæ grauiores quasi concrescunt. Sensa enim mentis commode eloqui non posse, nec ad posteros transmittere, nisi rustice & inquinate, hominis est, vel M. Tullio iudice, intemperanter abutentis & otio & litteris. Studia vero hæc in Italia, disciplinarum parente, iam tum colebantur vehementius, quam in Hispanicis Academiis: siue id soli cœliue genio, siue hominū indoli & industriæ, siue otio, deniq; & tranquillitati Reip. acceptum est referendū. Salmanticam hinc à parente missus, prima ibi Iurisprudentiæ fundamenta iecit gnauiter. Verū vt exoticę merces & peregrinæ domesticis fere gratiores; & plantæ alio cœlo cultæ atque insitæ, suauiores sæpe veberioresque exsistunt, miles denique is optimus, qui patria procul stipendia fecit: idem in præstātibus ingeniis vsu venire accepimus. Alieno enim cœlo studiorum labor, & industria fit maior; exacuitur

Anno Christi CIↃ.IↃ. XVII.

Fluopiscus in Carini vita.

Tusc. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim, & quasi vsu exterorum splendescit ingenium, prudentiaq; paratur. Magna itaque Italicorum ingeniorum subtilitate, doctrina & eloquentia, honesta quadã laudis contẽtione, quæ stimulos optimis ingeniis addere soler, excitatus, cũ de posteritate serio cogitaret, cui se vixisse testatum aliquando facere vellet, Bononiam, eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis, Iuris præsertim Ciuilis affluentem, cogitabat. Quo in oppido Collegiũ, ingẽtibus olim sumptibus, ampliss. fortissimumq; virum Ægidium Albornotiũ Cardin. in Hispanicæ gẽtis gratiam, sua pecunia exædificandũ curasse inaudierat: quo erudiendi gratia ex omnibus fere Hispaniæ vrbibus præstãtissima ingenia quotannis vocarentur alerenturq; liberaliter. Magnam hic studiorum segetem, ex æmulatione, vt fieri amat, ingeniorum mutua colligi; assiduas hic disserendi exercitationes, scholasque haberi, acceperat; ex quo ludo tanquam ex equo Troiano, meri heroes, qui de Iure consultoribus responderent, prodiissent: quorum è numero non-nemo Hispanię clauum nostra memoria summo cum imperio tenuisset. Bononiam itaq; parentum permissu excelsi animi & laborioſi iuuenis tandem peruenit, anno altero Pauli tertii Pont. Max. Ea in vrbe, paucis ante annis, Carolus Cæsar Imp. à Clemente VII. P. M. frequenti hominum concursu, & quasi orbis terræ panegyri diademate coronatus, inunctusque fuerat, more maiorum Augustus. Quæ res vrbẽ cetera claram per se, & nobilem vt Pontificiæ ditionis, reddiderat illustriorem. Hic in collegium vltro inuitatus Augustinus licet suis se sumtibus commode alere posset commigrauit. Opibus tamen patriis valere iussis, ne his fisus negligentius, vt fit, in studiis versaretur: sic pontes à tergo militibus abrumpere solitos, duces, ne qua fugæ spes relinquatur timidis, adolescens legerat. Nactus hic eos est doctores, qui ceteris omnibus ingenii gloria antecellerent. Paullo enim Parisio, Iuris Pontificii celebri interpreti, assidue operam dedit: qui ob singularem pietati coniunctam eruditionem, mox in patrum purpuratorum Senatum lectus est: cui And. Alciatus Insuber, vt in bello defessis integri recentesque submitti ab Imperatore solent, suffectus, de superiori loco dicendi personã sustinuit, accitus insigni honorario: princeps cũ esset eius ætatis Antecessorum propterea quod eloquẽtiam, Græcarumq; litterarum quæ perpaucorum hominum semper fuerunt, peritiam, ad ius illustrandum attulisset; ingenioque eum inten-

An. CIↃ. CCCC. LXV. Io. Genesius Sepulueda in hist. Bononiensis Collegii.

An. CIↃ. ↃↃ. XXXV.

An. CIↃ. ↃↃ. XXX.

intendisset, & Poetica, vt Iani Parrhasii discipulum possis agnoscere plurimum valeret. Biturigas enim (quod nuper Gymnasium Iac. Cuiacio Tolosate, Iurisconsultorum Coryphæo florebat) Ticinum item & Bononiam Academias docendo Alciatus mirifice eatempestate vt & ius ipsum scriptis editis illustrauit eductis, vel vt verius dicam, genitis summis aliquot Iuris sacerdotibus: in quibus Augustinus noster familiam ducebat: quod in iis ipsis Iuris enucleandi vestigiis pedem ponere cogitaret. Viglius item Zuichemus Frisius, princeps erat: qui Galliæ Belgicæ Præses, negotiorum mole à scribendo, vt feliciter cœperat abreptus est. His igitur auditoribus, vt imperator spoliis opimis, merito gloriabatur Alciatus. Antonius vero feriis, quibus proferri res solent, cessaturque æstiuis mensibus, ardente canicula, Patauium, celebritate commotus, discendi gratia, dum se æstus solis frangeret, secessit, mensesque octo ibi hæsit cum doctoris auctoritate, tum loci amœnitate captus. Marianum enim Socinum, minorem diligenter audiuit. Quæ quidem Socinorum familia, tres continenter insignes Iurisconsultos edidit; Marianum maiorem & Bartholomæum libris editis claros: quales I.C. vix singulos sin gulæ ætates ferre solent. Sic olim & Muciorum gens, quæ tot vna prudentes Iuris emisisset, quot satis multis ciuitatibus esse possent, in cœlum laudibus ferri solet. Idem & Augustinorum gentis decus fuisse, vt plures ea Iurisconsultos, patrem auum, proauum dederit, Annaliu m Celtiberiæ memoriam euoluens, comperi. Hic & subsecciuis horis, quas alii tribuunt aleæ, intempestiuis conuiuiis, aut somno, litteras amoeniores libenter respexit, & Lazarum Bonamicum, disertum hominem, Græcos etiam doctores, Fazellum, & Romulum Amasæum audiuit. M. enim Porcium Catonem admodum senem, Græce discere non erubuisse acceperat. Et vero sine his artibus eruditisque linguis, historiarum, antiquitatisque memoria perfectum I.C. tum euadere posse neminem, & sæpe ipse disseruit, & scripto edito, vt posteritas posset exaudire testatum reliquit. Decurso iam studiorum curriculo feliciter, Florentiam, Etruriæ metropolim se cõtulit, cum Ioanne Metello Sequano homine eruditiss. Qui cum ex studiorum vt fit similitudine, vetus necessitudo intercesserat; Pandectarum juris ciuilis volumen immensum, Iustiniani Imperatoris jussu, à Triboniano collectum, eiusque temporibus, vt creditur, priscis admodum litte-

Emendat. Iuris lib. 1. cap. 1. & 2.

Universidad de Deusto

Anno CIↃ. XXXVI *Car. Sigonius lib. XI. de regno Italiæ. Angel. Pol. lib. I. Epist. 4. & Miscell. cap. 41. Viglius Zuichemius Præf. Theophili, & Ant. August. lib. I. Emendat. Iuris.*

ris exaratum (qui thesaurus olim Pisis allatus est, quantiuis pretii, religioseque à Ducibus asseruatus, tanquam Apollinis oraculum consulitur) cum Norica & nupera Gregorii Haloādri editione summa fide diligentiaque comparauit. Hic Lælio Taurello egregio & diserto eius ætatis I.C. Florentiæ vsus est familiarissime, doctissimo item candidissimoq;, & de litteris bene merito Petro Victorio. Hinc doctoris sui Alciati vestigiis insistens, quod incredibile, & ipse iuuandæ foris priuatimque Reip. & Philologiæ cupiditate flagraret, discrepantes lectiones, & emendationes, earumque rationes illas quidem ex Membranis antiquis; has à se excogitatas, in eum libellum coniecit, quem hinc *Emendationum Iuris* titulo inscripsit: moxque non tam popularis auræ captandæ, quam bene merendi studio excidere adolescenti sibi, annos vix nato quinque & viginti, passus est. Quo libello, si molem spectes, in speciem, exiguo, sin rerum vtilitatem, ponderumque momenta æstimes, sinuosis aliorum voluminibus, anteponendo, (magnum enim librum magnum malum Callimachus Criticus appellabat: Domitius vero Piso libros thesauros esse debere iudicabat) Italiam, qua patet, nominis fama conturbauit, nomenque cum omni posteritate adæquauit. Adhæc plurimos exteros homines suo iuuandæ Iurisprudentiæ exemplo incitauit, vt iisdem ingressi vestigiis Italli, Galli, & Belgæ homines doctissimi, politiorem illam (qua hodie sæculi aurei felicitate, depulsa omni barbaria fruimur) Iuris ciuilis tractationem amplecterentur. Hoc amplius effectum est, vt nostra etiam memoria, Galli & Belgæ Iurisantiqui studiosissimi, quos honoris causa libenter nomino) Balduini, Reuardi, Curtii, Duareni, Contii, Connani, Goueani, Hotomanni, Russardi, Cuiacii, ceteri scriptis ad immortalitatem comparatis, ius vetus, adhibita Philologia, mirifice illustrarint. Hac tāta celebritate famæ absentibus etiam, qui aliquid de ingeniis studiisque iudicare aut possent aut vellent, notus Augustinus Romam venit. Quam vrbium dominam, terrarumque deam esse, vrbem etiam æternam indigitari didicerat, Paulo. tertio decimum iam annū Ecclesiæ Christianæ clauum tenente, moxque singulari hominis doctrina explorata, duodecim viris Stlitium iudicandarum, hoc est, sacri palatii iudicibus adscriptus, omniumque suffragiis dilectus Lud. Gometio I.C. Hispano & Episcopo succesſit. Pontifici & Ecclesiæ fidelem operam nauauit, ea integritate, atque innocentia, vt difficile sit dictu, absti-

Athenæus. Plinius in Præf.

Martialis, & Frontinus 2. De aquæ ductibus vrbis Romæ.

CIↃ. XLIV.

CIↃ. XLIII.

abstinentiane maiore vixerit, an in Iure dicūdo seueritate grauiore sit vsus. Iulius III. Pōt Max. sextum post annum suffectus, adeo Antonium dilexit, vt & intimis conciliis adhibuerit, legatumque summa cum auctoritate, in Britanniam insulam opibus florentissimam miserit, cum Rex vere Catholicus Philippus II: Mariam reginam, Catholicorum Regum Ferdinandi & Isabellæ neptem, duxit vxorem: Reginaldi Poli Cardin. præstantissimi auspiciis: & insulanis pacem Ecclesiæ, tranquillitatemque, exoriens veluti Sol, attulit. Sed rerum inconstantiam, miramque vicissitudinem, vt nihil est in rebus humanis proprium, nihil perpetuo bonum: nec enim diu gaudere paceque frui datum. Immatura enim Reginæ, feminæ lectissimæ mors, ætatis octauo & tricesimo (nata enim vno ante Augustinum anno) Ecclesiæ, Reique publicæ Romanę, ex insperata lætitia, summum attulit mœrorem. Sed & alterum tristitiæ argumentum oblatum. Hac enim tempestate, flagrante bello Gallia, Carolus mundi vanitatum pertæsus, & regnorum mole fessus, tot victoriis de Gallo & Turca, rebusque gestis, omnibus, qui ante illum fuerūt, Augustis comparandus, imperio sua sponte abdicauit, fasces deposuit, filioq; tradidit, & apud Carpetanos in solitudinem, vt quod reliquum esset vitæ curriculum, totum rerum diuinarum contemplationi precibusque ad Deum Opt. M. fusis impenderet, sese abdidit; raro ac pene inaudito, ætatum omnium exemplo post Lotharium Imp. Caroli Magni nepotem: Reuertit ex Anglia Romam Augustinus, Paulumq; eius nominis quartum, Apostolicę nauis gubernaculo admotum comperit, vrbemque armis militaribus Hispanorum cinctam, metuque nuperæ direptionis consternatam. Tandem armis positis, redditur Ecclesiæ otium atque tranquillitas. Post abipso Allifanus Episcopus creatus, missusque Pontificia auctoritate ad Ferdinandum Cæsarem in Germaniam: qua honorifice obita legatione, gregem sibi creditum adiit, eumque omni humanitaris genere & liberalitatis est prosecutus. Hinc non diu, vt motoriam egisse fabulam suis ingratiis, Siciliam insulam, opibus florentem, & frugibus, vt horreum Italiæ, atque Hispaniæ appellandum videatur, Philippi Regis Catholici auctoritate atque auspiciis lustrare iussus, integre id munus obiuit, vt & Regi gratum officium præstiterit, & Insulanis ius sancte administrarit. Reuersus iterum in Hispaniam est, vt optimo Regi, cui debebatur, rei gestæ ratio redderetur. *Ea est enim*

CIↃ. IↃ. L.

CIↃ. IↃ. LIV.

CIↃ. IↃ. LVI.

CIↃ. IↃ. LV.

Circa annū Christi CIↃ. CCC. L.

An. CIↃ. IↃ. LV.

An. CIↃ. IↃ. XXVII. a. d. VII. Id. *May.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tacit. lib. 1. Annal. *imperandi optima conditio*, inquit Tacitus, *vt non aliter ratio constet, quam si vni reddatur.* Mox Ilerdensium Episcopatus à Pio quarto nec-opinanti traditur & repugnanti: sed victus precibus cessit: nam & Petrus Augustinus, natu maior frater, eo ipso tempore Oscam (non procul inde sitam antiquissimam Hispaniæ Academiam, quo iam inde à Q. Sertorii temporibus, Hispanica iuuentus erudiendi gratia mitti solet) Episcopus tenebat. Inde Tridentum vterque profectus est, quo indicta Synodo, Oecumenica: tanquam ad panegyrim, ex omnibus orbis partibus doctissimorum simul ac pientissimorum hominum, sarciendæ Ecclesiæ Catholicæ concordiæ conuentus fiebant. Augustinus itaque, vt erat, Ecclesiasticarum rerum vsu peritissimus, sacerdotum illis temporibus mores paululum à maiorum grauitate degenerantes, solutamq; disciplinam ad pristinum decus continentiamq; reuocandã censuit: ratus quod res est. hinc tanquam à capite, corporis medicinã vt mẽbra conualescant, incho andam. *Propter nos*, inquit cum Iona Propheta, *hæc tempestas in Gallia Germaniaque exorta est. A domo itaque Dei auspicandum. Occurite Patres labenti Reip.* Præclare Augustinus: & perhonesta oratio. Meminerat enim Numantiam, Carthaginemque superari, euertique à Scipione Africano minore, non ante potuisse, quam correcta militum, quibus iam luxu, otio, deliciisque pridem eneruati languebant, disciplina. Legibus itaque de Ordinum disciplina sanciendis adfuit, iuuitque in partem. Anno post tertio, rursum in Hispaniam nauigauit, & Ilerdæ Ecclesiam rexit, optimis & legibus & institutis: Ecclesiasticos ritus, precesque, quibus sacerdotes adsuescerent composuit: & *Collectionem Canonum antiquam Anselmi Lucensis*, quarti Iuris Pontificii compilatoris, edidit. Annos ipsos sedecim ei sacerdotio summa pietate, ac religione præfuit. Post, longo satis interuallo, à Gregorio tertio decimo, Pontifice vere Maximo, & bonorum omnium parente optimo, Tarraconensis Archiepiscopus renunciatus, hanc Ecclesiam ad extremum vsque spiritum Præsul quartus & tricesimus, sancte innocenterque, administrauit: vixitque iucunde in hac vrbe propter Antiquitatis R. impressa vestigia, theatrum, circum, titulos, nũnos, & inscriptiones; quibus referta vrbs est, vt & mœnia omnia Romane loqui videantur. Romanorum enim hic portas nobilis, hęc statio, huc cursus, fuit: eratq; citerioris olim Hispanię caput Tarraco, quæ pars vlteriorem, Bæticam nimirũ & Lusitaniam, magnitudine longe superabat. Hæc illa Tarraco est, iam inde à veterum

Plutarchus in Sertorio

Ionæ. D.

Liuius lib. 21. & 41.

C. 12. LXXVI.

rum Scipionũ temporibus clara vrbs, cum populus Romanus cum Carthaginensibus de imperio totius Hispaniæ vitaque contẽderet: vt de Græcis Polybius, prudentissimus scriptor; de Latinis Liuius, memoriæ prodiderunt. (item Plinius maior, Scipionum opus appellare non dubitat.) Sed institutum vrgeamus, quando ad extremum vsque vitæ actum, fabulæque catastrophen, tristem illam quidem, sed in qua sunt omnia, peruenimus. Obiit enim Augustinus, naturæq; concessit, sibi quidem suo tempore (dici enim non potest, quam corporis his cõpagibus cum Paulo solui optaret) Reip. vero, Ecclesiæq; Dei laboranti, nobisq;, nimis prępropere. Ætatis quidem septuagesimo abiit è vita. Cũ autem domicilium Romæ Antonius haberet, Pontificiarum causarum iudex æquissimus, & quasi rerũ ac fortunarũ suarum sedem ibi, si arbitratu suo perpetuo viuere licuisset, collocasset; horis subsiciuis, quibus à negotiis publicis, laxamẽti aliquid dabatur, ad corporis animiq; relaxationẽ, cum eruditissimis hominibus, qui domum eius assidue discendi gratia frequẽtabant, Octauio Panagatho, Gabriele Faerno, Basilio Zancho, Onuphrio Panuinio, Pyrrho, Ligorio, Paulo Manutio, Aldi F. Carolo Sigonio, Latino Latinio, Fuluio Vrsino, Metello item Sequano, qui xi ipsos annos in illius contubernio iucundissime vixit: ceterisq; domi suæ, quæ illis oraculum verius Delphico esse videbatur, de vrbis Romæ antiquitatibus, inscriptionibus, numismatis, rerũ gestarũ memoria, & Scriptoribus antiquis Græcis atq; Latinis, omniq; adeo Philologia & interioribus litteris, libenter disserebat, & instar apis vndique decerpebat, quibus Spartam, quod aiunt, illustraret suã. Hoc otium M. Varronem, & Festum Pompeium illustrauit, aliisque vt legi & intelligi possint, & calamistris inurerent ii, qui maiori & otio abundabant & subsidio, in manus tradidit: nullum denique acroama iucundius, quam huiusmodi litteratissimorũ virorum in exedra consessum atque coronam; nullum Senatum præstantiorem sibi videri dicebat. Merito itaq; à nostri sæculi prudẽtibus Augustinus, vt apud M. Tullii, Q. Mucius Scævola, Iurisperitorum eloquentissimus, & eloquentium Iurisperitissimus, publicis in scholis (fremant licet omnes æmuli & indocti homines) honoris gratia nominatur. Magna vero & pæne incredibilis in eo ad extremum vsq; spiritum memoria, (quæ est Iurisconsultorum propria,) semper viguit, aucta assiduis lucubrationibus, discendique cupiditate: qua vna re veterum videatur concessisse nemini: vt quantum ætate mala vires magis

Polybius. lib. 1. Liuius lib. XXVIII. Plinius lib. III. cap. III.

An. C. 12. LXXXVI. Philipp. I. c.

minuebantur, eo animus in dies, magis magisque crescebat doctrina: & hebetata oculorum acie, animus verum cernebat acutius. Vt autem adolescens Ius ciuile egregie & illustrauit Augustinus, & aliis viam, quam insisterent, monstrauit, muniuitque; sic matura iam ætate atque iudicio, Ius quoque Pontificium eadem animi alacritate, vt sacerdotem, Episcopum, atque adeo Christianum Iurisconsultum decebat, accurate sibi recensendum emẽdandumque putauit. Ad hæc, ex quo Tridentino Concilio domum reuertit, Cõcilia Oecumenica quattuor, quæ B. Gregorius Pont. Max. quattuor Euangeliis subiungere & æquare non dubitauit, collectis in Italia ex omnibus Bibliothecis exemplaribus Græcis, Græce edere cogitabat. Quod ea Canonum collectio, eo magis indigere hac lucubratione videretur, quo infeliciori nata erat sæculo, excompilationibus Burchardi Wormacienſis, Iuonis Carnotẽſis, Deus-dedit Cardin. Anſelmi Lucenſis & Gratiani monachi: qui & ipſi, ex ſanctorm Patrum Eccleſiæ Catholicæ ſcriptis, hinc inde ſententias in claſſes redigere, & ad capita reuocare conati ſunt: quemadmodum ante ex infinitis prope veterum prudentum reſponſis, Tribonianus I.C. Iuſtiniani Imp. iuſſu, Pandectarum volumen collegerat, exſtinctis veterum, vnde tabulas illas naufragii deſumſerat, libris. Sed cum vtrique à librariis temporumque iniuria male accepti ſint, melior tamen Gratiani conditio fuit, quod eius fontes integri exſtent, Pandectarum vero maximam partem perierint, exceptis nuper in Gallia repertis, Cai, & Vlpiani Inſtitutionibus fragmentisq; legũ. Iuliani item Anteceſſoris Cõſtitutiones, & Theodoſianus codex, in partem iuuant: iuuant & Græci, qui Romanorum leges Græce exſcripſerunt, Theophilus, Harmenopulus, & *βασιλικὰ* quæ vocantur. Sacro vero Iuri illuſtrando, poſt duos Antonios Gallos, Democharem, & Contium, qui in Gratiani collectaneis elaborarunt, Ilerdæ *Collectiones antiquas* integras Anſelmi Lucenſis, vt dixi, foras dedit, opus rarum & vtile. Quadraginta adhæc dialogis *de Gratiani emenda tione* diſſeruit. Ea vero tempeſtate commodum, optimus Põtifex Gregorius tertius-decimus, qui & ipſe iuuenis Bononiæ ſuæ, Iuris Anteceſſor fuerat; ſupplicibus præterea libellis rogatu Michaelis Thomaſii, (qui nuper Ilerdenſis Epiſcopus, magno ſui relicto deſiderio, vita deceſſit) de ſacrorum Canonum Gratiani collectione ad fontes exigenda reſtituendaque negotiũ, & doctis hominibus Romæ, in his Petro Ciacconio, homini, vt doctiſſimo, ſic ad antiquos Scriptores inſtaurãdos,

Ius Cano inum.

bono

bono publico tãquam de cœlo delapſo, & Academiis omnibus dederat; perfectumque eſt tandem aliquando, vt nunc minus turbide riuuli illi decurrant; multas tamen vt Antonio ſpicas legendas, his ipſis duobus libris reliquiſſe videantur. Nec his contentus ad artem redigere, quod in Iure Ciuili M. Tullius, aliquando cogitarat, cœpit Antonius Ius ſacrum nimis diffuſe, nec ſatis via & ordine traditum: edita nunc *Epitome Iuris Canonici* ad artem Methodumque reuocata ea parte quæ *de perſonis* eſt: alt era enim *de rebus ipſis*, & tertia *de Actionibus atque Iudiciis*, quo ordine Iuſtinianus Imp. Inſtitutiones edendas curauit, in aduerſariis adhuc latent. Verendum itaque quod inuitus refero, atque vtinam falſus augur aliquando deprehendar, ne parentis immaturo interitu, partus ille aut poſthumus ſit, nec ſatis politus exeat: aut, quod Deus ne ſiuerit, perpetuo deliteſcat. Quam enim partem Veneris Appelles inchoatam reliquit, nemo pictor eſt inuentus, qui abſoluere auderet. *Cicero 111. Officiorum.*

Quanta in eo Pręſule integritas? nihil vt gratiæ, ne in proximis quidem agnatis vnquam tribuerit. Tros Tyriusque illi nullo diſcrimine habitus. Quanta temperãtia in victu cultuque corporis quanta comitas, & morum facilitas! quanta grauitati coniuncta humanitas, quanta in rebus maximis ac difficillimis aggrediendis, gerendisque animi excellentia; ad exitumque perducendis conſtantia! quanta in ivre dicundo æquitas! in prouidendo acumen! in omnibus denique rebus æquabilitas! Idem ſemper vultus ſiue aduerſa, ſiue ſecunda inciderent; eadem frons, eademque mens. Nemo domeſticorum viginti retro annis, iratum vidit, adeo domitas perturbationes animi habebat. Caſtitas vero tanta, vt feminam nunquam credatur attigiſſe: cum libris enim fidis ſodalibus, aſſidue colloquẽs, otium, commerciumque matronarum deuitabat. Singularis vero illius & prædicatione dignæ maxime ſemper exſtitit in egenos beneficentia, ac liberalitas; quos & audiebat ipſe libentiſſime ſtipem poſtulantes, & queritantes de iniuria potẽtiorum: quare à congreſſu ſuo arceri prohibebat, quod Chriſti membra eſſe prædicaret, eiuſque perſonam hic ſuſtinere, ſe bonorum Eccleſiæ diſpenſatorem eſſe duntaxat. *Vtinam*, inquit, *ſacris idoneus reperiar. Res hæc, vt & vita hæc vitalis, non mancipio, ſed vſui tantum datur, à Principe illo Deo, in quo viuimus,* [a] *monemur & ſumus. Et ſubducenda æra ad aſſem eſſe, extremo iudicii die, quo omnes* [b] *nos manifeſtari ante tribunal illius oportet.* Hi ſermones illius quotidiani, hæ cogitationes, hic mens defixa, humana o- *Actor 7. F. Roman. 14. b. & 2. Corint. 5*

mni. Principũq; amicitias, quę donis aluntur augẽturq; facile cõtinebat. Calices itaq;, & vasa argentea pignori opponi: libros etiam, (quos & optimos, & innumeros pecunia sua vndiq; collegerat & tanquam mutos magistros auro cariores habebat,) alienare iubebat, si in annonæ caritate pecunia deesset alendis pauperibus. Hac vero, quæ vera est, liberalitate, ne singula quæ sunt innumera, consectari videar, effectum est, vt tam inops à pecunia decesserit Augustinus, vt ei cum Diuo Augustino, (quem sedulo vt nomine, sic & re ipsa vitaq; exprimebat) vix supperetere sumtus, quo efferri honeste posset, *Thesaurizabat nimirum in cælo, vbi nec fur, nec tinea, damnũ opibus adferre possunt.* Auctoritate denique tanta valuit, justitiæq; fama, de quo & alterum exemplum habemus, vt etiam aduentus sui nuncio exspectationeq; prædones agri Tarraconensis, omnes terruerit fugaritq. Quis enim antea vicus satis tutus ab illorum iniuria videbatur? quis non ager grassantium sicariorum insolentiam formidauit? quis quęso iter faciebat, qui non se in latronum fore potestate timeret? Hic Antonius vt alter Hercules, monstrorum domitor, Augiæ stabulum perpurgauit, agrum lolio & zizaniis, oram omnem monstris liberauit. Vt enim Sol tenebras radiis suis discutit, sic aduentu suo agrum latrociniis infamem pacauit. Alii captiui latrones adducti, vinctis post terga manibus, alii vero eius se potestati dediderunt, pœnas plerique more maiorum dederunt. Pro Deum immortalem, tantane vnius hominis, & quidem togati, in studiisq; educati incredibilis virtus, famaque iustitiæ & seueritatis, tantam tã breui tempore lucem, tranquillitatemq; Reip. adferre potuit? Eat nunc Põpeius, qui suam in bellis conficiẽdis celeritatem summam iactabat, quod intra quinquagesimũ diem bellum pyraticum cum Ciliciis prædonibus, & graue & periculosum confecerat. Cedat huic Antonio, quantum arma togæ, & laurea, laudi Ciceronis concessit. Nester enim citius agrum Tarraconensem latrociniis, furtis, rapinis, stupriſque infestum purgauit, ignominiæq; nota exemit. Ignoscebat, qui deliquisset prudens, nemini, ne quidem si nobilis, si proximus cognatus is esset: ne & quid ipse tale posthac committeret, & cereri essent ad iniuriam tardiores, a flagitiisque exemplo deterriti, abstinerent. Ratus quod res est, non posse alios in officio cõtinere eum, qui se ipse non contineat ab auaritiæ sordibus, & cupiditate: neq; seuerum esse iudicem in alios posse, qui sibi ipse non imperet, nec animi perturbationes domitas habeat, neque alios in se seueros esse iudices velit. Erat ad-

Aëlius Treuerus, in Martyrol. 28. Augusti Marsh. c. c.

rat adhæc, quando & id ad auctoritatem conciliandã pertinet, summa in eo corporis dignitas, statura procera, egregia corporis membrorumque habitudo: robusta ad extremam ætatẽ valetudo ac firmitas, incessus grauis, in aspectu grauitas comitati coniuncta, in sermone lepor concinnaque breuitas. Iocis etiam vrbanis interdum & salibus vtebatur, sed cum litteratis hominibus. Ocelli perexigui, & flaua coma: hebetata, vt fit assiduis lucubrationibus, oculorum acies: vitreis itaque perpetuo vsus est. Denique in toto corpore ea dignitas eluxit, quam imperio dignam Euripides iudicauit. Te igitur postremum appellabo, Antistes optime, iis verbis quibus M. Varronem tuum, togatorum doctissimum M. Tullius olim affatus est: & Diuum Isidorum Braulius patriæ tuæ Episcopus: quos tu singulares viros vnus hac ætate repræsentabas. *Tui nos libri in orbe, & vrbe, peregrinantes, errantesque tanquam hospites, quasi domum deduxerunt, vt possimus aliquando, qui, & vbi essemus, agnoscere. Tu ætatem Patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum munera, tu domesticam publicamque disciplinam, tu sedem regionum, & locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimumque doctis hominibus omninoque Latinis litteris luminis attulisti, & Iuri cum Diuino, tum Ciuili facem prætulisti.* Maxima in illo vt dixi cognitio Antiquitatis, summa scientia juris antiqui, legumque Romanarum, & familiarum: multæ in eo, vt Romæ natus videretur litteræ, & elegantia sermonis Latini. Ciceronem etiam senex legebat assidue, vt eloquentiæ principem. Iuris vero tanta in eo accuratio, vt veterum aliquis, præstantissimorumque prudentum, Paulus, Vlpianus, aut Papinianus ab inferis exstitisse, ac reuixisse, vel animam ex Pythagoræ sententia recepisse illorum videretur. Quanta porro Historiarum, antiquarumque rerum Græcię & Italiæ explicata cognitio! Ius Pontificium & Ciuile ita illustrauit: hoc adolescẽs: senex illud: vt principem illum Iurisconsultorum, nostrique æui florẽ delibatum, vno ore gentes omnes prædicent.

Cicero in Academicis quæst. Braulius Præf. Etymol. Isidori.

Ioannes Teresius Dertusanus Episcopus designatus, Tarracone commodũ iter habens, peropportune Antonio in morte, postrema illa officia exhibuit, ecclesiæq; Catholicæ matris nostræ Sacramenta illi contulit omnia, quibus iuuari morituri, more maiorũ solent. Ille vero vt spero & opto, in beatorum sedibus, vbi summa felicitas est, Dei Opt. Max. aspectu assidue perfruetur: quẽ quidẽ nunc tantum *videmus in speculo & ænigmate, illic autem facie ad faciẽ, sicuti est,* videbimus.

1. Cor. 13. D.

PET. IOANNES HVMESIVS VALENtinus Orator, & Philosophus egregius, hoc illi amicitiæ ergo Epitaphium composuit.

D. O. M.

S. S. EVCHARISTIAE. S.

ANT. AGVSTINVS ANT. PROCANC. F. CÆSARAVG. PALAT. APOST. AVDITOR. EPISC. ALLIFAN. PAVLI IV. AD PHILIP. ET FERD. REGG. LEGAT. SICILIÆ CENSOR. ILERD. EPISC. MAX. PLAVSV TRID. CON. INTERFVIT. INDE AD TARRAC. ARCHIEP. TRANSL. I. V. ET HVMANITATIS VINDEX CLARISSIM. IVDEX INCORRVPTISSIM. ELEEMOS. LARGIT. EXCELLENS. ORACVLVM SAPIENTIÆ TERRESTRE EDITIS AVREIS LIBB. ATQ. EDENDIS RELICTIS. HOC SACELLVM S. S. EVCHARISTIÆ. P. C. CHRISTVM AC S. THECLAM TVTELAREM EXASSE HERREDD. FACIENS.

OBIIT PRID. KAL. IVN. AN. M. D. XXCVI. ÆT. LXIX.

LIBRI

LIBRI AB ANTONIO AVGVSTINO ARCHIEP. TARRACONENSI *partim conscripti, partim illustrati.*

I. Quibus humanitatis studia illustrauit.

IN M. Terentium Varronem de Lingua Latina Emendationum notæ. Romæ 1557.

In Sex. Pompeium Festum Notæ. Venetiis & Parisiis.

Familiæ Romanorum xxx. cum Fulvii Vrsini familiis. Romæ 1577 fol.

Dialogi vndecim, Numismatum Græcorum. Roman. & Hispan. Antiquitatum item & Inscriptionum veterum Hispan. sermone scripti. Tarracone Philipp. Mey. 1575. in 4. cum figuris æneis Romæ incisis. & ibidem bis Italice iidem Dialogi redditi.

Bibliothecæ Ant. Augustini librorum manuscript. Græce & Latine Index Tarracone, Philipp. Mey 1586. in 4.

Epistola ad Hieronymum Blancam, de Cæsaraugustanæ patriæ communis Episcopis, atque Concilijs, cum Fastis Aragonēsium eiusdem, Blancæ edita.

2. Quibus ius Ciuile illustrauit.

Emendationum & opinionum Iuris Ciuilis libri 1111. & ad Modestinum, siue de Excusationibus liber singularis: & ad Lælium Taurellum I.C. de Militijs epistola. Venetiis, Lug. & Basileæ, fol.

De legibus & Senatus Consultis Rom. in 4. Romæ 1584. Parisiis fol. 1585. & Lugduni 4.

De Propriis nominibus Pandectarum. Tarrac. Philip. Mey. 1579.

Nouellarum Iuliani Antecessoris Epitome, cum Notis & Constitutiones Græce, eodem Augustino interprete. Ilerdæ in 8. 1567. & fol.

3. Quibus Ius Canonicum, resque sacras exornauit.

Antiquæ Collectiones Decretalium, cum eruditis Notis. Ilerdæ, fol.

Canones Pœnitentiales, cum notis eiusdem. Tarrac. 1581. & Venetiis in 4.

Dialogorum XI. De Emendatione Gratiani, lib. duo, Tarrac. 1586. 4.

Constitutiones Prouinciales, item & Synodales Tarraconensium. Tarrac. in 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Epitome Iuris Pontificii veteris in tres partes, de personis, de rebus, & de Iudiciis quarum prima pars edita Tarrac. 1586. fol.

4 Libri nondum editi.

Secunda & Tertia pars Epitomæ Iuris Pontificii veteris. Et notæ in aliquot titulos partis primæ iam editæ, latentque Romæ apud Carthusianos.

Iuris Pontificii Institutiones.

Concilia Græca & Latina, quæ Romæ nunc, Pontificum liberalitate in Vatinica typographia excuduntur.

In Pandectas Florentinas index verborum omnium; & variæ lectiones.

Ad Hadrianum liber singularis. Item ad edictum.

Fragmenta veterum Scriptorum, Poetarũ & Oratorum Latinorum, ab eo olim collecta: nam Historicorum veterum edidit nuper Fulvius Vrsinus in Plantiniana officina Antuerp. & aliorum cum suis ad eos qui exstant, Historicos Latinos notis. an 1506.

FORTVNIVS GARCIAS CANtaber.

NAtus est *Fortunius*, in Cantabria bellicosa olim & horrida non exculta regione, nec doctrinarum laudibus celebrata. Vnde mirum est intractabilem illam terram, tam præclarum ingenium successu temporũ, præsertim huiusmodi ingeniũ proferre potuisse. Certe nostra tempestate bonas disciplinas hæc gens tam religiose colit, vt de Cantabriæ principatu Minerua cum Marte, vt olim cum Neptuno de Athenarum contendisse videatur. Ac præter ceteros, ea, quibus maiores olim priuauit, omnia, vnicum in *Fortunium* visa est cõtulisse. Huic acre, flexibile, multiplex, & exercitatũ ingenium, qui acriter & subtiliter ad summum, magna cum sua Hispaniæque gloria mille quingentas *Conclusiones*, lubricæ & ancipitis difficultatis plenas, Bononiæ primum, deindẽ Senis, postremo in vrbe disputauit. Testantur etiam viri ingenium Commentarii illi *de pactis* eruditi, qui in manus hominum cuulgati pridem Bononiæ circumferuntur, ac non mediocrem cunctis admirandi rationem præbent. Tum illi recentiores *de vltimo fine vtriusque Iuris*, doctissimis etiam cuitata materia: & de lege illa *Gallus*, vel ipsis Vlpiano, Modestinoque formidabili: vt vere cum Cæcilio dicere possim: *Magna Fortunium fama præcesserat: maior inuentus est.* Quæ iam esse potest humanitas cuius in FORTVNIO proprium exemplum non reperias? Si ad mores spectes nihil erat hoc homine melius. Ita grauis erat, vt minime austerus; ita comis, vt tamen ipsius auctoritas grauitasque constet, & vt semel dicam, ita omnium rerum modicus, vt in eo nihil emineat, nihil tamen desideretur. Quod certe perquam magnum est; cum innatum sit Cantabris indomitum nescio quid? Si quando FORTVNIVS à quopiam, vt fit vehementer provocatus, sibi nihil vnquam ad morem nationis Cantabricæ indulsit, sibi potius imperauit, repugnauit, restitit. Iam vero in consultationibus quid grauius, quid consultius? quid denique eo circumspectius? cuius auctoritas in rebus dubiis plurimis auxilio fuit. Nam quod ad litteraturam attinet, solet omnibus esse admirationi, cum ad eum tanquam ad Oraculum Pythium Scholastici iuuenes magno numero quotidie ventitarint, nodosas abcisi iuuenes magno numero quotidie ventitarint, nodosas abstrusasque quæstiones scisciturí. Nihil quod ignoret, nihil tamen temere ac sine cunctatione respondit diuersitate rationum distractus: vt plane intelligatur illud Thucididis esse quam verissimum, ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνος. Nihil enim se scire arbitratus quod non à causis & origine ipsa repeteret: nec satis habuit inter Iuris auctores prudentissimos quosque tractare, excutit Philosophos: Theologos non prætermittit vt etiam Bononiæ ius Pontificium profiteri non erubuerit. Omitto hic quantam sui apud omnes ciuitates & principes splendore sapientiæ gratiam sparserit, vt etiam honestissima fuerit conditione à senatu Florẽtino in Academiam Pisanam inuitatus, atq; adeo summopere flagitatus. Nemo erat quin speraret eum breui facultatibus atque honoribus etiam atq; etiam auctum iri, si quẽ cœpisset cursum tenere vellet. Ipse vero in recip. gubernationẽ propensus, haud tanti illa omnia putauit. Huc direxit omnes animi sui cogitationes, vt Regi suo deseruiret. Decursis itaq; studiorũ honorumq; spatiis eo nomine in Hispaniam se contulit, gessitque magistratus, claruitque apud suos non secus at-

que apud exteros. Magno interim sui absentis relicto desiderio collegis Bononiensis Hispanicæ gentis gymnasii ab Aegidio Albornotio Card. armis clarissimo excitati: in his Genesio Sepuluedæ Cordubensi Philosopho ac Theologo insigni, ac Iacobo Arragaio Cantabro, vtriusque iuris ea tempestate Professori. Reliquit filium, an nepotem nõ facile dixerim, Alfonsum Ersillam à Stunica vernaculæ Principẽ Pœticæ, quod in Cantabri sobole admireris: edito poemate *Arancana* de bellis Hispanorum in Occidentis India gestis: quod nacti plerique, vt cum stupore legunt, sic de manibus non deponunt. Scripsit autem *Fortunius*, de fine Iuris Canonici super *tt. ff.* veteris de pactis c. 1. dec. 1.

PETRVS RVISIVS MORVS
Alcanicensis.

PAtria huic cum Palmyreno communis, studiũ dispar. Hic enim Iuris Ciuilis studio deditus Bononiæ in Hispanorum Collegio Aegidii Albornotii beneficentia cõstructo, annos aliquot versatus, collegas inter acer erat disputator, vt ne à clamore quidem gentis more temperaret: vultu tamen deformi, atque oculis prominentibus, ideoque hebetioris aspectus, vt vitreis perpetuo perspicillis vteretur. A Poetica minime abhorruit, Modestini Iureconsulti exemplo adductus. A Polonorum Rege, Bononia, honoris gratia euocatus, ius Ciuile de superiore loco Doctor Cracouiæ professus est, scripsitque nonnulla, & Poemata lusit. Antonius Augustinus sodalem suum absentem versibus sic appellabat.

Lugete o Latii graues leuesque
Vates, dulcisonum meum poetam
Trux quem Sarmata detinet, volentem
Vestris nunc oculis magis placere.
Lugete o Socii aureis libellis
Iustos qui faciunt, malos coercent.
Trux nam Sarmata detinet RVIZVM
Omnes quem diligunt amantque docti

BAR-

BARTHOLOMÆVS ALBORNOTIVS
Talabricensis.

RVizio non dissimilis Albornotius, legũ Doctor, Ossunæ creatus, quas & in Mexicana Occidentis Indiæ Academia professus, summi vt ingenii ac plane monstrosi, sic & memoriæ specimen sæpe dedit. Scripsit enim, de omni *Contractuum ac Stipulationum genere* volumen: vtque à pluribus popularius legeretur, patrio sermone, ac rationibus, argumentisque è natura ductis, quæ legis anima dicitur potius, quam vt plerique putide inculcando plaustra legum, glossarum, ac rubricarum ad fastidium vsque. Inscripsit autem Didaco Couarruuiæ, vt præceptori quondam Salmanticæ, iam Segobiensi Præsuli, ac Senatus Regii Præsidi: exiitque, apud Valentinos opus, anno 1573. quo per parodiam è Nasone in librum sic ludit:

Hic situs est Phaeton currus auriga paterni:
Quem si non tenuit magnis tamen excidit ausis:

Et Liber de auctore:

De generes animos timor arguit: heu quibus ille
Iactatus fatis; quæ bella exhausta canebat.

EMMANVEL COSTA LVSITANVS.

IVrisconsultus insignis ex eorum mundo, qui Ant. Goueani & Augustini exẽplo politiorẽ *iuris* ciuilis tractationẽ via ac ratione apud Hispanos Italorum, Gallorumque exemplo tradere cœpere. Puer in Academia Salmanticensi, auspiciis augustissimæ Isabellæ Philippi II. Regis Catholici, litteris operam dedit: eosque progressus inter æquales fecit, vt in ea ætate ad excellentis doctrinæ laudem impetus magnos ostenderet. Studia illius, & ingenii vis non mediocris permouit, & prouexit, insignis quædam de illo exspectatio. In Academia igitur Salmanticensi Cathedræ primariæ legum, post emerita alterius stipendia, in Conimbricensi professor, scripsit insignem *Commentarium* in c. Leg. Si pater. de Testamentis libro VI. decretorum: & in L. Qui duos titulo. de rebus dubiis, lib. Pandectarum: & in L. Gallus. D. de liberis & Postumis. & *Interpretationum selectarũ circa conditiones & demõstrationes* libros duos: vt & in eiusdẽ argumẽti legẽ, cum tale, aliaq; quæ Regi Catholico misit: cui ille perbenigne rescripsit, quæque meruisset pietatis & doctrinæ præmia ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

spectare iussit. In quibus præterquam quod cum doctissimis Iureconsultis sæpe manum conseruit, sæpe eorum inter se odia sedauit vt de se ipso Lusitanico more iactabat: plurima, quæ cum essent à recentioribus doctoribus magis de suis opinionibus tuēdis, quam de antiquorum vera iurisprudentia inuestiganda & constituenda laborantibus, obliuione sepulta, ab eo sunt in lucem reuocata, suusq; eis antiquus honor & splendor restitutus. Professus est eo tempore, anno nimirum M. D. LX. quo in celeberrima academia Salmāticensi permagnus optimorum ingeniorū numerus incredibilisq; ad iustitiam addiscendam ardor: in quibus excolendis industriam suam desiderari non patiebatur. Collegam habuit fratrem suum, cuius in Iure Pontificio docendo egregius labor multos annos desudauit. Filii quoq; eius duo in Iure excelluerūt: alter Madriti causarum patronus fuit.

ARIVS PINELVS LVSITANVS.

PRæceptorem habuit in Iure Antonium Gomesium, qui in leges Taurinas scripsit; & Martinum al Aspilquetam Nauarrum: vnde mirum non est, tam præclarum Iureconsultum euasisse. Quippe qui Ioannis III. Regis Lusitaniæ iussu, & stipendiis in florenti Academia Conimbricensi publico docēdi munere plusquā decennium functus, post alia vitæ ratione suscepta ab eodem rege ad Ius Ciuile interpretandum remissus est. Henrico in Cardinaliū cœtum recepto, nepoti etiam tum puero Sebastiano primo lucubrationes tanquam frugum primitias cōsecrauit: quas in Codicis eas constitutiones, quæ ad maternæ successionis, & rescindendæ venditionis iura pertinere, accurate disseruerat. Has postea Emmanuel Soarez scholis illustrauit.

Moritur Pinus ante diem, manu leuiter cæsa interemptus: cuius in obitum Ioan. Merulus Toletanus I.C. Epicediū hoc cecinit.

Hic iacet illa solo PINVS *sine frondis honore*
Altior, & multo pulcrior ante alias.
Non potuit Boreas tantam subuertere molem
Quamuis siluam vna perdere nocte solet.
Nec fuit igni fere prostrata è fulminis ira,
Ast ictu exiguo heu læsit iniqua manus.

Ictu vno

Ictu vno illo iacet placido sub tegmine cuius
Pierides fesso discubuere genu.
Dulcisonamque lyram doctus pulsauit Apollo
Quam nunc audito conterit interitu.
Sic visum est superis, melior tamen æthera supra
Translata exultat pars, fruiturque Deo.
Qui terrenus erat truncus manet, atque Camœnæ
Contendunt lacrymis, pullulet ille suis.

EMANVEL SOAREZ A RIBERA.

IVris sacerdos præclarus hic exstitit discipulus Hectoris Roderici, vt ipse ait in scholiis ad Pinelum. Scripsit *Thesaurum receptarum sententiarum.*

FERDINANDVS DE LOAZES.

ORiolanus in regno Valentino, ex inquisitore Bactinonensi, & Valentino I.C. Tarraconēsis Archiepiscopus: tractatum edidit de *Matrimonio Henrici VIII. Britanniæ regis.*

IACOBVS SIMANCA.

IAcobus Simanca alias Septimanticēsis, ex professore Iuris Salmanticæ, & fidei quæsitore Parensis episcopus: conscripsit Catholicas *Institutiones* ad cauendas & extirpandas hereses. item *praxin hereseon*; *Annotationes in Zanzinum de dignitate episcopali. Collectanea de rep.* libris IX. Venetiis, & apud Plantinum.

IOAN. BERNARD. DIAZ DE LVCO.

EPiscopus Calaguritanus. Scripsit *Practicam Criminalem Canonicam* cum annotationibus Ignatii Salzedo de Leon. decretorum in Complutensi Academia professoris: item in regulas iuris.

FRANCISCVS VARGAS.

CAtholicæ maiestatis Tridenti legatus. Scripsit *de episcoporum iurisdictione & Pontificis maximi.*

Universidad de Deusto Biblioteca

VIII. CLASSIS MEDICORVM ALIQVOT SERIES.

ARNOLDVS à Villa noua.
Francis. Valesius à Couarruuiis.
Frãciscus Micon.
Ioannes Fragosus.
Andr. à Lacuna Segobiensis.
Pet. Iacobus Steue Valentinus.
Christophorus Brosonis.
Christophorus à vega.
Amatus Lusitanus.
Nicolaus Mouardus, Hispal.
Ludouicus Mercatus.
Henricus à Cuellar.
Brudus Lusitanus
Aloysius Torres.
Simon à Touar.
Didacus Merinus.
Thomas Rodericus à Vega.
Antonius Aluares.
Alfonsus Luxius.
Antonius Cartagena.
Christophorus à costa.
Ludouicus Abulensis à Lobera.
Ludouicus Colladus Valentinus.
Ferdinãdus de Mena Lusitanus.
Franciscus Scobarius Valentinus.
Ioannes Brauius.
Petrus Hispanus.
Petrus Paulus Pereda.
Petrus Pena, &
Mattheus Lobet Insulensis
Rodericus è Fonseca Lusitanus.
Nomus a costa Lusitanus.
Hieronymus Ximenez.
Paschasius Valentinus.
Ioannes Bystamantius.
Ioannes Vascus.
Andreas Alcazar.

ARNOLDVS A VILLANOVA.

REi Medicæ habitus est peritissimus, maiori tamen fama, quam laude: quod nobile ingenium, eruditionem maximam, prauis superstitionibus, prauisque de religione opinionibus fœdare visus est. Quo nomine aliquanto post ab Inquisitoribus ignominia notatus est: librique quos numero ediderat, reprobati. Ex humano semine, quibusdam in vase medicamentis, hominis corpus efformasse, qui affirmaret auctorem habeo, ait Ioan. Mariana lib. XIV Annal. Hisp. cap. IX.

FRANC.

FRANC. VALESIVS A COVARRVVIIS.

SVmmam hic Compluti apud Carpetanos in Philosophicis qua docendo, qua disputando est laudem adeptus, parique contentione in medica arte progressus faciẽs, ἀρχίατρος seu Regius medicus est renunciatus: curamque gessit valetudinis Philippi II. Hispaniarum regis maximi; qui & illum liberaliter habuit ac munifice. Reliquit posteris aureos Sacræ *Philosophiæ* libros, siue ad S. Scripturæ veteris ac noui instrumẽti loca. *Controuersias* item cum Philosophicas, tum medicas, lib. x. Frãcofurti Wechelianis typis, extra Hispaniam foras datas. Item in 4. Meteorologicorũ Aristot. Patauii 1591. Commentaria in libros Hippocratis de morbis vulgaribus: & in Aphorismos, itẽ in Prognosticos, & Epidemicos; ac de *victus ratione* eiusdẽ Hippocratis. Item in Galeni artem medicinam, de locis affectis 1559. de inæquali temperie: & in aliquot tractatus medicinales, *Methodum medendi* IV. libris comprehẽsam: denique *de Vrinis, Pulsibus, ac Febribus* compendiarias tractationes.

CHRISTOPHORVS OROSCIVS.

SAlmanticæ Ferd. Pintiani auditor: post medicus vtriusque linguæ peritus. Edidit *Annotationes* in interpretes Aetii, & Paulli Aeginetæ; Albanum Torinum, & Guinterium Andernacum: ostendit & varios aliorum medicorum errores. Ianus Cornarius eas notas sugillando tamquam parum necessarias, & leuissima quæque consectantes, facit inhumane. Quin & Pintianum præceptorem XXV. Annotationibus in re medica apud Plinium adiuuit.

CHRISTOPHORVS A VEGA.

PRofessor Complutensis scripsit *Commentaria* in librum Galeni de *differentia Febrium*, & de *sanguinis missione*: in *Aphorismos Hippocratis*. & Prognostica accuratissime scripsit Salmanticæ 1552. Compluti 1553. Edidit & *de Medendi methodo* libros tres. Item de *pulsibus atque vrinis*: & de *curatione Caruncularum*.

AMATVS LVSITANVS.

ARte hic medica, vt solet Lusitanorum natio, valde excelluit, & præter curandi ęgros felicitatem, otium ad scribendum nactus *Obseruationes experimentaque* litteris consignauit. Circumferuntur eius *medicinalium Curationum* Centuriæ 7. vtiles sane iis, qui medicinam factitant; *Exegemata item in discordem Anazarbium*, & alia opuscula, Antuerpiæ, Venetiis, Lugduni excusa.

NICOLAVS MONARDVS HISPAL.

SCripsit *de herbis exoticis & peregrinis*, quæ ex India advehuntur lib. III. lingua vernacula: item *de Secanda vena in pleuritide.*

LVDOVICVS MERCATVS.

PIntianus scripsit libros VII. de febribus: II. *de indicatione medica.* IV. *Gyneciorum.* II. *de Pulsibus: de Methodo medendi*, idque summo studio, & labore. Item de *morbis mulierum.*

HENRICVS A GVELLAR.

EDidit *Commentaria* in prognostica Hippocratis, cum Comment. Galeni. Professus est in Academia Conimbricensi.

Brudus Lusitanus de victus ratione in febribus libros III. scripsit secundum Hippocratem. Venetiis *1569.*

Aloysius Torrez Placentinus *de febre puncticulari* accurate scripsit.

Simon à Touar Hispalensis edidit *de cõpositorum medicamentorum examine.*

Didaci Meriui, de morbis internis libri VI.

Thomas Rodericus à Vega Eborensis *medicus insignis* composuit *Commentaria* in libros de victus ratione Hippocratis in Artem medicam Galeni, in libros de locis affectis; in libros de differentia febrium: inter recentiores medicos post habendus nemini. Pleraque Plantinus Antuerpiæ euulgauit. Titulus operis in totum Galenum polliceri Commentarios videtur.

Antonius Aluarez epistolarum & Consiliorum medicinalium librum edidit. Professus medicinam *in Complutensi* & Pintiana Academia.

Alfon-

Alfonsius Lupius Tarraconẽsis Enchiridiõ medicinæ, seu Methodum de natura venæ, & notas in pleraque Galeni loca edidit. Item de morbo pustulato.

IOANNES FRAGOSVS TOLETANVS.

MEdicus & Chirurgus edidit Madriti de Succedaneis medicamentis, semel iterumque. Item *Animaduersiones* in quam plurima medicamenta composita, quorum est vsus in Hispanicis officinis, Mantuæ, Carpetani anno 1575. Scripsit & de Aromaticis ac stirpibus quæ ex Orientis India Medicorum vsui adferuntur: & *Chirurgiam* cum Tractatu *de Euacuationibus & Antidotario.*

FRANCISCVS MICON VIGVENSIS *Catalaunus.*

SCripsit Hispane de *potione frigidæ*, seu *Solatium sitientium.*

LAVRENTIVS GOZAR VALENtinus.

MEdicus hic Dialogum edidit veros medicinæ fontes indicantem, quos præter Philosophiam & medẽdi artem astrologiam esse affirmat, & Chymiam Valentiæ *1589.* Paracelsum hic, non Celsum sectari videtur.

ANTONIVS LACVNA SEGOBIENSIS *Medicus.*

DOctor hic Medicus Põtificum aliquot valetudini præfuit, doctoris & ipse Medici filius Iacobi Ferdinandi à Lacuna: qui (vt ipse testatum reliquit ad libellum Aristotelis, de virtutibus latinum à se factum) & benignus parens, & studiorũ præceptor exstitit, sed mature amisit. Segobiæ (quam Secobiam olim dictam putant) natus est, quæ ciuitas vmbilicum fere Hispaniæ tenere putatur, tam ciuium industria & pietate, (dedit enim Sotum & Villepandeum Theologos, & Fontidonium etiam oratorem egregios viros)

quam cæli salubritate clara. Primum Salmanticæ Dialectica hausit, hinc Lutetiam concessit, vbi in Græcis operam dedit Petro Danesio, ac Iacobo Tusano. Ioannem vero Gelidam Valentinum philosophantem audiuit: de quo nos in Valentina gente Tomo III. disseruimus. In Medicis vero præstantissimum eius Academiæ Parisiensis Syluium sectatus est. In patriam his mercibus reuertens Doctoris laurea communi omnium suffragio Toleti Carpetanorum decoratus est. Cæsaris Caroli castra secutus Medicinam factitabat. Coloniæ diu in studiis hæsit. Metensis Reip. quæ ea tempestate miris malis domi militiæque afflictabatur, Medicus fuit, stipendio annuo ornatus: circa an. CIↃ. IↃ. XLII. Eius Reipub. Collegio Canonicorum inscripsit *Galeni* Philosophicam historiam, inepte antea à vetere interprete, & Martino Rota conuersam: adiutus ope vetustissimi exemplaris calamo exarati. Sed non tam Galeni videri opus obseruatum, quam ἐπιτομὴ Plutarchi librorum quinque, περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, seu de placitis Philosophorum; vt ex vtriusque comparatione, & Eusebii παρασκευ. ἐναγγέλ. emendari mutuo queant. Vertit & è Græco *Lacuna* Aristotelem, περὶ κόσμου, post magnum illum Budæum: itemque *de Virtutibus* libellum, qui potius Platonici cuiusdam videatur. Luciani item *Tragopodagram* reddidit; & *Europæ querimoniam*. Coloniæ pleraque excusa exstant. Γεωπονικὰ, seu de Agricultura libros, quos Cōstantini Cæsaris esse putant: & à nōnullis Cassio Dionysio Vticēsi tribuūtur, Latinitate donauit: & Cornarii interpretationem Scholiis additis reprehendit. *De stirpibus* item libros duos Theophrasto alii, quidam etiam Aristoteli falsò adscribunt.

In re Medica & *Indicem Galeni* concinnauit, & in compēdium redegit, in eorum gratiam, qui angustia rei familiaris premuntur, nec otio abundant. Præterea in Dioscoridem Latina Scholia, collatis Græcis exemplaribus: quem etiam Hispanice loquentem cum copioso Commentario ac figuris, ciuibus suis rei Medicæ studiosis condonauit. Scripsit & *de carnositate in vesica. De febri* item *pestilenti ac de humani corporis sectione Methodum*, Parisiis, aliaque Lugduni euulgata.

ANTO-

ANTONIVS CARTAGENA.

DOctor medicus in Complutensi Academia professor: post Caroli V. iussu, Galliarum Delphini, vtriusque fratris Ducis Aurelianensis Francisci Galliæ regis filiorum, qui pro patre obsides in Hispania asseruabantur, corporum curam gerens, Vecaniræ oppido Vaccæorum. Elegantia morum insignis, & vultus hilaritate, qua animos ægrotorum mire recreabat, principib. viris carus, acceptusq;. Scripsit *de Peste, ac de signis Febrium, de diebus Criticis*: & libellum elegantissimum *de fascinatione:* prædicat hunc amorum suauitate & Aluarus Gometius lib. de vita Franc. Ximenii Card.

CHRISTOPHORVS ACOSTA.

DE *Simplicibus atque Aromatib. Indiarum* varie est commentatus: mutuatus magnam partē à Garcia Orta Lusitano: vt ipse, quod est ingenui, non inficiatur. Claudius Libessardus Atrebatensis hoc ei Epitaphium posuit.

Africa te genuit, te fertilis Asia pauit,
Te nunc Europa, doctor ACOSTA tenet.

IDEM.

Ne tantos terra ex Sanctos pelagoque labores,
Nocte die tumida mergeret vnda maris,
ACOSTAE docto meritam tulit alma Africano
Claram virtutis æmula Pallas opem.

LVDOVICVS ABVLENSIS A LOBERA.

CAesaris Caroli V. Medicus. Scripsit Hispane & Latine in medicina, *de Nobiliū conuiuiis victuſque ratione. & de valetudine tuenda.*

PETRVS IACOBVS STEVE VALENtinus Medicus.

ETsi in Valentina vrbe possessionē eius laudis, quod egregie rem tractent Medicam plurimi retineant, vt verbis eius, quo de nobis sermo est, vtar, tamen IACOBO STEVE hoc nomine plurimum po-

Universidad de Deusto Biblioteca

sterie ebebunt, quod industriam suam ad hanc artem propagãdam illustrandamq; contulerit, vtpote qui non in scholis modo docendo publice multorũ excitauerit ingenia, doctus ipse trium linguarum & Anatomicæ peritus ac Mathematicæ, sed monumentis etiã in lucem emissis illorum consuluerit vtilitati. Viri enim Philosophi esse recte iudicabat ad optimarũ artium scientiã benemerendi de rebus humanis voluntatẽ adiungere. Igitur *Nicandri Colophonii theriaca* herico carmine reddita scholiis etiam illustrauit, cum nondũ Ioan. Gorreus Lutetiæ manũ, aut Euricius in Germania admouisset. Doctor vero iam rẽ de superiori loco Medicã explanãs, *in Hippocratis librum secundum* Ἐπιδημίων, *seu popularium morborum Commentarium*, Valentiæ euulgauit, Bernardi Cimonis patricii auspiciis, vsque eo eruditum, doctisq; hominibus gratũ, vt vel æmuli, inuidia iudice Galeni compilasse scrinia, cuius in hos libros labor, temporum iniuria intercidisset, iactitarint. Filiũ reliquit doctrina parentis spe superiorem. Theologiam enim disciplinarum reginam, Societati iam recens in Hispania ortæ adscriptus, in Indiãq;, superiorũ voluntate, profectus, sacras litteras Goæ annos est plurimos professus. Parens quoque in patria, vt fit, se negligi alibi expostulat, librum sic affatus:

Ergo quod inuisus maneas sufferre memento:
Scilicet in patria nemo propheta sua:

Sic filius patria procul bene rẽ gessit, fideiq; Christianæ proferre pomœria studens, famam cum omni prosteritate adæquauit.

LVDOVICVS COLLADVS VALENTINVS.

EDidit in Galenum de *Ossibus*, seu de Anatomia: Item ad tyrones *Isagogẽ* ad medicinam faciendã, quæ est proprie disputatio de Indicationib. in qua refellit Ioan. Argentarium ex XIV. libris Methodi Galeni: eiusdem *practica*, & *Commẽtaria* in V. VII. & XI. lib. Methodi medendi Galeni: item in Galenum *de sanguinis missione*: item Isagoge ex Hippocrate & Galeno perpetua oratione, Valentiæ exiit. inedita adhuc apud heredes latent. Huius auditor fuit *Paschasius Valentinus*, qui edidit Practicam medicam de *ratione curandi morbos*, in quã commentatus est Petrus Pereda Valentinus.

FER-

FERDINANDVS DE MENA LVSITANVS.

PRofessor Complutensis *de febribus* scripsit, apud Plantinum: item de sanguinis missione, & purgatione. Item *de pulsibus, & vrinis*. & de ratione permiscendi medicamenta, *Compluti*.

FRANCISCVS SCOBARIVS VALENtinus.

BArcinone eloquentiæ doctor mirus dicendi, vt Ciceronẽ feliciter exprimeret, & instituendæ iuuentutis artifex, qui per XX. annos Rhetoricen Lutetiæ & Romæ publice professus est: ad quem audiendum magnus cõcursus fiebat. In his Salmantica, etiã Ioannes Mallara Hispalensis, qui cũ annos aliquot attentissime audisse se gloriatur, ediditq; in Aphtonii Progymnasmata dictata, ab illius ore, vt ingenue confitetur, excepta. (est enim hominis ingenui agnoscere per quem profeceris). Conuertit etiã ipse Aphtoniũ felicius, quam ad eam diem quisquam, vel Rodolfus, vel Catanæus, vel Natalis, cum *exercitatione de* fabulis *& Oria*. Scripsit & in puerorum gratiam *Scholia in Syntaxin* Gulielmi Lilii, quæ Erasmi nomine de octo partibus orationis circũfertur. *Orationem* edidit disertã, quam, cum Doctoris medicæ artis laurea Barcinone insigniretur, publice habuit. *Rhetorica* itẽ Aristotelis interpretati cœperat Latine, q; videlicet Trapezuntius illi, nec Hermolaus satis eo munere diligenter functi viderentur: in quorum altero, vt aiebat, maiorem linguæ Latinæ scientiam, in hoc etiam Græcarum litterarum peritiam requireret. Obiit Barcinone senex.

IOANNES BRAVIVS PETRAFITANVS.

PRofessor medicæ artis Salmanticæ. Scripsit *de Hydrophobiæ natura*, causis, atq; medela eorum, qui à canibus rabidis morsi sunt. Salmãt. Item *de vini natura*. Et in prognostica Hipp. item in Galenũ de diff: febrium.

PETRVS HISPANVS.

POntif. Rom. Medicus, scripsit *Thesaurum pauperũ: de Medendis morbis corporis humani* Cõment: in pleraq; opera Isaac. Medici librum experimenta particularia, & simplicia medicamenta continentem. Francofurti an. 1567.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PET. PAVLVS PEREDA.

SEtabēsis scripsit in Michaelis Ioan. Paschalii Methodum curādi, scholia, Lugduni edita.

PET. PENNA ET MATTHÆVS LOBEL *Insulensis.*

EDiderunt *Stirpium historiam* seu in Dioscoridem commētarium, quibus accessit appendix, cum indice variarum linguarum Antuerpiæ, typis Christoph. Plantini M. D. LXXVI.

RODERICVS A FONSECA LVSITANUS.

SCripsit in Hippocratis legem *Commentarium* Romæ: item *de calculorum remediis, qui in renibus, & vesica gignuntur* lib. II. In 1. & 2. Aphorismorum librum *Commentaria* Florentiæ, & Venetiis.

HIERONYMVS XIMENEZ.

MEdicus Cæsarauguſtanus litterate peritus, ac disertus, ex Epila vico Comitis Arandæ in Aragonia oriundus, edidit Latine Institutiones Medicas, in fol.

MICHAEL IO. PASCHASIVS *Valentinus.*

PRæstans in patria Medicus scripsit *Practicam medicam, de ratione curandi morbos*, & in Commentaria doctissima Petrus Pereda Setabicensis dedit. Ille discipulus fuit Colladii. Filium reliquit Bartholomæum Joh. Paschasium. de quo nos in Valentinis.

IOAN: BVSTVMANTIVS.

COmplutensis Medicus primarius Historiam animalium quæ in sacris Bibliis occurrunt accurate explanat, post Levinum Lemnium Belgam opus sane Ecclesiastis perutile, Cōpluti foras datum anno CIↃ. IↃ.XCV. quorum primus Tomus est de reptilibus.

IOAN.

IOAN. VASCVS.

CAtalaunus Tabulas edidit de re Anatomica. Item de iudiciis Vrinarum.

ANDREAS ALCAZAR.

ORiundus hic Guadalaxara quæ in Carpetanis Carraca vetus putatur: primarius Salmanticæ ptofessor de Chirurgia libros VI. edidit.

IX CLASSIS POETARVM; ET FOEMINARVM ERVDITARVM.

SERIES POETARVM.

DAMASVS Pontifex Lusitanus, vel, vt aliis placet Madritanus.
Prudentius.
Iuuencus.
Arias Barbosa.
And. Resendius.
Achilles Statius.
Didacus Pyrrhus.
Ignatius Morales.
Iacobus Teuius Bracarensis.
Lud. Crucius Societ. IESV.
Antonius Goueanus.
Emanuel Costa.
Benedictus Arias Montanus.
Iacobus Saluator Solanius.
Ioannes Verzoza.
Ioan. Petreius Toletanus.
Ambrosius Nicāder Toletanus.
Iacobus Falco Valentinus.

Vulgares Poetæ.

Ioan. Mena Cordubensis.
Garsias Lassus Toletanus.
Alfonsus Ersilla Stunica.

FOEMINÆ HISP. Eruditæ.

ANgela Zapata.
Anna de Orosio.
Catharina Pacensis.
Oliua Sabuco medica.
Isabella Ioensis.
Sigœa Toletana.
Teresa Iesu Religiosa Carmelit.
Iuliana Morel.

POETAE SACRI

POETAE.

DAMASVS Pontifex, Prudentius, ac Iuuencus sacra poesi olim illustres: quos & in Antiquorum classe recensuimus. Venio ad recētiores, sed castos poetas: obscęuos enim & impmpuros vel nominare religio sit.

LVSITANI in poetica, vt & in Musica regnare feruntur mira animi propēsione velut enthusiasmo rapti: nomina singulatim apponam; quod sua plerique in gente collocentur.

Arias

Arias Barbosa. Andreas Resendius. Achilles Statius.
Didacus Pyrreus. Ignatius Morales. Iacobus Teuius.
Ludouicus Crucius Soc. Iesu. Antonius Goueanꝰ. Emmanuel Costa. I.C.

Georgii Coelii Canonici Eborensis *de Patientia Christi* poema heroicum Olyssipone exiit.

In Batica.

Claruit Hispali Poetica ac sanctæ linguæ cognitione prope singulari Bened. Arias Montanus, cuius sacra poemata, cum Iconibus, vt & Psalterium omniaque adeo eius in Sacram Scripturam commentaria, Plantinianis Antuerpiæ Typis exierunt.

IACOBVS Saluator Solanius Margitanus poemata dedit varia, & quædā *in ebriosos* an. 1558. Caralis apud Sardos B. Fortunati poemata euulgauit. Romæ Vero S. Sixti III. Pōtif. Max. librum *de diuitiis*, eiusdem *de malis doctoribus, de operibus Fidei, iudicio futuro, castitate*, edidit: item S. Bracharii epistolam ad Ianuarium, Romæ typis Iosephi de Angelis. Ennodium quoque Ticinensem dum molitur ad Vaticanum exemplar antiquissimum cōparatum, furto amisit Ioannes Verzoza Cæsarauguſtanus, Horatii in epistolis æmulus: de quo nos inter Aragonios.

Toletum.

Ioannem Petreium dedit nō modo Rhetorem eximium, sed & Poetam grandiloquum. Testatur id *Magdalena*: vt nihil interim dicam de *Epigrammatis*, quibus claros Complutensis Academiæ nascentis Doctores Ausonii exēplo prædicat.

Ambrosius Nicāder Toletanus linguę latine inprimis peritus, Laurētii Medicis Florentiæ ducis auspiciis humanitatis studia in Florentino Gymnasio publico stipendio professus est: & Silium Italicum Hispanum poetam, è vetustissimo exemplari Rom. innumeris locis meliorem factum, eidē principi dedicauit Michael Verinus Balearis gnomologus de quo nos pluribus inter Maioricenses.

Valentiæ Edetanorā vidimus Iacobum Falconē equestris Mōtesiorum ordinis virum nobilem Poetam ac Mathematicum insignem. Scripsit semel iterumque *de Circuli quadratura* Valentiæ 587. & 1585. & poemata plurima panxit, vt & Satyras *de præstantia* seu *nobilitate*, Horatii æmulus: quæ omnia Valentiæ Philippus Mei, typis propagauit. Lusit Dimetris ex meris Iambis, vt in Phaselo doctus Catullus, quos apponere non pigebit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Circulus loquitur.

Vocabar ante circulus,
Eramque curuus vndique:
Vt alta Solis orbita
Et arcus ille nubium,
Eram figura nobilis,
Carensque sola origine,
Carensque sola termino.
Modo indecora prodeo,
Nouisque fœdor angulis.
Nec hoc peregit Archytas,
Neque Icari pater, neque
Tuus Iapete filius.
Quis ergo casus, aut Deus
Meam quadrauit aream?

Respondit auctor.

Ad alta Turiæ ostia,
Lacumque limpidissimum,
Sita est beata ciuitas.
Parum Saguntus abfuit,
Abestque Sucro plusculum:
Hic est poeta quispiam
Libenter astra consulens,
Sibique semper arrogans
Negata doctioribus:
Senex vbique cogitans,
Sui frequenter immemor,
Nec explicare circinum,
Nec exarare lineas
Sciens, vt ipse prædicat.
Hic ergo bellus artifex
Tuam quadrauit aream.

Poetas populares eo non attingo, quod sint prope innumerabiles ac plebei, plurimum rythmis ad aurium voluptatem extremis sonis cadentibus. Hi litteris etiam tincti *Ioannes Mena* Cordubensis *de Pla-*

de Planetis, quem & Ferdin. Pintianus homo eruditus Hispano explanare sermone adolescens nõ erubuit, vt & Garsiam Lassum principem alterũ Ferdinãdus Fleorea explicuit: vt & M. Ant. Muretus *in Gallia* Pet. Ronsardum. Addam his tertium Alfonsum Ersillã qui Auracanam diuinitus scripsisse videtur.

IOANNES PARDVS Hispanus Poetica floruit in Italia, Philosophus idem, & Mathematicus, quo tempore Fredericus Aragonum Rex in Italia res gessit, & Ferdinandus Iunior. Celebratur à Iouiano Pontano prosa ac versibus, qui & illi librum, inscripsit. Elegia vero elegante Actius Syncerus Sannazarus sic prædicat.

PARDE decus patriæ, spes maxima PARDE tuorum
Atque idem Hispani gloria prima soli,
Quem iuuat immensi causas exquirere mundi
Primaque constanti corpora iuncta fide:
An magno æternæ voluatur numine cælum
An propria hoc ingens mole laboret opus.
Cur salsi fluctus; cur ignibus æstuet Aethna,
Cur vomat potas vasta Charybdis aquas?
Vnde nitor stellis; cur non maiorue minorue
Cur non ipsa suo lumine Luna micet?
Felix cælestes cui fas nunc scandere sedes
In queis post obitum fata manere sinant.

Respondit Sannazario Pardus.

ACTI, cui simplex peperit facundia nomen
Synceri, & vitæ candida simplicitas,
Si pecus exiguum nobis, si commodus esset,
Qui pecus & Dominum pascere posset ager,
Ipse quoque in siluis non dedignarer opacis
Viuere, quas magni Diique Deæque colant.
Rura delitiis fruerer, ruriique labores
Exciperem festis sæpius agricolis.
Hic ego longa meæ cupiissem stamina vitæ
Deduci, hic atram rumpere fila diem.
Par igitur nobis studium, disparque facultas,
Hinc sequimur vitæ munera disparia:
Ergo prædiolis tu, qui potes, utere auitis
Pinguius & Siculis pasce pecus gregibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mi, quia nulla soli natalis cura relicta est
Cura sit externi sidereique soli.

DIDACVS GVEVARRA nobilis Hispanus Ambrosii Moralis Compluti carus auditor, scripsit Epithalamium in Nuptias Philippi II. Regis,& Isabellæ Galliæ Reginæ. Iuuenis fato præreptus magnum sui desiderum excitauit: ad cuius funus hæc fudit Aluarus Gometius:

Hic situs DIDACVS GVEVARRIA, *Stemmata lugent,*
Et mœret Pallas, Castalidumque chorus.
Euterpe frangit citharam, Polymnia crinem
Discerpit, Latium, & Græcia conqueritur.
Nos pariter clarum iuuenem ploramus ademptum:
Qui patriæ potuit nomina magna dare.

POETRIAE ET FOEMINAE HISPANAE eruditione claræ.

LAVDET Cicero Corneliam Gracchorum matrem: miretur attonitus Lælias, Mutias,& Licinias: proferat Lucanus suam Pollam argentariam: nostraq; memoria Hippolytam suã Balthasar prædicet Castilionius:& Olympiam Moratam Ferrariẽsis. his ego opponam eruditarum in Hispania olim matronarum chorum, vel inuidia iudice.

ANGELA ZAPATA cũ angelica dotata mẽte existeret, doctissimi viri Ludouici Viuis lib. 1. de officio Christianæ feminę, cuius sui amplum & magnificũ testimoniũ de ingenio pariter & doctrina, tulit.

ANNA *de Orosio* Burgensis, & maiorum imaginibus nobilis fuit, & Theologiæ studio celebris.

CATHARINA Pacẽsis, cuius Latini versus, primã Hispali & Compluti lauream, iudicũ sententia meruerũt, nondũ expleto ætatis anno septimo & vicesimo: in ipso vitæ flore Oaracæ, quæ nunc *Guadalajara* nominatur, acerba & immatura morte viuis erepta, ingens sui reliquit desideriũ. Vertit Latino carmine librum de honestate, voluptate Ioannis Hurtadi Mendorii rythmo populari conscriptum.

OLIVA SABVCO de Nantes Barrera, incola Alcarassi oppidi, Latine & Hispane scripsit nouam Philosophiam de hominis natura, ad Regem Catholicum Philippum II. refellens medicorum quædam paradoxa, acute ac supra quam ab illo sexu exspectari queat. Madriti excusus liber circumfertur anno 1588.

CATHARINA TRILLO Antiquare nata matrona nobilis pererudita; nupsit Petro Gundisaluo Oconi, ordinis equestris viro, quo marito vicesimo ætatis anno amisso Ioannem Oconem filium primis litteris ipsa imbuit, quæ ad humanitatem pertinent. Hinc Salmanticam ad vberiorem ingenii cultum misit, tantoq; in iuris ciuilis studio progressus fecit, vt Granatæ primum, post Salmanticæ B. Bartholomæi, Collegium facile occuparit. Post etiam Pontificii iuris Professor suffragiis amplius centum superauit.

BEATRIX GALINDEZ Salmantina non ignobilis, Isabellæ Hispaniarum Reginæ in Latinis Magistra, eruditionis nomine nuptui data Franc. Ramyrez qui Regi à secretis erat anno salutis partæ 1499. Maritum vbi exstulit vidua caste vixit annos sex,& triginta; erga inopes quotidie benefica. Malacæ S. Trinitatis Sodalibus Cœnobium exædificauit: Madriti quoque Monasteria duo sacris Virginibus,& Pauperibus Nosocomium. Obiit in Dom. anno Christi 1553. Heredes ac liberos tametsi Eleemosynis nimis benigna esset reliquit opulentos. Deus enim, qui ipsa veritas est, centuplum in terris misericordi promittit; æternam vero à morte beatitudinem. De his duabus matronis sic Ioan. Peresius Moya libro de Claris Hisp. mulieribus, quem Madriti an. 1583 euulgabat.

ISABELLA Ioensis, nobilis fœmina Barcinonensis, optimarum litterarum studio, & vigilantis ingenii fertilitate; tum vita & moribus Paulæ Rom. persimilis.

Calabriæ dux fœmina, Zeneti Marchiona MENCIA Mendosa cuius viraginis ingenium affatim Græca Latinaque eruditione cultum. Occultos hæc eruditionis thesauros, defuncto priore viro Naslau, è Belgio ad suos rediens attulit. Hanc & à Paulo Manutio, deserto in Epistolis sermone laudatam memini: & à Ludouico Viuete lib. de Christiana fęmina.

SIGAEAM Toletanam propter litteras Latinas, Græcas, & Hebraicas sereniſſimæ Lusitanię Regina intra aulã suam incredibili admiratione excepit, & in illustrium fęminarum classem quibus ipsa priuatim & honestissima vteretur, statim referri voluit. Sororem quoque eruditam Græce ac Latine habuit, ac Musices in paucis peritam Angelam nomine, quam vtramque Ioan. Vasæus Belga

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Hisp. Chronicis prædicauit. Ioannes Merulus nobilis Toletanus Iureconsultus, ac Poeta hoc ciuem suam carmine cohonestandam, ne idem tumulus qui corpus, idem famam extingueret, existimauit.

Docta SIGAEA *iacet gelido sub marmore, cuius*
Ob mortem mœrens heu gemit Hesperia:
Et merito; quoniam Hebræa, Græca, atque Latina
Non secus ac patria voce perita loqui,
Tot linguas huius rapuit mors sæua puellæ,
In tenera admirans accumulata simul,

LOYSAE SIGAEAE Toletanæ sui sæculi Mineruæ: Toletum nascentem excepit. Lusitania honores & diuitias dedit: Burgi maritum vnicumque filium, & prô dolor ante diem sepulcrum. Anno salutis. M. D. LX. Octobris die XIII.

Andreas Resendius Lusitanus.

Hic sita SIGAEA *est: satis hoc: qui cetera nescit*
Rusticus est: artes nec colit ille bonas.

FRANC. Lopius.

DEliciæ Phœbi, Musarum fama, decusque
SIGAEA *Hesperiæ, conditur hoc tumulo.*
Omnes, quæ sonuit linguas SIGAEA σιγήσει
Hanc tamen æternum fama loquetur anus.
Hebræè & Græcè sciuit, sciuitque Latinè,
Omnibus excellens dotibus ingenii:
Calluit ingenuas pietate, fideque
Insigni, ô, quantam mors violenta rapis.

Aluari Gometii.

TV quicunque times quod lingua doctus vtraque
Graium clameris Romulidumque sophos.
En tenere in tumulo iacet hic Hispana puella
Cui legere hos libros ludus amorque fuit.
Hanc & Arabs, Syriusque potens, & cultor Idumes,
In proprio natam crederet esse solo.

Sino-

Si nomen patriamque rogas Loyasa Sigæa,
Toleti nata est; Pieridum decima.

Sic eius ævi docti homines cum Scriptores, vt in Chronicis Ioan. Vasæus celebrans, & poetę eius ævi certatim omnes And. Resendius lusit. Aluarus Gometius: Didacus Gueuarra. Franc. & Roder. Lopii Toletani. & Franc. Lusinus Italus. Maritus vero Franc. Cuenas hunc titulum gratitudinis ergo tumulo appendit.

D. O. M.

LOYASAE SIGAEAE FOEMINAE INCOMPARABILI
CVIVS PVDICITIA CVM ERVDITIONE LINGVARVM
QVÆ IN EA AD MIRACVLVM VSQVE FVIT,
EX AEQVO CERTABAT.
FRANC. CVEVAS MOERENTISS.
CONIVGI B. M. P.
VALE BEATA ANIMVLA CONIVGI DVM VIVET
PERPETVÆ LACRYMÆ.

TERESA IESVS cognomento. Virgo sacra Abulæ in Castellæ regno nata: quæ ex calceatarum Virginum, rigidæ admodum disciplinæ ac vitæ Carmelitani Ordinis Monasteria plurima in Hispania excitauit: ac nuper in Gallia receptus ordo est. Scripsit eum de sua vocatione ac vita religiosa, tum meditationes pias. Edidit quoque de eius pia vita Hispano sermone, & Gallice redditur, P. Franciscus Ribera Societ. IESV Theologus. Obiit illa Albæ Torresy anno 1581, conditurque in patrio primo Monasterio S. Iosephi Abulæ à se exædificato.

IVLIANA MORELL Barcinonensis Virgo duodecimo ætatis anno, Christi vero Sexcentesimo sexto supra sesqui milesimum (rem prodigii similem narro) Lugduni Gallorum Latine iam Græce & Hebraicæ vtcumque perita, Theses cum Logicas tum Morales Latine à se tuendas in ædibus paternis proposuit, dum parens Lugduni negotiatur: quas lectas vidimus Margaritæ Austriæ Hispaniarum Reginæ inscriptas. Eat nunc Græcia & Sapphonem & Corinnas Poetrias quidem: sed impudicas laudet, item

Universidad de Deusto
Biblioteca

vates Sibyllas: celebret & Eudociam quæ Homerocentones sacros dedit. Prædicet Italia Probam Falconiam, quæ Christi seruatoris res gestas Maronis centonibus condecorauit: Hippolitam item & Olympiam. Habuit nimirum ad hanc diem Hispania plures eruditas piasque matronas, quam Græcia simul & Italia, absit verbo, inuidia. Nec enim me fugit, quam odiose Satyricus fœminas Latine loquentes perstringat.

X CLAS-

X. CLASSIS HISTORICORVM PRAESERTIM Ecclesiasticorum.

SERIES

LVcas Tudensis Episc.
Rodericus Ximenius.
Florianus Ocampius.
Ambrosius Moralis.
Hieronymus Surita.
Hieronymus Blanias.
Antonius Nebrissensis.
Alfonsus Aluares Gueuero.
Stephanus Garibaius Cantaber.
Gondisaluus Illescas.
Alfonsus Villegas.
Alfonsus Venerus.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Mariana.
Tomichus Historicus.
Franciscus Tarasa.
Ferdinandus Pulgar.
Gaubertus Fabricius.

Non hic antiquissimos Hisp. Historicos prædicare constitui, quos partim prima Classe abunde recensui, partim in vulgus noti sunt; Mela, *Iustinus*, Orosius, Trogus Pompeius, aliique. Transeo ad reliquos:

LVCAS TVDENSIS EPISCOPVS.

GRegorio IX. Pont. Max. LVCAS Tudensis primum Diaconus, deinde Episcopus Italiam, & orientis prouincias religionis eruditionisque ergo lustrauit; Roderico præsuli Toletano æqualis, & in simili conscribendæ historiæ studio versus ingenio styloq; non ineleganti neque prorsus vasto. Historiam conscripsit, de rebus Hispaniæ Diui Isidori chronico insertã: vnde opinio nata est, primam eius operis partem Isidoro attribuentium. Præterea Diui Isidori vitam conscripsit, & separato volumine edita ipsius virtute miracula: cuius voluminis pars altera confutandis Albigensibus consumitur, qui ex Aquitania in Hispaniam irruperant. Vtrumq; opus Berengariæ Reginæ iussu, & hortatu perfecit, vt ipsemet testatur, feminæ religiosæ atque pietatis studiis deditæ, & eruditionis moribus sanctis. Sic Io. Mariana lib. XII. Cap. I. & XII. *Cuius etiam* opera è Toletanis Bibliothecis erutus descriptusq; Tudensis traditus iam Typographo est, & commodo publico tandem aliquando apparebit. Floruit Christi anno M. CC. XXX.

RODERICVS XIMENIVS.

RODericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus, domo Nauarra, litterarum humaniorum potissimum vero antiquarũ recentiumq; historiarum, longe peritissimus. Multum huic, vt & Lucæ Tudensi Episcopo, merito omnes debent, quod res præclare gestas situ ac squalore obsitas, pæneq; sepultas ab interitu vindicarit, ad posterosq; transmiserit. *Plurimarum hic rerum historias* libris IX. it emque Gothorum atque Hunnorum res gestas est complexus, resque quibus & ipse interfuit, memoriæ fideliter mandauit: exstatq; volumen Granatæ editum, post etiam emendatius ad Toletani Codicis veteris fidem in Germania exiit, cum Hispanicarum rerum scriptoribus semel iterumq;. Obiit Lugduni in Hispaniam reuertens, anno DOM. M. CC. XLV. Hortæ, monasterio regni Aragonensis ad aram eius templi maximam, cippus, cum inscriptione, monstratur duobus his carminibus comprehensus rudis & crassus, vt in ea ætate, sonantibus, vt refert libro XII, Cap. IV & lib. XIII Annal. Hispã. Ioan. Mariana Societatis IESV, cap. 5.

Mater

Mater Nauarra, NVTRIX CASTELLA, SCHOLA PARISII, SEDES TOLETVM, HORTVS MAVSOLEVM, REQVIES CÆLVM.

FLORIANVS OCAMPIVS.

SEntica hic oriundus, quod oppidum vulgo Zamora non procul Salmantica situm. Canonicus fuit ac regius historicus, quo in genere plurimum studii posuit, deceptus tamen turpiter est, dum Berosum, Metasthenem, cæterosque illos ab Annio Viterbiensi falso suppositos atque expositos scriptores veros esse duxit. Testantur id eius libri quinque, ab orbe condito ad annum vsq; ducentesimum decimum, ante Christi natalem: quam historiam Ambr. Moralis Cordubensis pertexuit: de quo nunc videamus.

AMBROSIVS MORALIS.

AMbrosius Moralis, Antonii Moralis Medici F. Cordubẽsis Latine non minus, quam Hispane disertus. Eloquentiam enim in Academia Complutensi publice est de superiore loco annos aliquot professus, & Gymnasii Regii Præses nobiles adolescentes optimis & moribus & disciplinis imbuit. Regius item historicus totam pœne Regis Catholici iussu obiens Hispaniam, omnes Bibliothecas templorumque archiua, pluteos ac scrinia excussit, quo historiam à Floriano Ocampio inchoatam continenter ad exitum adduceret. Huius autem lucubrationibus laboribusque historici omnes, cæterique adeo plurimum se adiutos ingenue fatentur, tum ii potissimum, qui rerum Ecclesiasticarum studio, Sanctorumque Vitis legendis capiuntur. vt & D. Cæsar. Card. Baronius Cordubæ in patria, quod beatum plerique ducunt, vita decessit, anno C IↃ. IↃ. XCII. Ingenii autem fœtus hos Tomis tribus Hispanice edidit:

Annales Hispaniæ à Floriani fine ad Theodosii vsque Imperatoris tempora. inde mox ad occupatam à Mauris Hispaniam, rursum ab Hispaniæ instauratione ad Vermundi III. tempora.

Scripsit & *de Hispaniæ antiquitatibus.*

Genealogiam quoque *S. Dominici.*

Item *de* SS. *Iusto & Pastore* Complutensis ecclesiæ patronis.

Verum enimuero vt in Chronicis mire deceptus est Ocampius per Berosum, ceterosque suppositititios libellos Annii Viterbiensis; sic &, qui historiam eius pertexuit, Ambrosius Moralis labitur non raro: præsertim cum veteres Rom. inscriptiones, quæ in Hispania visuntur plurimæ, explanare conatur. Vt vel tricies in vno marmore vetustissimo quod Barcinone spectatur impegisse deprehendatur. Quamobrem laudem genti vindicauit in Historia Io. Mariana Societatis IESV, siue styli elegantiam, seu fidem consideres.

HIERONYMVS SVRITA.

FVit & ipse regni Aragoniæ historicus & à secretis iudicum violatæ fidei historiæ, omnisque adeo antiquitatis in paucis peritus, testantibus Victorio lib. 13. variarum Lectionum, atque Faerno in Terentium: denique Ferdinando Nonio Pintiano in Pliniũ, & castigationibus in Melam. Reliquit, sed Hispane, *rerum Aragonensium libros* triginta, totidem annis elaboratos, sex voluminibus; quorum priores Tomos duos Latine exscripsit, INDICES *Aragonensium rerum* nuncupans: additis Syculis etiam *Annalibus*: quos Indices, moriens longe auctiores vna cum Bibliotheca sua Carthusianis Cæsaraugustæ testamento legauit. vbi & *in Iulii Cæsaris Commentarios & Claudianum notas* eiusdem vberiores, vidimus, atque in *Antonini Aug. Itinerarium Scholia*: sed vt hæc nunc in Vbiis Coloniæ Agrippinæ typis Arnoldi Mylii, hominis eruditissimi, lucem aspexerunt, ita illas heredum beneficio exspectamus. Conditus est in patria Cæsaraugustæ, apud Hieronymianos fodales, cui epitaphium hoc filius, aquæductuum Aragoniæ præfectus, ponendum curauit:

HIERONYMO SVRITÆ MICH. F.
GABR. N. CÆSARAVGVSTANO.
HISTORIÆ ARAGONIÆ
DILIGENTISS. ATQ. ELECTO
SCRIPTORI, PATRI B. M.
HIERONYMVS F. POSVIT.
VIXIT ANNOS LXVII, MENS. XI.
OBIIT CÆSARAVG. III. NON. NOVEMB.
CIↃ.IↃ.LXXX.

Iacobi

Iacobi Falconis Valẽtini, Equitis, Poetæ, ac Mathematici carmen retrogradum.

Ingenium & candor SVRITÆ *viuet, opinor*
Viuet dum mundo carmen & Historia.

Martini Azagriæ Aragonensis.

Dum Salo, dum Sicoris, dum Cinga augebit Iberi,
Dum maris augebit magnus Iberus aquas,
Post cineres, manesq; tuos, heu magne SVRITA,
Semper erit maius nomen in orbe tuum.
ANNALES Q. *tui tantarum pondere rerum*
Æterni, æternum te sine morte dabunt.

STEPHANVS GARIBAIVS ZAMALLOA.

NOstra hic tempestate viget genere Cantaber, Mondragoni oppido oriundus. Multis vigiliis, ingentiq; labore *Hispaniæ Annales* regnorum Castellæ, Lusitaniæ, Aragoniæ, Nauarræ, aliorumq; à tenebris, sed Hispano sermone eruit, bonoque publico foras Antuerpię typis Plantinianis dedit. Quattuor enim voluminibus in quadraginta libros diuisis, res in Hispania domi forisq; gestas complectitur. Huic quoque accepta est referenda inuentio reliquiarum B. *Leocadiæ* Virginis, ac Martyris Toletanæ, & è Belgico Hannoniæ monasterio in Hispaniam, translatio auspiciis: Philippi II. Regis, & Gasparis Quirogæ Card. & Archiepiscopi Toletani. Regii etiam historici titulo cohonestatus, stipendio publico donatur, degebatque Madriti, anno CIↃ.IↃ.XCVI.

GVNDISALVVS ILLESCAS.

HIc Abbas S. Frontonis, ac Docensis sacerdos, non minorem, quam ceteri, laudem in scribenda historia meretur, quippe qui res in Hispania bene fortiterque gestas diserto sermone vernaculo Tomis duobus consignauit, dum *summorum Pontificum Vitas* à B. Petro ad sua vsque tempora, quæque in Hispania domi forisque in Ecclesia ac Repub. facta commemorat. Id opus sane vsque eo placuit, tantoque est omnium applausu exceptum, vt non modo Hispani, sed quo ad exteros eius manaret vtilitas, aliæ quoque gentes sua quæque lingua promulgarint.

Duos item *Dialogos Hectoris Pinti* alique pia opuscula vt Sebastiani Toscani de mystica Theologia, de Lusitanico in Bæticum, vertit sermonem.

Migrauit é vita anno Christi CIↃ.IↃ.LXXX.

ALFONSVS VILLEGAS

TOletanus hic fuit, & ad S. Marci sacerdos. De Sanctorum Vitis scribendi diligentia ac venustate ineptos plerosq; libellos & apocryphos (quos Sanctorum *Legendas* olim neminabant) apud suos, manibus excussit, obtrusitque meliora: & vero disertissimi omnium, qui in vmbilico habent, Toletani censentur. Eius quoque labores adeo grati omnibus exstiterunt, vt pro dignitate laudari satis nequierint, dignique sint habiti, qui sæpius bono publico foras darentur, omniumque manibus tererentur. Claruit Toleti anno CIↃ.IↃ.XCVI. Eius autem hæc in medio sunt ad hanc diem disertim Hispanice conscripta:

Vitæ Sanctorum, Concilii Tridentini breuiario accommodatæ. Tomus primus, qui vulgo *Flos Sanctorum* passim in manibus, potissimum ex Aloysio Lipomano, & Laurentio Surio.

Vitæ Sanctorum veteris Testamenti: Tom. 2.

Caterorum item vitæ Sanctorum. Tom. 3.

Homiliæ in anni totius Euangelia, ac festos dies.

Exempla item potissimum è M. Marulo hausta, Tomus 4. quem hoc nomine *Fructum Sanctorum* inscribendum putauit.

ALFONSVS VENERVS

FVit & Alfonsus Venerus familiæ S. Dominici, miræ in historia accurationis, vt ex illius Enchiridio passim à posteris laudato planum. Inclaruit hic anno CIↃ.IↃ.LV. Contexuit & *vitas B. Casildæ, ac Lesmæ*, aliorumque Diuorum Burgensis diœceseos, è qua originem ducebat.

IOAN. MALDONATVS.

SAcerdos Burgensis, disertus Latinæ linguæ scriptor, qui Sanctorum Vitas compendio scripsit: qui libellus & Lugduni sæpe typis euulgatus legitur, & à Laurentio Surio interdum adhibetur. Scripsit & *paræneſin ad litteras politiores* Burgis, vbi narrat se adolescē-

te

te Christophorum Longolium Belgam in Hisp. venisse. Floruit anno à virgineo partu CIↃ.IↃ.L. Fuit & alter Hispanus, cognominis Maldonatus, Societatis IESV Theologus insignis: qui annos plurimos sacras litteras Lutetiæ ac Biturigis explanando impendit, homo disertus iuxta ac doctus: cuius cupide leguntur *in quattuor Euangelistas Commentarii* variæ, pleni, eruditionis.

ALFONSVS ALVAREZ GVERRERO.

VTriusq; Iuris Doctor, Consiliarius regius, & Neapoli Regiæ Cameræ præses. Scripsit *Thesaurum Christianæ religionis, seu speculum summorum Pontificum, Impp. Regum, & Episcoporum*, ad Philippum Regem Catholicum.

FERDINANDVS PVLGAR.

NObilis Historicus, sed vulgari sermone, & excellenti moralis Philosophiæ iudicio, illustres seculi sui viros scriptis claros celebrauit; materiamque suppeditauit scribendæ historiæ Ant. Nebrissensi.

ANT. NEBRISSENSIS.

HIstoricus Regius ac Rhetor Complutensis, res gestas Regum Catholicorum Ferdinandi & Isabellæ latine vtrumq; conscripsit: sed in cudendis Græcis vocibus dynastarum Hispaniæ, risum concitat. Eius nos inter Bæticos vitam conscripsimus Tomo III. Classe 1.

FRANC. TARAFA BARCINONENSIS.

CAnonicus hic Barcinone, qui Regum & Hispaniæ & Aragoniæ seriem contexuit. At, si verum fateri volumus, pleraque ridicule ex arca Noæ, bellique Troiani fabulis deriuans, vrbium gentiumque nomina cudit; deceptus Pseudo-Berosо Ioan. Annii Viterbiensis, qui incautos plurimos in eosdem erroris laqueos induit. Refellit itaque non raro, neque iniuria Ioan. Goropius Becanus, cum in Originibus tum in Hispanicis.

IOANNES MARIANA TALABRICENSIS.

SOcietatis hic IESV Theologus insignis, qui Romæ ac Lutetiæ docuit, laudem patriæ illustrandę, cui historicum Latinum deesse doleret, ecclesiasticam Annalium Hispaniæ Historiam libris 30. ad suam vsque ætatem, iam inde à Christo nato, pertexuit, graui stylo & casto, vt Tacitum Cornelium seculi nostri dixeris: iudicio vbique vsus, quo valet plurimum singulari. Sed de hoc pluribus nos in classe societatis Iesu.

HIERONYMVS BLANCAS CÆSARAVG.

AVditor in litteris Petri Ioan, Minuesii Valentini, grandis natu ad patriam Historiam animũ appulit: ratus, quod res est, recte à diuino Platone dictum: Ortus nostri partem patriam velut maiorem parentem vindicare. Scripsit itaq;, *Fastos magistratuum Aragonensium*: itemque *de iuribus ac Comitibus Ribaborziis* Cæsaraugustæ, & Francofurti, cum iconibus insignium: atq; eruditissima Ant. Augustini V.C. *de Cæsarauguste antiquitate, Epistola.*

TOMICHVS HISTORICVS.

RErum Aragonensium vetus scriptor, qui res militiæ cum Gallis gestas ad annum 1390. scripserat. Citari hunc video à Ioanne Mariana lib. 18. cap. 14. nondum tamen, quod sciam, typis euulgatum.

GAVBERTVS FABRICIVS.

SCripsit de vitis Regum Aragoniæ, citaturq; à Vincentio Iustiniano lib. 1. de vita S. Vincentii Ferrerii, cap. 13. & lib. 2. cap. vltimo. Laudat idem lib. 2. cap. 39. Balthazarem Sorium in libris de viris illustribus Aragoniæ, Ordinis S. Dominici.

HISTORICI EXTERNI ET HISPANIÆ INQVILINI.

QVod Rom. accidisse reip. obseruatum, vt Græci scriptis eam disertius illustrarent quam Romani, idem pœne Hispanis vsu veniſſe

nisse videas. Confluxere enim ad ditem illam prouinciam, cum opibus, tum ingeniis claram historia illustrandam exteri homines doctrina præstantes, quos nominasse sat erit:

L. Marineus Siculus historiam & viros illustres scripsit.
Cl. Marius Arelius.
Petrus Martyr Anglarienſis Insuber, qui decades rerum Indicarum dedit.
Michael Ritius Neapolit. Regum omnium texuit historiam.
Ioannes Vasæus Brugensis Flander, non Burgensis, Annales Hispaniæ Latinè dedit Rhetor Salmantie.
Nicolaus Clenardus Belga, Peregrinationum epistolis res Hispaniæ tractat.
Abrahamus Ortelius Antuerp. in Theatri parergo veterem illustrat Hispaniam & nouam.
Ioannes Goropius Becanus Hispanica conscripsit.
Ioannes Numesius Medicus Antuerp. Hispaniæ chorographiam Latine edidit.
And. Schottus edito in Pomp. Melam Hispanum post Ferdinandum Diutianum spicilegio, & itinerario Antonini Augusti. cum notis Hieronymi Suritæ Cæsarauguſtani, Coloniæ typis Arnoldi Mylii.

Floruere ibidem doctrina vitamq; finierunt amplissimi viri Antonius Perrenottus Card. Granuellanus studiorum dum vixit Mæcenas & Ioachimus Hopperus Frisius Belgici Concilii Præses, scriptis in iure clarus. Vixit & Hugo Heltilius Frisius vtriusque linguæ peritissimus ac Mathematicus. De Horologiis quædam scripsit, vertitque è Græco duas Nysseni Orationes in natalem Christi, & Stephanum. Salmanticæ in 8. Conuertit & Cathenam Græcorum Patrum in Esaiam, quæ ab hæredibus exspectatur.

Attigit quoque Hispaniam & forte in Bætica occubuit *Angelus Caninius* Anglarienſis Hebrææ linguæ ac Græcæ ad miraculum doctus. Testantur de Hellenismis libri, ac Syriaca Grammatica. Matthæus Boſculus Parisiensis Lambini auditor Valentiæ eloquentiam docuit, ediditq; Rhetorica, & aduersus Petrum Ramum opusculum, Barcinone.

Nicolaus Biesius Gandensis Poeta ac Philosophus Valentiæ doctrina claruit, familiaris Ioan. Baptistæ Agnesio. Edidit post in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Belgio Philosophica varia: Item de arte dicendi, ac Medicus Cæsareus in Galeni epuscula Commentarium Nutii, typis euulgatum.

APPENDIX.

DE LEGITIMIS HISP. HISTORICIS IVDICIVM.

CVM IOAN. GOROPII BECANI, ET GASPARIS Censura, de suppositiis Historicis Berosó, Metasthene, M. Catone, Fabio Pictore, &c.

VODRebus omnibus vsu venire, atque artibus dolemus, vt veris falsa interdum subiiciantur, idem in historia contingere eò frequentius videmus, qui plures eam legendo conterunt. De fabulosis gentium variarum originibus, qui à Troiano bello (si quod vmquam fuit, inficiante Dione Chrysostomo) principia repetunt, vel altius alii originem arcessunt, vt ab Noæ arca, quæ Cataclysmo superfluit, de his, inquam, in præsens differere non est animus, ac ne refellere quidem vacuum est: cum per se aniles ille nugæ atque ineptiæ, fabularum ritu, concidant. De Hispaniæ scriptoribus Historicis quid sentiã, vel docti potius homines, proferam: suum tamen vt cuiq; iudicio integrũ relinquã. Videas enim Reges Hispaniæ primos veluti incude fabrefactos, vt arma Achillis claudus ille Deus cudebat datis nominibus vel a Noæ comitibus, vel syllabæ vnius affinitate, qui error & oppidorũ vrbiumq; nomina propagauit, verbi gratia: *Tudelam* Nauarrorum à *Tubale* conditam: *Toletum* à *Toleto* Rege: *Olisiponem* ab *Vlysse*, & sic de ceteris.

Auditum admissi risum teneatis amici.

Talis in Regum Catalogo Ioannes Taraffa Barcinonensis, quem in Hispanicis copiose refellit Ioan. Goropius Becanus Belga. Quid? Florianus Ocampius Senticensis nonne à Pseudo-Berosó, Metasthene (qui Megasthenes vocandus erat) Xenophonte, aliisq; Romanis, Catone, Fabio Pictore, suppositiis Annii Viterbiensis sua consarcinauit? Pineda quoque in Monarchia ac Hieronymus Romanus, & Antonius Beuter Valentinus in eundem numquid lapidẽ impingunt? Hinc illæ lacrymæ, hinc tot prodigiosæ Thalmudicæ ridiculæ

diculæ atq; adeo aniles narrationes quibus frigidius nihil, aut alsius ne Scythica quidem nix aut Borealis fuerit. Defendere tamẽ quod equidem miror, conatur Annium Albertus Leander sodalis in Italiæ descriptione, & Antonius Gueuarra homo Hispanus altera in Habacuc Prophetam Commentarii editione, sed nihil agunt. Rectius vero Valentini duo Benedictus Pererius Societ. Theologus in Danielem, & Ludouicus Viues reiiciunt, ac denique vir, longe doctissimus Ant. Augustinus Tarraconensiũ Archiepiscopus antiquitatum Rom. & Hispan. Dialogo XI. cum de falsis marmorum ac numismatum titulis & inscriptionibus disserit, narrans ex fide Latini Latinii, qui & ipse Viterbiensis Romæ doctrina claruit, Ioannem Annium patriæ quoq; ficta, falsoque sculpta inscriptione fucum facere conatum. Quin & patriæ non satis iustus alumnus, Hispaniæ quoque, si Diis placet, confictis ex arca Noæ aut certe equo Troiano antiquitatibus, Regibus Catholicis offerre eas cum Berosó ausus est. Sed quid non peruicax audet ignorantia? Θράσος γὰρ ἀμαθία, λογισμὸς δὲ ἔχνος φέρει, inquit Thucydides. Nos vt in posterũ errorem eriperemus dedimus operam vt Bibliothecæ huic Hispanicæ pars ea ne deesset, qua Historiæ veritas veluti scopus quæritur, falsæ vero ac fabulosæ narrationes in insulam deportentur. Damus itaq; Ioannis Goropii hominis doctissimi testimonium è libro Originum Antuerpiensium quarto, & Lusitani hominis Casparis Varerii de Berosó adiunctisque Scriptoribus Censuram, sed latine redditam, diuersamque ab ea, quam Romæ olim Latine idem euulgarat: & Commeliani nuper in Germania expressérunt; qui Gaspar & iter suum populari lingua Romã versus Chorographiæ nomine erudite conscripsit, ac de Ophira in sacris litteris, quæ hodie Piru putatur, deq; auro ad templum Salomonis ædificandũ aduecto, latine disseruit. Lege Lector si tantum abs re tua otij; nec operæ pigebit, & dum legeris, citra animi perturbationem iudicium sustine.

Universidad de Deusto Biblioteca

DE BEROSO FICTISQ.

Ab Annio historicis } Manethone, Metasthene } M. Catone, Fabio Pictore, Sempronio } Myrsilo Lesbio, Archilocho, Xenophonte.

Ioan. Goropii Becani Iudicium

Lib. IIII. Originum Antuerp. pag. 340.

OPTABAM equidem auide cupideque audire à quo vel duce vel loco vel euentu *Franci* nomen ortum esset, ab illo præsertim solido antiquitatis Francicæ doctore Hunnibaldo, cuius duodeuiginti Historiarum libros in compendium contraxit Trithemius. Verum quoniam vel ipse auctor, vel auctoris deflorator hanc sitim meam non expleuit, coactus sum alios inuestigare fontes. Accurro igitur ad Mosem. (ad quem enim prius?) Sed ne hic quidem quidquam iuuenio quod Francici nominis originem declaret. Ab hoc quem secundum potius consulerem, quam Berosum, qui non ab Athenienſibus tantum est honoratus, qui ei statuam lingua inaurata fecerunt: sed à Iosepho etiam de veritate historiæ laudatus? quod ego pluris facio, quam sexcentas statuas; quandoquidem sciam illam demum veram solidamque laudem non quæ à vulgo pessimo virtutis iudice, sed quæ à viro laudato proficiscatur. Huius riuulis qui in fragmentis ei inscriptis reliqui sunt auide inhians, hausi multa quidem & præclara antiquitatis nostræ monumenta. Sed nihil ad Francum. Nam cum *Thuisconas*, *Mannos*, *Hermionas*, *Marsos*, *Gambrinios*, *Suenos*, *Vandalos*, *Hercules*, *Alemannos* enumerasset, illic me deseruit, vbi maxime eum audire cupiebam. Sed non male omnino res vertit. Berosi enim verba excipit *Manethon* Aegyptius, scriptor à Iosepho non minus laudatus; apud quem hæc lego sermone Latino, de cuius nescio interpretatione: *Anno VII. Ascanius Latinis imperat: Anno vero sequente Teuteus Assyriis, & post Francus Celtis ex Hectoris filiis.* Hæc verba Rhenanus Berosо, nescio quod exemplar secutus attribuit, atque tam clari nominis, cui alienas plumas assuerat, multis falsis & amaris dictis, ne dicam conuitiis, medium ferit: & tandem cum satis diu ostentui derisuique habuisset, ipsum antiquitatum sacrarum sententia sua exaugurat, illud illud sacrarium exaugurat, è cuius adyto omnium gentium exordia manarunt. Indignum id facinus & impium plurimis videri. turbari Robertus Cœnalis, opem ferre, omnibus viribus succurrere, sustinere Berosi auctoritatem, repellere Rhenanum, & dictis dictа reponere. Sed quando Cœnalis nunc mihi ad manum non est, nescio an in toto hoc contrà Rhenanum certamine animaduerterit, *Franci* nomen non à Berosо, sed Manethone allatum fuisse: qui aperte in principio operis sui profitetur, Berosum a Diluuio ad Dardaniæ vsque siue Troiæ regnum Chaldæorum historiam scripsisse; quæ deinde secuta sunt, se addidisse. Quo fit, vt Franci, Hectoris filii, meminisse non potuerit: atque idcireo Rhenanus inconsiderantiæ fuerit accusandus. Sed hoc vt nullum vel exiguum crimen est, ita illud non satis ferendum, quod Berosi fragmenta sola coniectura & derisione oppugnarit, cuius tamen apud omnes eos, qui has reliquias (vt volunt) legerunt, maxima fuit semper & indubitata auctoritas; quam si labefactare aut euertere studebat, alii erant arietes admouendi. Fundamenta enim omnium historiarum, omnium Chronicorum, omnium originum, quæ ante annos complures in lucem exierunt, qui funditus euertere molitur, is non contra vnum ac alterum, sed contra innumeros vt pugnet necesse est, & idcirco non pugiunculus, non gladius satis erit, sed Achillæa quædam panoplia, è Vulcania officina, cùm bona Veneris gratia, erit adferenda. Verum quia nec Rhenano, nec alii cuiquam serio libuit ad certamen hoc descendere, & vires in eo experiri, vel quia id indignum grauitate sua, vel quia operosum molestumque existimarent; video equidem magnas mihi molestias subeundas esse, si quoties ab antiquariis his scriptoribus dissentiam (dissentiam autem frequenter) sit non solum de veritate, sed de ipsorum etiam exi-

stimatione, & præiudicata auctoritate digladiandum. Quocirca ne crebro orationis meæ cursum interrumperent & demorarentur, visum est in ipso statim principio semel impetum in eos facere, quo vel deterreantur, vel hoc saltem sentiant, maioribus sibi auxiliis opus esse ad sua defendenda; quæ si post forte accedent, tum mihi erit iusto cum illis prælio confligendũ. Interea satis sit tumultuaria hac velitatione eos reiicere; non vero ea ratione prosternere, vt singula ipsorum tela aut confringam, aut è manibus extorqueam, quod operæ esset non longioris modo, sed inspecturis etiam molestæ & tædiosæ. Si enim opinionem tot hominum iudiciis acquisitam abstulerim, nihil erit opus sigillatim, quæ mihi in illis displicent, annotare Berosi fragmenta refutata. Primum autem *Berosum* aggrediamur, & eum ipsius Berosi gladio iugulemus, ne diu anceps pugna protrahatur. Quo enim modo certius euincerem, Fragmenta hæc quæ Berosi nomine circumferuntur, Berosi non esse, quam si veris & germanis Berosi scriptis collata contraria deprehendantur? At quis dicet ea quæ adducam, ipsius Berosi verba esse, si Berosi scripta perierunt? Idoneus nempe & grauissimus testis Iosephus in iis quæ contra Apionem scripsit. Is igitur cum à Noæ diluuio ad Nabolassarum vsque Babyloniorum & Ghaldæorum Regem historiam perduxisset, atque inter cetera ab eo gesta ad illud peruenisset, qui filium suum Nabuchodonosorum cum ingenti exercitu contra Ægyptios & Iudæos, qui rebellarunt, miserit, atque eius opera omnes subiugarit, sic ad verbum scripsit:

Berosi verba.

Ακούσας δ' ὁ πατὴρ αὐτὸν Ναβολάσσαρος, ὅτι ὁ τεταγμένος σατράπης ἔστι Αἰγύπτου καὶ τῶν περὶ τὴν Συρίαν τὴν κοίλην καὶ τὴν Φοινίκην τόπων ἀποστάτος γέγονεν, ἀδυνάμει αὐτὸς ἔτι κακοπαθεῖν, συνήσας τῷ υἱῷ Ναβουχοδονοσόρῳ ὄντι ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ τῆς δυνάμεως, ἐξέπεμψεν ἐπ' αὐτὸν συμμίξας δὲ Ναβουχοδονόσορος τῷ ἀποστάτῃ, καὶ παραβαλὼν μάχῃ, αὐτοῦ τε ἐκυρίευσεν, ἔτι τὴν χώραν ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ τὴν αὐτῶν βασιλείαν ἐποίησεν· τῶν τε πατρὶ αὐτῷ σωθέντι Ναβολασσάρῳ, καὶ τὸν τὴν κηδεμόνα ἀρρωστήσαντι, ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι τὸν βίον, ἔτη βασιλεύσαντι ἐκεῖσε ἐνιαυτοὺς εἴκοσι· ἐνιαυτῷ δὲ μετ' ὀλίγον, τὴν δὲ πατρῴαν τελευτὴν Ναβουχοδονόσορος καταστησάμενος τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα καὶ τὴν λοιπὴν χώραν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους Ἰουδαίους τε καὶ Φοινίκων καὶ Συρίων καὶ τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐθνῶν σωμάτων ἱππέων φίλων, μετὰ τῆς δυνάμεως, καὶ τῆς λοιπῆς ἀφελείας ἀνα-

ἀνακομίζειν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν, αὐτὸς ὁρμήσας ὀλιγοστὸς παρεγένετο διὰ τῆς ἐρήμου εἰς Βαβυλῶνα. καταλαβὼν δὲ τὰ πράγματα διοικούμενα ὑπὸ Χαλδαίων, καὶ διαφερομένην τὴν βασιλείαν ὑπὸ τῶν βελτίστων αὐτῶν, κυριεύσας ἐξ ὁλοκλήρου τῆς πατρικῆς ἀρχῆς, τοῖς μὲν αἰχμαλώτοις εὐδαιμονέστερον, σωτηρίαν αὐτοῖς ἀπροσδόκητον ἐν τοῖς ἐπιτηδείοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις ἀποδείξας· αὐτὸς δὲ ἀπὸ τῶν ἐν τῷ πολέμῳ λαφύρων, τόν τε Βῆλος ἱερὸν ἐν τῷ λοιπῷ κοσμήσας φιλοτίμως, τήν τε ὑπάρχουσαν ἐξ ἀρχῆς πόλιν, ἐν ἐπηρκεν ἔξωθεν προσχαρισάμενος, καὶ ἀναγκάσας πρὸς τὸ μηκέτι δύνασθαι τοὺς πολιορκοῦντας τὸν πόλεμον ἀναστρέφοντας ἐπὶ τὴν πόλιν κατασκευάζειν, ὑπερβαλέσθαι τείχεσι μὲν τῆς ἐνδον πόλεως, περιβόλους, τρεῖς δὲ τὸ ἔξω ὑπὲρ. τοὺς μὲν ἐξ ὀπῆς πλίνθου καὶ ἀσφάλτου, τοὺς δὲ ἐξ αὐτῆς τῆς πλίνθου. καὶ τειχίσας ἀξιολόγως τὴν πόλιν, καὶ τοὺς πυλῶνας κοσμήσας ἱεροπρεπῶς προσκαλασκευάσαι τοῖς πατρικοῖς βασιλείοις, ἑτέρα βασίλεια ἐχομένα ἐκείνων, ὑπερφυῆ τὰ ἀνάθημα καὶ τὴν πλὴν πολυτέλειαν. μακρὰ δ' ἴσως ἔσεσθαι ἐάντις ἐξηγῆται. πλὴν ὅλως ὑπερβολὴν ὡς μεγάλα καὶ ὑπερφάνα, συντελέσθη ἡμέραις δεκαπέντε. ἐν δὲ τοῖς βασιλείοις τούτοις ἀναλήμματα λίθινα ὑψηλὰ ἀνοικοδομήσας, καὶ τὴν ὄψιν ὁποίους ὁμοιοτάτην τοῖς ὄρεσι, καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς ἐξειργάσατο, καὶ κατασκευάσας τὴν καλουμένην κρεμαστὸν παράδεισον, διὰ τὸ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ὑπὸ θυμοῦ τὸ ὀρεινὸν διαθέσεως, τεθραμμένην ἐν τοῖς κατὰ τὴν Μηδίαν τόποις.

Horum sententia sic fere Latine expremeretur. *Cum audisset pater eius Nabolassarus Satrapam, quem Aegypto, Cœlosyriæ atque Phœniciæ præfecerat, à se defecisse, neque ipse per ætatem amplius posset labores ferre, filium in ipso ætatis vigore constitutum cum parte exercitus contra eum misit. Nabuchodonosorus autem prælio commisso tum rebellem in potestatem redegit, tum regionem omnem imperio cui primum suberat, vindicauit. Quæ dum geruntur, accidit Nabolassarum patrem Babyloniæ morbo correptum interire, cum iam vndetriginta annos regnasset. Non ita multo post de morte patris certior factus, rebus in Aegypto, & reliquis regionibus ordinatis atque constitutis, datoque negocio amico cuidam, vt captiuos Iudæos, Phœnices, Syros, Aegyptios cum exercitu & auxiliaribus copiis in Babyloniam duceret, ipse cum paucis per deserta Babylonem intrauit. Cum igitur res à Chaldæis bene rectèque ordine administrari, & regnum ab optimo ipsorum seruari in suum aduentum deprehendisset, atque ita ex asse imperio paterno potitus esset, animum captiuis adiecit, quibus colonias in opportunissimis Babyloniæ locis designari iussit. Interim ipse ex opimis belli spoliis Beli templum, & cetera ambitiosè magnificeque* Nabolassarus. Nabuchodonosorus. Beli Templum.

Universidad de Deusto

exornauit, & vrbi priori altera exterius adiecta sic vrbem constitui imperauit, ne posset fluuius in obsidione diuerti, vt tribus muris exterius, tribus item interius, illis quidem è latere cocto & bitumine, his vero ex ipso crudo latere cingeretur. Babylonia triplici muro cincta.

Postquam nunc vrbem pro eo atque ratio postulare videbatur, mœnibus circundedisset, & diuino quodam modo portas exornasset, ad regiam paternam alteram ei continentem exstruxit, & multiplici ornatu sumptuosiorem, & aliis fastigiis longe superiorem. Quæ si quis enarrare conaretur, nimis fortasse longa esset oratio. Verum cum tam magna esset atque superba, diebus tamen quindecim est absoluta. In hoc regio palatio ædificium fecit altissimis lapideis columnis in maximam sublimitatem elatum, è quo non aliter quam ex altis montibus prospectus pateret, in quo plantatis omnis generis arboribus fecit, vt paradisum haberet, tum re, tum nomine pensilem, atque id totum in gratiam vxoris, quæ quod in Media educata esset, monteso situ maxime oblectabatur. Paradisus pensilis.

Hæc Berosus. Quibus Iosephus subdit:

Ταῦτα μὲν ὅτι ὁ ἱστορηκὼς περὶ τῶν παρειρημένων βασιλέως, καὶ πολλὰ πρὸς τούτοις τῶν Χαλδαϊκῶν, ἐν ᾗ μέμφεται τοῖς ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσιν, ὡς μάτην εἰρήκασιν ὑπὸ Σεμιράμιδος τῆς Ἀσσυρίας κλιθῆναι τὴν Βαβυλῶνα, καὶ τὰ θαυμάσια κατασκευασθῆναι παρ' αὐτὴν ὑπ' ἐκείνης ἔργα ψευδῶς γεγραφότες, ἐκ τούτου τὴν μὲν τῶν Χαλδαίων γραφὴν ἀξιόπιστον ἡγήσεον. ἐμὲν ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀρχαίοις τῶν Φοινίκων συμφωνα τοῖς ὑπὸ Βήρωσσον λεγομένοις ἀναγέγραπται, περὶ δὲ τῶν Βαβυλωνίων βασιλέως, ὅτι καὶ τὴν Συρίαν καὶ τὴν Φοινίκην ἅπασαν ἐκεῖνος κατεστρέψατο. παρὰ μὲν τούτων γὰρ συμφωνεῖ Φιλόστρατος ἐν ταῖς ἱστορίαις, μεμνημένος τῆς Τύρου πολιορκίας. καὶ Μεγασθένης ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν Ἰνδικῶν. δι' ἧς δοκοφανεῖν περατῶν τὸν παρειρημένον βασιλέα τῶν Βαβυλωνίων, Ἡρακλέους αὐδρία καὶ μεγέθα πράξεων διενηνοχέναι. κατασκεύασαι γὰρ αὐτὸν φησι Λιβύης τὴν πολλὴν καὶ Ἰβηρίαν.

Quæ nos sic vertimus: Hanc quidem ille scripsit historiam de Rege prædicto, & adhæc multa alia de rebus Chaldæorum, in qua reprehendit Græcos scriptores, quod sine causa omni, atque ratione arbitrati sint à Semiramide Assyria Babylonem conditam esse, atque ei præterea falso adscripserint, quæ illic opera summa hominum admiratione spectantur. Et certe sic sentiendum Chaldæorum scriptionem fide dignam esse, non solum quod hæc quæ scribant, sua sint, verum ob id etiam, quod in vetustis Phœnicum monumentis de hoc rege Babyloniorum consona cum Berosi dictis narratione scriptum sit, Syriam ab ipso & totam Phœniciam euersam fuisse. Tum etiam Græci scriptores in quo à Beroso reprehensi.

iam cum eisdem concinit atque consentit Philostratus in historiis, vbi Tyri obsidionem commemorat, nec non Megasthenes in rerum Indicarum libro quarto, in quo ostendere conatur regem Babyloniorum, cuius mentio facta est, Herculi fortitudine & rerum gestarum magnitudine præferendum fuisse, quippe qui magnam partem Libyæ & Hispaniam etiam subegerit: Hactenus Iosephus: post quæ mox addit Berosi verba, quibus Nabuchodonosorum narrat obisse, quadragesimo tertio regni anno, huic filium successorem duobus annis duntaxat, qui ob sceleratam vitam à sororis marito Nerigliſſorooro occisus tyrannicidam regno beauit annis quatuor, cuius filio Laborosoardocho puero adhuc, cum nouem mensibus regnasset, ob prauam indolem interempto, regnum communi eorum consensu, qui puerum occiderant, datur Nadunedo vni de Babyloniis ciuibus Necio in Regem factæ impressionis, quo imperante, muris vrbis, è cocto latere & bitumine factis, summa manus imposita est. Hunc decimumseptimum iam annum regnantem Cyrus è Perside ruens totam reliqua Asia subiugata solio deiecit, atque in Carmaniam ablegauit, vt eam sibi domicilium, quoad vita superesset, haberet. Atque hæc quidem apud Iosephum ipsius Berosi verbis paulo latius exponuntur. His duobus Berosi, illius germani, & extra controuersiam positi, locis, fragmenta Berosi fictitii conferamus. In horum libro quinto hæc scripta inuenimus. Quarto loco regnauit apud Babyloniam vxor Nini Ascalonita Semiramis annis quadraginta duobus. Hæc antecessit militia, triumphis, diuitiis, victoriis & imperio omnes mortales, ipsa hanc vrbem maximam ex oppido fecit, vt magis dici possit illam ædificasse quam ampliasse. Nemo vnquam huic feminæ comparandus est virorum. Tanta in eius vita dicuntur & scribuntur cum ad vituperationem, tum maxime ad collaudationem magnificam. Quid hoc est bonæ Musæ? hic noster Latinus Berosum se dicit, & ex diametro cum Beroso Chaldæo pugnat. Audiuimus ipsi suis illum Chaldæum verbis asserentem Nabuchodonosorum Babylonem ampliasse, & triplici muro tum foris, tum intus cœpisse munire, atque triplicem murum è latere cocto & bitumine inchoatum à Nadunedo postea absolutum esse. Pensilis etiam paradisi miraculum à Nabuchodonosoro vxori suæ factū esse. Deinde, teste Iosepho, paululum prægressum in Nabuchodonosori reb. gestis narrādis, Græcos mendaciorū accusare: quod hęc omnia ope-

Philostratus. Megasthenes.

Nerigliſſorooro. Laborosoardochus.

Nadunedus.

Cyrus.

Berosi & Pseudoberosi collatio.

Semiramis Ascalonita.

ra Semiramidi Assyriæ affingant. Quid igitur dicis, ô bone vir, qui tantis laudibus Semiramin euehis? audes adhuc dicere Berosum te esse? at Berosus clamat te nihil aliud, quam Græca mendacia venditare. Apage, apage, pessimus es histrio, qui non melius noris Berosum agere. Posthac hortor, vt tineas pascas, & pro larua Berosi fias salsamentaria Sardorum cuculla. Nimis diu regnasti, non apud Viterbienses modo tuos & Rasenuos & Malotos, sed apud elegantissimos etiam scriptores. Quod si apud hos & Bardos tuos & Langos te continuisses, nunquam ego tanti te fecissem, vt tibi personam detraherem, quam tam inepte gerebas. Plurima necesse est sciat, qui velit bene mentiri. Eat nunc Rob. Cœnalis & Rhenano irascatur, cum iam ipse Berosus testimonium clarissimum dixerit contra Pseudoberosum, mendacem esse perinde atque Græcos in medio pronuncians. Male fabula Plauto successisset, si non maior inter Menechmos, & alibi inter Sosias similitudo fuisset. Apud Dialecticos illa maxime pugnare dicuntur, quæ ἀντιφατικῶς, id est, *contradictione* pugnant. Nihil igitur magis Pseudoberoso repugnat, quam ipse Berosus, qui ipsi est ἀντιφατικὸς, id est, *contradicens*. Hic enim Semiramidem maxima illa operum miracula fecisse negat: ille ait. Quid ergo plures attinet denunciare testes? Non igitur opus est sigillatim per singula Pseudoberosi capita mendacia ipsius patefacere, quæ tot fere sunt, quot numerantur vrbium conditores, quandoquidem certissimo constat nihil Berosi habere præter vnum illud de Arca Noæ, quod è Iosephi Archaiologiæ libro primo mutuatus est, reliqua partim è Græcorum fabulis; partim de Thalmudista, quem frequenter nominat Annius, partim de gentium appellationibus consarcinauit. Porro non solo hoc de Semiramide mendacio se prodidit hic noster falsarum antiquitatum architectus, sed libri etiam vltimi conclusione, qua non ipse tantum falsus esse deprehendi tur, sed Manethon etiam noster Viterbiensis PseudoManethon esse conuincitur. Berosi historiam ante adduximus è Iosepho ad regni Babylonici vsque euersionem, & Cyri imperium per totam Asiam è Perside prolatum. Noster Pseudoberosus quasi mentiendo defatigatus, more pessimi asini clitellas abiicit in Ascatade suo decimo

Pseudoberoso Berosus maxime contrarius.

decimo octauo (vt vult) Babyloniorum rege his verbis præclaro operi finem imponens. Itaque qui reges & tempora traduntur à nostris, de primoribus regnis orbis à Iani diluuio primo vsque ad Dardaniæ regnum conditum, his nostris breuissimis annotationibus sint hactenus dicta. Si hunc vltimum stridorem non addidisset, & caudam suam occultasset, non tam claro iudicio se sorex prodidisset. Berosus Cyri victoriam, Nadunedi fugam & exilium describit; hic noster ad principium regni Dardaniæ cessat: & poteramus suspicari tantum historiæ temporis iniuria periisse, quantum à Dardano ad Persarum imperium desideratur, nisi Pseudoberosus peroraſſet. Sed videmus illud item non bene quadrare, quod hic noster antiquarius, cum omnia illa quæ à Dardano ad Cyrum vsque contigerunt, ab historia sua exclusisset, quinque tamen libros expleuit, cum Berosus Chaldæus tribus libris omnia concluserit. Quod nos Tatiani prius philosophi Assyrii, post Christiani, verbis didicimus, qui Berosum Beli sacerdotem fuisse scribit, & historiam Chaldæorum tribus libris composuisse, in gratiam Antiochi eius, qui tertius fuit post Seleucum. Hinc etiam coniectare possumus, non ad Cyri tantum regnum (vt ante monstraui) sed ad Alexandrum vsque Regum successiones deduxisse, si quod potuit fecit. Clemens certe Alexandrinus in Protreptico è libro tertio Chaldaicorum Berosi, quem vltimum esse idoneo teste declaraui; commemorat Artaxerxem Darii filium eius, cui pater fuit Ochus, primum fuisse Persarum regem, qui statuas erexerit ad colendum. Liquet igitur ad Artarxerxem vsque hunc progressum esse. Nihil itaque dubito, quin ad ætatem vsque suam, hoc est, ad Alexandrum, & regni Persici finem historiam scripserit. Pudeat ergo Pseudoberosum nostrum tam inepte quinque libris tam cito se defatigasse, neque tantum tamen comprehendisse, quantum verus ille & genuinus Berosus libris tribus inclusit. Iam ad Manethonem nostrum Latinum.

Maxima Berosi & Pseudoberosi discordia.

Berosus Beli sacerdos.

Is quasi lampada à Pseudoberosi sibi traditam excipiens, statim in primo limine in eundem errorem impingit, quo alter est in extrema fabulæ catastrophe è proscenio delapsus. Incipit enim historiam, si Musa probet, hoc modo. *Berosus inter Chaldæos probatior deflorauit breuissimis annotationibus omnia Chal-*

Pseudomanethon.

Universidad de Deusto Biblioteca

[illegible] de potioribus regnis orbis à diluuio maximo, quod eorum maiores scribunt fuisse ante Ninum vsque ad præcipuum regnum Troiæ conditum. Nos quoque vbi ipse reliquit, prosequemur ea, quæ nos ex nostris Historicis vel eorum relationibus consecuti sumus, per nostros Aegyptios reges progrediendo, vt ipse egit sub Assyriis. Profecto ita est. De voce graculus graculo similis esse cognoscitur. Quam concinne Manethon Beroso succinit: Herculem diceres lasso Atlanti humeros commodantem, ad molem historiæ sustinendam. Quia igitur is qui mentienti testimonium dat, ipso mentiente magis est execrandus; Manethonem *matellionem* faciamus, aut *lasanophorum* Berosum, cui Lasanum supponit, dicamus nec scripsisse nec *deflorauisse*, sed antiquitates concacasse. Indignus, ita me mendaces isti fugiant, est Pseudomanethon, contra quem pluribus agatur. Sed quia Pseudoberoso hoc dedimus, vt à germano Beroso mendacii conuinceretur, tribuamus Pseudomanethoni etiam eũdem honorem, vt ab ipso Manethone impudentissimus esse mendaciorum consutor luce clarius ostendatur. *Manethon* igitur natione Aegyptius Græco sermone patriæ suæ historiam è Sacerdotũ traditione transsumptam omnibus legendam dedit, in qua plurimos Herodoti errores ab ignorantia rerum Aegyptiacarum profectos reprehendit. Eius apud Iosephum hæc sunt verba:

Ἐγένετο βασιλεὺς ἡμῖν, Τίμαος ὄνομα. ἐπὶ τούτου οὐκ οἶδ' ὅπως ὁ θεὸς ἀντέπνευσεν. καὶ παραδόξως ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν, ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι, καταθαρσήσαντες ἐπὶ τὴν χώραν ἀνεστράτευσαν, καὶ ῥᾳδίως ἁμαχητὶ ταύτην κατὰ κράτος εἷλον. καὶ τοὺς ἡγεμονεύσαντας ἐν αὐτῇ χειρωσάμενοι, τὸ λοιπὸν τάς τε πόλεις ὠμῶς ἐνέπρησαν, καὶ τὰ ἱερὰ τῶν θεῶν κατέσκαψαν. πᾶσι δὲ τοῖς ἐπιχωρίοις ἐχθρότα τάπως ἐχρήσαντο, τοὺς μὲν σφάζοντες, τοὺς δὲ καὶ τὰ τέκνα καὶ γυναῖκας εἰς δουλείαν ἄγοντες. πέρας δὲ καὶ βασιλέα ἕνα ἐξ αὐτῶν ἐποίησαν, ᾧ ὄνομα ἦν Σάλατις. καὶ οὗτος ἐν τῇ μέμφιδι κατεγίνετο, τήν τε ἄνω καὶ κάτω χώραν δασμολογῶν, καὶ φρουρὰν ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις καταλείπων τόποις. μάλιστα δὲ καὶ τὰ πρὸς ἀνατολὴν ἠσφαλίσατο μέρη, προορώμενος Ἀσσυρίων ποτὲ μάλιστα ἰσχυόντων ἐσομένην ἐπιθυμίαν τῆς αὐτῆς βασιλείας ἔφοδον. εὑρὼν δὲ ἐν νομῷ τῷ Σαΐτῃ πόλιν ἐπικαιροτάτην, κειμένην μὲν πρὸς ἀνατολὴν τῷ βουβαστίτου πόταμα, καλουμένην δὲ ἀπὸ τῆς ἀρχαίας θεολογίας Ἄβαριν, ταύτην ἔκτισέν τε, καὶ τοῖς τείχεσιν ὀχυρωτάτην ἐποίησεν ἐνοικίσας αὐτῇ καὶ πλῆθος ὁπλιτῶν εἰς εἴκοσι καὶ τέσσαρας μυριάδας ἀνδρῶν πρὸς φυλακήν. ἐνθάδε κατὰ

θέρειαν

θέρειαν ἤρχετο, τὰ μὲν σιτομετρῶν καὶ μισθοφορίαν παρεχομένος, τὰ δὲ καὶ ταῖς ἐξοπλισίαις πρὸς φόβον τῶν ἔξωθεν ἐπιμελῶς γυμνάζων. ἄρξας δὲ ἐννεακαιδέκα ἔτη τὸν βίον ἐτελεύτησεν. μετὰ τοῦτον δὲ ἕτερος ἐβασίλευσεν τέσσαρα καὶ τετταράκοντα ἔτη, καλούμενος Βηών. μεθ' ὃν ἄλλος Ἀπαχνὰς, ἓξ καὶ τριάκοντα ἔτη καὶ μῆνας ἑπτά, ἐπιτὰ δὲ καὶ Ἀπωφις, ἓν καὶ ἑξήκοντα. καὶ Ἰανίας πεντήκοντα καὶ μῆνα ἕνα, ἐπὶ πᾶσι δὲ καὶ Ἄσσις ἐννέα καὶ τεσσαράκοντα καὶ μῆνας δύο. καὶ οὗτοι μὲν ἓξ ἐν αὐτοῖς ἐγενήθησαν πρῶτοι ἄρχοντες, ποθοῦντες ἀεὶ καὶ μᾶλλον τῆς Αἰγύπτου ἐξᾶραι τὴν ῥίζαν. ἐκαλεῖτο δὲ τὸ ἔθνος δὲ ὑκσώς. τοῦτο δέ ἐστι βασιλεῖς ποιμένες. τὸ γὰρ ὑκ καθ' ἱερὰν γλῶσσαν βασιλέα σημαίνει, τὸ δὲ σως ποιμήν ἐστι, καὶ ποιμένες κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον. καὶ οὕτω συντιθέμενον γίνεται ὑκσώς. τινὲς δὲ λέγουσιν αὐτοὺς Ἄραβας εἶναι.

Quæ sic reddidi: *Rex nobis fuit Timaus nomine, sub quo nescio qui acciderit, vt Deus contrariis ventis nobis spirauerit, atque homines quidam ignobiles genere à partibus Orientalibus contra omnem exspectationem magna audacia regionem inuaserint, & castris sæpius mutatis, vi summa, citra prælium tamen, totam occuparint: & ducibus quidem & principibus in potestatem redactis, in reliquis sic se gesserunt, vt vrbes crudeli incendio delerent, & deorum templa funditus euerterent; omnes vero regionis incolas hostilissima immanitate vel iugularent, vel ipsos cum prolibus & vxoribus in seruitutem abducerent. Tandem vero & Regem vnum de suo numero fecerunt, cui nomen Salatis, qui in Memphide morabatur, tributa & vectigalia è superiore & inferiore regione cogens, præsidiis oportunissimo cuique loco impositis. Maxime vero ea muniebat loca, quæ ad Orientem spectarent quod longe prospiceret, fore, vt Assyrii potentiores aliquando redditi inuadendi regni eius cupidine ducerentur. Cum igitur in Saitide præfectura vrbem inuenisset ad Bubastitæ fluminis orientalem plagam sitam, antiqua Theologia Abarin vocatam, maxime oportunam esse, eam de integro & condidit, & mœnibus reddidit firmissimam, collocatis in ea armatorum viginti quatuor myriadibus, vt loco præsidio essent. In hac, æstate, regni sedem habebat; tum vt frumentarium dimensum & stipendia solueret, tum vt militem in armis summa cura diligentiaque exerceret ad metum exteris incutiendum. Hic cum vndeviginti annis imperasset, è viuis excessit: post quem alius Beon nomine annis quadraginta quattuor regnauit: post quem rursus Apa-*

Universidad de Deusto Biblioteca

chnas annis triginta sex, & mensibus septem. deinde Apophis annis sexaginta vno, & Ianias quinquaginta & mense vno, post hos omnes Assis quadraginta nouem, & mensibus duobus. Atqui hi quidem sex fuere primi principes eorum, quibus id maxime in votis fuit, quo indies magis atque magis Aegypti stirpem radicitus euellerent. Vacabatur autem gens hæc Hycsos, id est reges pastores. Hyc enim in sacra lingua regem significat: Sos vero communi lingua pastores: vnde componitur Hycsos. Sunt qui Arabes esse dicant. Hactenus Manethon. Post vero addit, reges hos pastores nominatos quingentis & vndecim annis rerum in Aegypto potitos fuisse: deinde vero insurrexisse è Thebaide & reliqua Aegypto reges contra eos, atque rem inter ipsos in bellum erupisse magnum & diuturnum, sed pastores tandem victos esse ab Halysphragmuthosi tum apud Aegyptios regnante, & reliqua regione tota depulsos conclusos fuisse loco, qui in circuitu pateret ad decies mille aruras, id est, viginti sex milliaribus nostratibus, si singulis quattuor millia, vt debent, passuum tribuantur. Hunc locum, cui Abaris nomen est, muro magno & firmo pastores conclusisse, quo res suas & prædas in tuto haberent. Hos deinde à Thummosi filio Halysphragmuthoseos obsessos fuisse exercitu quadraginta octo myriadum, circum muros collocato. Postea vero desperantem obsidione expugnari posse, fœdera cum ipsis sanxisse, vt relicta Aegypto rebus omnibus saluis, quo vellent, abirent. Eos igitur cum his pactis conuentum esset, cum omni familia & supellectile conuasata ex Aegypto per desertum in Syriam iter fecisse, non pauciores hominum millibus ducentis sexaginta. Metu vero Assyriorum, penes quos summa rerum tum temporis in Asia erat, in ea regione quæ nunc à Iudæis nomen habet, vrbem condidisse, quæ tot hominum myriadibus capiendis satis magna esset, eamque Hierosolyma nominasse. Atque hæc quidem Manethon de Iudæis: sed ea non possunt proposito meo multum seruire, quo doceam, quæ tempora Manethon sit complexus; nisi alia quædam addidero, quæ malo, quia breuiora fieri non possunt, ipsius auctoris verbis recitare:

Μετὰ τὸ ἐξελθεῖν ἐξ Αἰγύπτου τὸν λαὸν τῶν ποιμένων εἰς Ἱεροσόλυμα, ὁ ἐκβαλὼν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου βασιλεὺς Τέθμωσις, ἐβασίλευσεν μετὰ ταῦτα ἔτη εἴκοσι

εἴκοσι πέντε καὶ μῆνας τέσσαρας, καὶ ἐτελεύτησεν, καὶ παρέλαβεν τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ υἱὸς Χέβρων ἔτη δεκατρία. μεθ' ὃν Ἀμένωφις εἴκοσι καὶ μῆνας ἑπτά, τοῦ δὲ ἀδελφή, Ἀμεσσὴς εἰκοσιὲν καὶ μῆνας ἐννέα. τῆς δὲ Μήφρης, δώδεκα καὶ μῆνας ἐννέα, τοῦ δὲ Μηφραμούθωσις, εἴκοσι πέντε καὶ μῆνας δέκα, τοῦ δὲ Θμώσις, ἐννέα καὶ μῆνας ὀκτώ, τοῦ δὲ Ἀμένωφις τριάκοντα καὶ μῆνας δέκα. τοῦ δὲ Ὧρος, τριάκοντα ἓξ καὶ μῆνας πέντε. τοῦ δὲ θυγάτηρ Ἀκεγχερής, δώδεκα καὶ μῆνα ἕνα. τῆς δὲ Ῥάθωτις ἀδελφός, ἐννέα, τοῦ δὲ Ἀκεγχερής, δώδεκα καὶ μῆνας πέντε. τοῦ δὲ Ἀκεγχέρης ἕτερος δώδεκα καὶ μῆνας τρεῖς, τοῦ δὲ Ἅρμαϊς τέσσαρα καὶ μῆνα ἕνα, τοῦ δὲ Ῥαμέσσης, ἓν καὶ μῆνας τέσσαρας, τοῦ δὲ Ἀρμέσσης Μιαμοῦν ἑξήκοντα ἓξ καὶ μῆνας δύο. τοῦ δὲ Ἀμένωφις δεκαεννέα καὶ μῆνας ἕξ, τοῦ δὲ Σέθωσις καὶ Ῥαμέσσης, ἱππικὴν καὶ ναυτικὴν ἔχων δύναμιν. οὗτος τὸν μὲν ἀδελφὸν Ἅρμαιν ἐπίτροπον τῆς Αἰγύπτου κατέστησεν, καὶ πᾶσαν μὲν αὐτῷ τὴν ἄλλην βασιλικὴν περιέθηκεν ἐξουσίαν, μόνον δὲ ἐνετείλατο διάδημα μὴ φορεῖν, μηδὲ τὴν βασιλίδα μητέρα τε τῶν τέκνων ἀδικεῖν. ἀπέχεσθαι δὲ καὶ τῶν ἄλλων βασιλικῶν παλλακίδων. αὐτὸς δὲ ἐπὶ Κύπρον καὶ Φοινίκην, καὶ πάλιν Ἀσσυρίους τε καὶ Μήδους στρατεύσας ἅπαντας, τοὺς μὲν δόρατι, τοὺς δὲ ἀμαχητὶ, φόβῳ δὲ τῆς πολλῆς δυνάμεως ὑποχειρίους ἔλαβε. καὶ μέγα φρονήσας ἐπὶ ταῖς εὐπραγίαις, ἔτι καὶ θαρσαλεώτερον ἐπορεύετο, τὰς πρὸς ἀνατολὰς πόλεις τε καὶ χώρας καταστρεφόμενος. Χρόνου τε ἱκανοῦ γεγονότος, Ἅρμαϊς ὁ καταλειφθεὶς ἐν Αἰγύπτῳ, πάντα τἔμπαλιν, οἷς ἀδελφὸς παρῄνει μὴ ποιεῖν ἀδεῶς ἔπραττεν. καὶ γὰρ τὴν βασιλίδα βιαίως ἔσχεν, καὶ ταῖς ἄλλαις παλλακίσιν ἀφειδῶς διετέλει χρώμενος. πειθόμενος δὲ ὑπὸ τῶν φίλων διάδημα ἐφόρει, καὶ ἀντῆρε τῷ ἀδελφῷ. ὁ δὲ τεταγμένος ἐπὶ τῶν ἱερέων τῆς Αἰγύπτου, γράψας βιβλίον ἔπεμψε τῷ Σεθώσει δηλῶν αὐτῷ πάντα, καὶ ὅτι ἀντῆρεν ἀδελφὸς αὐτοῦ Ἅρμαϊς. παραχρῆμα οὖν ὑπέστρεψεν εἰς Πηλούσιον. καὶ ἐκράτησεν τῆς ἰδίας βασιλείας. ἡ δὲ χώρα ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος Αἴγυπτος.

Nos ita Latina fecimus: *Postquam pastorum populus Hierosolyma ex Aegypto petisset, Tethmosis siue Thummosis, qui eos eiecerat, regnauit adhuc annos viginti quinque, & menses duos. Quo mortuo, filius eius Chebron susceptum imperium tredecim annos tenuit. post hunc Amenophis annos viginti, menses septem. eius soror viginti vnum & menses nouem. ab ea Mephres duodecim & menses nouem. Hinc Mephramuthosis viginti quinque, menses decem: post Thmosis nouem, menses octo. mox Amenophis annos triginta, menses decem. inde Horus triginta sex, menses quinque. post quem filia Acenchres duodecim, &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

menſem vnum. eius hinc frater Rhathotis nouem, deinde Acencheres duodecim, menſes quinque: ab eo alter Acencheres duodecim, menſes tres. poſt hunc Harmais quatuor, & menſem vnum. hinc Rhameſſes annum & menſes quatuor. poſt Armeſſes miamoun ſexaginta ſex, menſes duos. inde Amenophis annos decem, menſes ſex. Poſt hunc Sethoſis, Rhamaſſes etiam dictus, nauali & equeſtri apparatu inſignis. Hic Harmain fratrem Aegypti procuratorem conſtituit; cui, cum omnem regiam poteſtatem in aliis dediſſet omnibus, id ſolum vetuit, ne vel diadema ferret, vel Reginam iniuſte indigneque haberet, quæ liberos ipſi genuiſſet, vel concubinarum aliquam attingeret, ipſe expeditione ſuſcepta in Cyprum, Phœniciam, atque inde in Aſſyrios & Medos omnes, partim prælio, partim citra pugnam, partim qui plurimi erant, terrore potentiæ ſuæ ſubingauit. Quo ſecundo rerum ſucceſſu elatus, vrbes & regiones orientales magna audacia in poteſtatem, quocunque iter feciſſet, redegit.

Interea cum iam ſatis multum temporis elapſum eſſet, Harmais qui in Aegypto relictus erat, omnia contra quam frater admoniſſet, omni procul metu remoto, faciebat. Nam & Reginam vi retinebat, & concubinis pro lubito vti non ceſſabat. Tandem ab amicis perſuaſus diadema ſumpſit, & fratri rebellauit. Is igitur, cui hoc diſpoſitum munus fuit, vt Aegypti Sacerdotibus præſideret, libellum ad Sethoſim dedit, quo omnia patefecit; & inter cetera, quod frater rebellionem feciſſet. E veſtigio igitur reuerſus in Peluſium, regnum ſuum recuperauit. Regio vero ab ipſo nominata eſt Aegyptus.

Hæc Manethon: quorum poſtremum ſic apud Ioſephum expoſuiſſe dicitur, Sethoſin Aegyptum etiam nominatum fuiſſe, Harmain item altero nomine dictum fuiſſe Danaum. Manethon itaque Aegyptius ille, quæ in patria ſua geſta eſſent pluribus quam nongentis ante Aegyptum & ante Danaum annis, Græcis hominibus prodidit. Noſter vero ab Aegypto fabulam ſuam exordiri, ſe priora non ſcripſiſſe ſatis docens in præfatione, quod eo ſcilicet labore à Beroſo ſuo eſſet leuatus. Quod ego hic inueniam conuicium, quod ſatis dignum ſit impudentiſſimo hoc impoſtore? Tene dicis Manethonem bellua, & illic te incipere hiſtoriam vbi Beroſus ſuam finiuit? At illum ad Cyri vſque res geſtas perueniſſe

niſſe monſtrauit. Deinde quid (malum) te facis Manethonem, cum Manethon ſuis ipſius verbis iam in medio hic monſtrarit, ſe ad mille fere annos ante Aegyptum tuum hiſtoriam incœpiſſe, tantum abeſt vt illic incœperit, vbi Beroſus ſua finiuit. Quod ſi adeo tibi placet labores non neceſſarios fugere, age, incipe vbi ille deſiit, modo id ſcias. Hoc ſi feciſſes, nihil ſcripſiſſes, quod non Cyro poſterius eſſet, atque ita in illis, quæ magis ſunt in ſcriptorum monumentis patefacta, minori mentiendi licentia vtendum fuiſſet, niſi explodi voluiſſes ab omnib., prima ſtatim fronte, ſi tamen frontis aliquid tibi reliquum feciſſes.

Vetum videor tertium accedere virum magna grauitate & ſupercilijs & toto oris habitu neſcio quid magni pollicentem. Is ſe natione Perſam eſſe dicit, nomine Metaſthenem, & annales Perſicos ſcripſiſſe, in quibus his verbis præfatur: *qui de temporibus ſcribere putant, neceſſe eſt illos non ſolo auditu & opinione Chronographiam ſcribere, ne cum per opiniones ſcribunt, vti Græci, cum ipſis pariter & ſe & alios decipiant, & per omnem viam aberrent. Verum abſque vllo errore fiet, ſi ſolos annales duarum Monarchiarum aſſecuti, ceteros omnes, vt fabulatores reiecerimus. In his enim tam liquide atque vere digeſta ſunt tempora, Reges & nomina, quam apud eos ſplendidiſſime regnatum eſt. Neque tamen omnes recipiendi ſunt, qui de his Regibus ſcribunt, ſed ſolum Sacerdotes illius regni, penes quos eſt publica & probata fides annaliam ſuorum, qualis eſt Beroſus. Nam is Chaldæus omne tempus Aſſyriorum digeſſit ex antiquorum annalibus, quem ſolum vel maxime vnum Perſæ nunc ſequuntur. Is ergo tradit, ante Ninum ducentis & quadraginta nouem annis regnatum fuiſſe ſub tribus diis Regibus: quorum qui primus vniuerſo imperauit orbi, fuit Ogyges, qui præfuit inundationi terrarum. Inde Saturnus fundata Babylonia regnauit annis ſex & quinquaginta. Belus Iupiter eius filius duobus & ſexaginta, Ninus eius filius, qui primus Monarchiam cepit, annis quinquaginta duobus.*

Metaſthenes Perſa, mendax nec verecundus.

Sed ſatis eſt nugarum. Quã magnifica & grauí ſententia improb. hic nebulo ſe in principio orationis vẽditauit? Dixiſſes Stoicum aliquẽ præcepta hiſtoriæ cõſcribendæ ad veritatis libra appendere. At poſt tãta verborũ pondera, exordiumq; philoſopho dignũ, mox

Universidad de Deusto
Biblioteca

fabulas Pseudoberosi despumat, addens eius historiam solam apud Persas fide dignam haberi. Eo ipso itaque nobis mendacissimus est habendus; quod mendacissimi hominis patrocinium suscepit, nec dignus qui diutius audiatur, propterea quod Pseudoberosum testibus nemini mortalium reiiciendis conuictum, & exilio perpetuo condemnatum, non tantum ausus sit reuocare, sed laudibus etiam efferre. Verum quo mendacem Berosum superaret mentiendo, dicit eum historiam ad Sardanapalum vsque deduxisse, cum ipse ille nugator in Dardano se sua finire dicat, cuius rei Manethonem etiam paris fidei virum testem habemus. Dicite igitur vos ô fabularum sartores, quo filo hæc consuitis contradicentia? Sed nihil precii sit si audiamus. Ad aliud igitur. Rogo te ô docte Metasthenes, quî fit vt in Nabuchodonosoro quadraginta quinque annos ponas, contra Berosi veri computationem, qui duos ab hoc numero demit. Sed permitto vt dicas duobus cum patre regnasse. Verum qua de causa magno huic (vt vocas) Nabuchodonosoro statim in regno alterum Nabuchodonosorum præponis, cum Nabuchodonosor non cognomini alicui, sed Nabolassaro patri suo successerit Si dicas illi etiam Nabuchodonosori nomen fuisse, atque eundem esse Nabolassarum: rursus rogo; qua auctoritate illi binomini regi tribuas annos triginta quinque, si à Beroso non plures quam viginti nouem adscribantur. Iam quam illud est immane discrimen filio Nabuchodonosoris Euelmaraducho triginta annos dare, quem Berosus duos duntaxat annos regnasse dicit? Deinde huic das filium successorem, in cuius locum tamen sororis maritus alio longe nomine venit, qui leuirum suum trucidauerat. Et ne semel hic tantum à Beroso discedas, ei cui nullus filius successit, tres facis filios ordine successisse, quorum postremus fuerit Balthassar; quo interempto, regnasse simul dicis Cyrum & Darium. De Balthassaro interfecto nulla apud Berosum mentio. Nam Cyrus Nabunedum expulit, quem si tu Balthassarem dicas, non debebas Cyro notam illam infamiæ inurere: quod eum occiderit, cum Berosus expulso regi Carmaniam benigne pro domicilio datam esse testetur. Sed quid ego his immorer? Vel cæco apertum est, hunc nostrum Metasthenem adeo Berosum secutum non esse, vt ne vidisse quidem dici queat.

ci queat. Sed aliunde forsan de melioribus fontibus hausit. Qua ergo impudentia professus est apud Persas Historicum præter Berosum nullum in precio haberi, si ab eius traditione totus ex diametro dissentit? Quid si vera essent, atque de Susiana Bibliotheca & Bibliis Hebræorum & Eusebii Chronicis expilata quæ scribit, an ob id veritas, veritas non erit, nisi mendaciis huius nebulonis dicatur à Beroso petita esse? Conferat in medium quisque laborem suum, & ingenue vnde profecerit, fateatur: sed nemo nobis sua alienis titulis ornet. Pudet me (itame Deus amet) homines inuentos esse, qui de his falsissimis Berosi, Manethonis, & Metasthenis nugis Chronologiam & gentium origines ducunt. Vt sint aliqua vera in his scriptis, ea tamen non erant vetustis his auctorum titulis citanda, quos ostendi falsissimos esse, sed confirmanda illorum auctoritate, è quibus hic, quisquis est, impostor sua petiuit. E Græcorum fabulis, è nominibus regionum, oppidorum, fluminum, gentium, è sacra denique historia video tota hæc (quæ vocant) fragmenta deriuata esse. Sed horum, exceptis Bibliis, pleraque omnia falsis opinionibus animos hominum imbuerunt, non alia causa, quam quod his præclaris titulis ornata prodirent. Si apud Diodorum, Herodotum, alios que id genus scriptores lecta fuissent, non in tanta fuissent existimatione, vt ab illis omnis penæ historia penderet, nunc claris titulis ornata non indoctos modo, sed doctissimos etiam deceperunt, quos nihil attinet hic nominare. Quotusquisque est historiæ scriptor, de doctissimis etiam loquor, qui initia gentis suæ ex hac errorum sentina non deprompserit, falsis his titulis citra omnem pudorem adiectis, quo assensum extorqueant? & quod est maxime grauibus viris cauendum, tam temere plerique omnes fidem adhibuerunt, vt videam magnos viros totos libros his nugis insumere, nec credere bene se scribendi munere defungi posse, nisi ita faciant. Laudo equidem antiquitatis studium, atque illud in primis admiror, atque illos, quos eo teneri scio, amplector & exosculor; atque id facio vltra fortasse modum, sed in eo sic versandum esse credo, vt fontes semper sint adeundi, atque ex illis quæ haurimus auctori suo accepta feramus, non his sordidulis nugiuendis, qui alienis laruis cooperti somnia sua protrudunt. Cum igitur tales esse docuerimus, nihil opus est vt sigillatim, quæ falsa in illis sunt, reprehendamus. Quis enim cum vmbris, & ne vmbris quidem, sed falsis titulis manus conferre vellet? Satis nobis est laruas detraxisse, atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnem auctoritatem non elauasse tantum, sed in auras & ventos sparsisse. Non igitur occupabor, quem hic noster rhapsodus Metasthenem Persam produxerit, quem video non à germano Beroso, sed à Pseudo-Beroso suam mutuatum esse insinuationem.

Megasthenem historiam scripsisse scimus, atque eius *Indica* frequenter aduocari, sed Metasthenis Persæ nihil vnquam hactenus contigit videre: atque sum certus, me deceptum non iri, si suspicer de Megasthene Metasthenem corrupta voce factum esse. Nihil igitur mihi cum ipsius computatione, qui loco magnarum virium, Megasthenis nomine significatarum, se dicit *post robur viresque venire*, quasi diceret, in se nihil virium esse, dum *Metasthenem* se pro *Megasthene* venditauit. Quid quod ne ipsi quidem Megastheni germano multum fidei tribuendum, de cuius Indicis sic à Strabone proditum habemus, vt in malis nominibus vni soli Deimacho secundus habeatur. *Cum enim*, inquit, *sententia tenus, omnes vniuersim, qui de India scripserunt, vt plurimum falsa dicant, tum vero & ceteros & fidem omnem longe superant* Deimachus, & huic secundus Megasthenes. Ac iterum Διαφερόντως δ' ἀπιστῶν ἄξιον Δημάχῳ τε καὶ Μεγασθένει, *id est insigniter & præ ceteris omnibus fides abroganda Deimacho & Megasthent.* Sed opponit se Viterbiensis; non hunc esse *Metasthenem* Persam, sed *Megasthenem* Græcum: Metasthenis autem Persæ Petrum Comestorem meminisse in Danielem commentantem citatis iudiciis Metasthenis. Egregium vero testimonium, in quo ipsemet Viterbiensis confitetur Megasthenem, non Metasthenem, se in quibusdam exemplaribus legisse. Non animaduerterat scilicet è *Megasthene Metasthenem*, & ex *Indicis Iudiciis* transscribentium vitio factum esse, atque ex huius solius loci menda nouum nobis auctorem dedit Metasthenem de Iudiciis, pro Megasthene de Indicis: more illorum, qui ex vno somnio in aliud dilabuntur. Alios post hac quærat Annius, quibus ineptis suis figmentis & anilibus fabulis illudat, quas ex auctoribus per insomnia sibi natis petiuit.

Inter hos etiam (vt ita dicam) euonymos Cato ille est, qui eisdem fragmentis assutus ex eadem prodiit officina, è qua illi, quos modo profligauimus, & fregimus. Quod quamuis ipse sermo satis doceret, placuit tamen & alteram rationem addere ne sola coniectura videamur quenquam velle condemnare. Noster hic histrio Catonis larua prodiens, arrepta statim pro nominis auctori

auctoritate, virgula censoria Græcos, ob vanitatem & leuitatem mentiendi fide omni & veritatis existimatione exutos non senatu modo, sed ciuitate etiam historiæ scriptorum mouet, non ob aliam (vt opinor) causam, quam vt ipse succedat. Quid ad hæc Cato ille priscus diceret? An hanc suam sententiam fuisse agnosceret? Minime gentium, nisi nos Dionysius Halicarnassæus fallat, vir in prius grauis, & nemini in vetustatis Romanorum notitia secundus. Is verbis Sigismundi Gelenii elegantissimi interpretis, (vt breuitatis causa Græca mittantur) libro primo statim in ipso historiæ suæ vestibulo Aboriginum quærens primordia, sic inuestigationem concluſit. *Scriptorum Romanorum doctissimi, & in his Porcius Cato, qui diligentissime scripsit de conditoribus Italicarum vrbium: Caiusque Sempronius & aliquot alii, Græcos eos esse affirmant, profectos ex Achaia multis ante bellum Troianum ætatibus, nec tamen diserte tradunt ex qua Græca natione, quave vrbe migrauerint, ac ne tempus quidem aut ducem coloniæ, aut quo casu antiquam patriam reliquerint; tantum fabulam secuti Græcanicam, nullius Græci auctoris eam confirmant testimonio, itaque rei veritas quomodo se habeat, incertum est. Quod si istorum sermo sanus est, non possunt esse coloni alterius generis, quam Arcadici: nam hi primi Græcorum habitauerunt Italiam trans sinum Ionium deducti, ab Oenotro Lycaonis filio.* Et idem paulo post: *Atque hæc sunt ab antiquis poetis ac fabularum scriptoribus de sedibus & genere Oenotrorum prodita: quos ego secutus, si modo Cato & Sempronius multiq; alii vere opinati sunt, à Græcis oriundam rationem Aboriginũ, credo eam Oenotrorum fuisse progeniem.* Iam audiamus Catonem nostrum sententiam suam prouinciantẽ: *Græci* (inquit) *tum impudenti iactantia iam effunduntur, vt quoniam his dudum nemo respondent, ideo libere à se Italiam ortam, & eandem spuriam simul & spurcam atque nouitiam, nullo certo auctore aut ratione, sed per solam insaniam fabulentur.* O censoria verba. Iugulauit certe hic noster nouus Cato priscum illum Catonem, atque id solius suæ auctoritatis vnico ictu. Neque enim hoc vno solo loco Halicarnassæus Catoni Græcos historiæ duces fuisse, sed alibi etiam scribit. Quocirca in manifesto Græcanicæ leuitatis crimine tenetur. Quid dixi leuitatis? proditionis (inquam) manifesto tenetur. Etiam hoc corrigendum. Neque enim leuitatis solum Græcanicæ & proditionis, sed sacrilegii etiam & impietatis contra Deos Romani generis auctores conuincitur, dum asserit *Oenotrios* aliunde quam à Iano, qui à vino sit dictus, & nomen & originem traxisse. Noster enim clare

monſtrat Antiochi Syracuſani teſtimonio Oenotrium ducem Arcadum, quadringentis poſt Troiam conditam annis in Italiam demum veniſſe, tantum abeſt, vt ab ipſo Oenotrii ſint dicti, aut Aborigines ad Arcades genus ſuum referre debeant. Abeat igitur Dionyſius cum Catone ſuo in malam rem, qui ab Oenotro Lycaonis filio Oenotrius deduxit. Auctore enim noſtro Catone didicimus Græcos hic impudenter eſſe mentitos. Neque enim Arcades primi in Italiam è Græcia nauigarunt duce Oenotro, ſed multis ante ſeculis, vt noſter Cato docet, Phaethon ex Attica cum Lygure filio in Italiam vectus, totum littus ab oſtiis Tiberinis ad Nicæam vſque Maſſilienſium occupauit, & de filii nomine Lyguriam dixit. Imperite igitur Halicarnaſſæus alterum quoque fœdum errorem inuexit, ſic ſcribens: *Lygures & Italiæ quaſdam partes habitant & Galliæ. incertum ab vtra profecti patria. Nam hactenus incompertaorigo eius gentis eſt.* Debebat hoc Dionyſius à noſtro didiciſſe Catone, cum alter ille Græculus nihil certi attuliſſet. Sed ſatis horum. Videmus enim lupis & ouibus prius concordem amicitiam ſanctum iri, quam his duobus Catonibus.

Pſeudo-Fabius. Sequitur alius ex eadem cohorte Q. Fabius Pictor, qui ſic in Aboriginum hiſtoria à Catone nouo pendet, vt videatur mammas eius lallare. Quocirca nihil opus eſt hunc pictorem depingere, qualis ſit, & quantum ei tribuendum, quando omnia ſua pigmenta, omneſque ductus lineaſque, quibus Romanæ gentis initia in tabulas refert, à laruato illo Catonis hiſtrione ſit mutuatus.

Ex eadem omnino ſchola prodit C. Sempronius, qui vel ſolo hoc dicto ſe prodit: *Lygures* (inquit) *dicti ſunt à Lygure Phaethontis filio, qui omnium primus multis ſeculis ante Græcos ex Attica colonias in Italiam tranſportauit.* In quo non ſolum plus vidit Catone illo vero, ſed eleganter admodum Atticam è Grecia excludit. Sed huic ſcilicet debemus Romæ natalem, quam ſacro aratro deſignatam eſſe dicit vndecimo Calendas Maias, horam inter ſecundam & tertiam, Sole in Tauro, Luna in libra, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, & Ioue in Piſcibus. Non vidit hic nouus Sempronius, Luciferum & Heſperum duobus nominibus vnam Venerem ad tertium à Sole ſignum nunquam euagari. Sed placuit illi Solem quam longiſſime remouere, ne Martis

Martis & Veneris adulterium in Scorpione coeuntium proderet, vt ſemel ante feciſſe narratur.

VII. Myrſilus Lesbius. Myrſilus Lesbius à Dionyſio male conſutus eſt, quod ex ipſo Dionyſio docebo. Nam præter alia, in illo manifeſte deprehenditur, veteris Myrſilii nomen peſſimo ſibi & ſcelerato plagio ſumere, quod hic nouus Pelaſgos alios faciat à Tyrrhenis, & Pelaſgos prius dictos ad Tyrrhenos commigraſſe, tumque nominis communionem factam eſſe, qua Tyrrheni vocarentur. Vetus ille nec Tyrrhenos indigenas eſſe vult, vt nouus hic impoſtor, nec ante Pelaſgos vocatos fuiſſe, quam Tyrrhenos, ſed eoſdem prius Tyrrhenos, deinde Pelaſgos nominatos è Græcia commigraſſe. Dicit enim Tyrrhenos poſt relictam patriam paſſim vagabundos mutato nomine dictos Pelargos, quadam alitum pelargorum, hoc eſt ciconiarum ſimilitudine, quod agminatim oberrarent per Græcas regiones atque barbaras; & murum, quo Athenienſium arx cincta eſt, cognomine Pelagiſeum, opus eſſe horum hominum. Equa Myrſilii Lesbii ſententia, quam Dionyſius non probat, clarum eſt, hunc nouum Myrſilium longe alium eſſe, ab illo priſco, totum eo factum, vt Annius haberet in quo Thalmudiſtæ ſui, operam experiretur in *Vadimone*, *Razenna*, *Vulturſena*, *Vetulonia*, *Thuſſa*, *Saleombrona*, *Vmbria*, *Labith*, *Horcia*, & id genus vocum figmentis, è lingua Aramæa, quam ignorat, interpretandis.

VIII. Pſeudarchilochus. Cum mihi debellatus nunc Proteus hic noſter videretur, & nullos eſſe amplius vultus putarem, in quos ſe mutaret; ad Archilochum confugit, atque eius nomine pro ſuo vtens, credidit ſe Archilochia edicta conſcripturum eſſe, ad quæ nemo auderet vel hiſcere, niſi protinus vellet conuiciorum flagellis diſlaniari. Iulianus Epigrammatum ſcriptor Cerberum monuit, vt ſibi caueret ab huius lambis in felleo ipſius ore naſcentibus, quibus Lycambis filias vna cum patre vitam fugere coegit. ſi enim apud inferos ſæuire eiſdem incipiat, fore vt omnes manes è tenebris diffugiant, poſteaquam ex ipſa luce, re omnium cariſſima homines fugere compulerit. Quid igitur ego contra Archilochum, contra quem vix Cerberus latrare auſit? Egone veſpas ſepulcro ipſius inſidentes irritabo, quas viator, vt prætereat, magno ſilentio & quiete diligenter ab neſcio quo alio admonetur, qui non duas ſolum, vt Iulianus, ſed tres filias Lycambis ſe ſtrangulaſſe laqueis ſcribit in elegantiſſimo Epitaphio. Nec citra cauſam in mor-

tuum hæc dicta sunt, quando non solum contra Lycamben; qui filiam ei desponsatam tradere noluit, & inimicos furiosus in maledicendo fuit, sed contra amicos quoque & familiares, adeo vt ipse animum suum aliquando castigarit his verbis, vt Aristoteles habet libro Politicorum septimo: ἐγὼ δὴ πρὸς φίλων ἀπάγχεο. id est, *Neque enim profecto ab amicis strangularis.* Pugnabone contra hunc tam bilio sum, qui primus Caballinum fontem vipereo felle infecit, atque Musas humanissimas non vnius homicidii scelere cruentauit? contra eum, qui ne sibi quidem ipse pepercit, vt est apud Ælianum in variæ Historiæ decimo libro, à Critia recte notatum, cuius verba de interpretatione nostra subscribam, quo liqueat, quam diligenter scripta huius à veteribus sint discussa. *Critias* (inquit Ælianus) *Archilocho vitio vertit, quod pessime de seipso sit locutus. Nisi enim (inquit) eiusmodi famam de se ipse apud Græcos sparsisset, nunquam resciuissemus, neque quod Enipus seruæ filius fuerit, neque, quod Paro propter paupertatem & inopiam diserta, Thasum adiuuerit: neque quod, postquam eo commigrasset, exosus eius loci hominibus euasuerit; neque illud, quod amicis maledixerit. Adhæc etiam nunquam scire potuissemus, vel adulterum eum, vel libidinosum fuisse, vel, quod istis etiam turpius est, clypeum abiecisse, nisi ab ipsomet fuissemus facti certiores. Fuit itaque Archilochus testis sibi minime bonus, tali sibi gloria, & eiusmodi fama relicta. Sed hæc Critias, non ego in Archilocho criminor.* Hæc Ælianus. Ponemus igitur nos metum tam formidati nominis duce Critia. Qui enim omnibus promiscue citra grandes occasiones irascitur, & maledicit, is solet plerunque contemni despicique velut scurra, & contumeliosus rabula. Vocetur igitur in examen, an Archilochus ille historiæ huius auctor sit. Hoc eo liquidius iudicari poterit, quo plura de ipsius vita factisque rescisemus. Oenomaus apud Eusebium in oraculo Appollinis magno impetu rationum exemplorumq; inuectus, inter cetera Archilochum obiicit, de quo Pythia sic responderat:

Ἀθάνατός σοι παῖς γε διοίδιμος ὦ Τελεσίκλεες
Ἔσται ἐν ἀνθρώποις. id est,
Immortalis erit Telesicles hic tibi natus,
Cuncta per ora virum cantandus.

Ridet Oenomaus Apollinem, qui hanc laudem ei tribuerit, qui in poematis suis tam turpibus & infandis verbis in mulieres vsus sit,

sus sit, vt nullus vir moderatus audire ea, nedum dicere vellet. Hic, si Ciceroni credimus, Romulo regnante carmen Iambicum scripsit. Herodotus eum scribit eorum meminisse, quę de Gyge & Candaule narrantur, atq; id carmine Iambico trimetro fecisse. Rufinus fabulam Gygis optime complexum esse adiecit eo loco, quo de catalectico trimetro agit. Horatius & Paterculus Iambici carminis inuentorem arbitrantur. ille enim sic habet:

Archilochum proprio rabies armauit Iambo.

Hic dicit, neminem, cuius operis inuentor fuerit, in eo perfectissimum fuisse, præter Homerum & Archilochum. Credo equidem proprium aliquod sibi genus Iambici primum inuenisse, sed vniuersim Iambos priores extitisse, quibus Aristoteles Homerum in Margite vsum esse testatur. Huic maledicam suam linguam nocuisse, Ouidius etiam meminit. Nec ille solus Critiæ & Oenomao consentit, Pindarus etiam atque Plutarchus. Lacedæmonii neque poetam, neque versus eius admiserunt, tum propter nefandam turpitudinem, tum quod clypeum abiicere liceret, scripserit; vt è Plutarcho Strabone & Valerio Maximo constat. Dion Prusæus astutæ vulpeculæ, quam Archilochus celebrarit, meminit, vt inde liceat suspicari, leonis & vulpis apologum ab eo manasse. Idem perfidiam Lycambis contra Archilochum commissam in nuptiarum conuentione per salem & mensam inter alia fidei violatæ exempla in Apistia sua notauit. Nec boni tantum scriptores maledicum eius os prodiderunt, sed adagia etiam in vulgus nota, vt illa; *Archilochum calcare*, quod est vestigia eius sequi in conuiciando, &; *Archilochi patria*, in illam dictum ciuitatem, vbi ciues maledicendi studio tenerentur. Quamuis tamen talis esset, à patria tamen sua Paro, in quam plaustra conuiciorum congesserat, post mortem Aristotelis testimonio honoratus est, nec à patria tantum, sed ab Apolline etiam. Refertur enim à Suida quiddam admodum ridiculum, si vera sunt, quæ hactenus à nobis sunt adducta. Videtur enim apud eum quasi in proverbium abiisse, Ne mortuorum quidem Deos obliuisci, si ad virtutis studia animum appulissent, atq; illud ex iis manifestum esse, quæ post mortem Archilochi acciderunt. Nam cum in bello cecidisset, in quo communis est Enyalius Conondas Corax, qui eum peremerat, nescio qua gratia Delphos profectus, responsum accepit:

Lacedemonii cur nec Archilochū, nec eius versus admiserint.

Apologus leonis & vulpis, à quo manarit.

Archilochū calcare.

Archilochi patria.

Archilochus, à patria & Apolline post mortem honoratus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι νηοῦ.

id est,

Musarum famulum mactasti, hinc effuge templum.

Atque post multas supplices preces vix tandem impetrauit, vt ad Tænarum ad Tettigos sepulcrum manibus filii Telesiclis parentando expiaretur, Tettigem vero, id est, *Cicadam*, se Archilochus nominauit, cum conuitiis lacessitus respondit: Τέττιγα τοῦ πτεροῦ συνείληφας, id est, *Cicadam apprehendisti ala*. Eusebius tamen percussorem Archiam, non Charondam, nominauit ex Oenomao suo, qui ironicôs colligit, non iniuste Archiam è templo exclusum esse, ne quis à Gyraldo decipiatur, qui partem totius irrisionis sic adduxit, quasi seria, non ironica esset oratio. Qui plura cognoscere volet, is aliunde licet petat. Nos non tam multa in medium attulissemus, nisi hoc moliremur ostendere, nihil fere commemoratu dignum in dictis factisque Archilochi à veteribus omissum fuisse; atque hinc fieri, vt satis mirari nequeamus, omissum ab omnibus esse, nobilissimum hunc antiquissimumque auctorem *de Temporibus* scripsisse. Potuissent enim hoc adferre ad conuitiorum excusationem, dicendo: Non omnia ipsius contumeliæ, & fellis viperini plena fuisse, cum historiam etiam, siue temporum scripsisset supputationem. Sed videor mihi videre, vnde in mentem venerit huic nostro falsario, poetæ nomen historiographo accommodare. In Eusebii Chronicis tempore Æneæ Siluii quarti Latinorum regis annotata est auctorum inter ipsos, de Homeri ætate controuersia, vbi hæc est orationis clausula: *Extiterunt alii, qui modico tempore, antequam Olympiades inciperent, quadringentis retro annis Troianæ captiuitatis eum fuisse putent, licet Archilochus viginsi tres Olympiades, & quintum Troianæ euersionis annum supputet.* Qui locus in fine omnino mendosus cum sit, ita videtur à nostro impostore restitutus esse: *Licet Archilochus vicesimam tertiam Olympiadem & quingentesimum Troianæ euersionis annum computet.* Hinc igitur apparet, Archilochum temporum supputationem litteris mandasse. Ad hanc opinionem roborandam facere videtur illud Rufini, qui dicit, Archilochum Gygis fabulam diligenter complexum esse. Deinde doctissimus quisque credit, germanum hunc esse Archilochi partum, licet sit multis membris mutilatus. In quorum numero Io. Brodæus est, omnis litteraturæ singularis thesaurus, qui octo facit Homeros

meros huius auctoritate. Conandum igitur grauibus & idoneis testibus docere, nihil tale de Archilocho debere cogitari. Herodotus enim supinæ negligentiæ fuisset accusandus, qui cum in aliis, tum in vita Homeri, ex proposito de eius ætate disputauit, si Archilochi vetustissimi scriptoris sententiam aut ignorasset, aut citra causæ explicationem contempsisset. Plutarchus diligenter colligit, quid quisque de patria Homeri sentiat, nullus tamen meminit Archilochi, cum tamen is duobus nominibus maxime nominandus fuisset: semel, quia antiquissimus poeta: atque iterum, quia eiusdem fere ætatis fuisse dicantur. An quisquam est, qui persuadere sibi possit Herodotum & Plutarchum, viros antiquitatis omnis ad curiositatem vsque diligentes, non adducturos fuisse Archilochi de Homeri, tum ætate, tum patria sententiam, si eam vsquam exstare quisquam mortalium sciuisset? eius, inquam, iudicium neglexissent, qui & ætate proximus erat, & cuius validæ vibrantesque sententiæ, atque omnis oratio sanguinis & neruorum plena tantum apud homines valuerunt, vt eum vel Homero superiorem futurum fuisse iudicarint, si argumenti genus simile Heroico carmine tractandum sibi proposuisset? Extat eius epitaphium, è quo manifeste hæc de ipso hominum priscorum opinio peruidetur:

Αρχιλόχου τό δὲ σῆμα, τὸν ἐς λυσσῶντας ἰάμβους
Ἤγαγε, Μαιονίδῃ μοῦσα χαριζομένη.

Id est,

Archilochi hoc bustum est, rabidis quem immisit Iambis
Musa hoc Mæonidæ gratificata suo.

Lyricorum princeps Pindarus, sonori eius carminis Ode nona, Olympiorum meminit, quo loco τηνέλλα, & καλλινικὸς ὁ τριπλόος, omnibus Grammaticis, & inter alios Aristarcho & Eratostheni diuersa comminiscendi dedit occasionem. Cum ergo tam clarus apud omnes melioris notæ scriptores fuisse cernatur, & eos nactus scholiastas, quibus nulli habentur illustriores, non opinor equidem quenquam fore, qui existimet eius viri testificationem silentio prætereundam fuisse, si vsquam in libris eius extitisset. Tatianus Assyrius in Homeri ætate quærenda nemini secundus, ita fere habet, vt dicat, antiquissimos eorum, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

de his rebus quæsiuerunt, fuisse Theagonem Rheginum, qui Cambysis tempore vixit, & Stesymbrotum Thasium, & Callimachum Colophonium, tum Herodotum Halicarnassæum & Dionysium Olynthium. Post hos Ephorum Cumanum, Philochorum Atheniensem, Megaclidem & Chamæleontem Peripateticos. Deinde Grammaticos, Zenodotum, Aristophanem, Callimachum, Craterem, Eratosthenem, Aristarchum & Apollodorum. Hic cum plurimi sint, & illi nominentur, quos asserit fuisse antiquissimos, nullus tamen est Archilochus, licet fuerit multo Cambysis regno vetustior. Vnde igitur illud de Archilocho Eusebii Chronicis est assutum, vt is dicatur tempora supputasse? ex illo nempe, quod apud Tatianum paulo post sequitur ita ad verbum.

Ἕτεροι δὲ κάτω τὸν χρόνον ἐκτείναντες, σὺν Ἀρχιλόχῳ γεγονέναι τὸν Ὅμηρον εἰπόντες. ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμασεν ἐπὶ ὀλυμπιάδα τεσσαρακοστὴν καὶ εἰκοστὴν καὶ τύχην τὸν λυδὸν ὕστερον τῶν ἰλιακῶν ἔτεσι πεντακοσίοις.

Quod est: *Alii vero tempus ad inferiora deduxerunt, dicentes eum cum Archilocho fuisse. Archilochus autem floruit circa vicesimam tertiam Olympiadem, imperante Gyge Lydo post res Troianas annis quingentis.* Cum igitur Eusebius libro præparationis Euangelicæ decimo, hunc Tatiani locum adduxerit, nihil amplius dubito, quin quod in Chronicis est, ab hoc nihil sit diuersum. Corrupta igitur scriptura vel lacuna, non eo modo, quo noster antiquitatum mango voluit, vel corrigenda est, vel supplenda, sed ad hanc narrationem Tatiani conferenda. Poterit itaque vel sic, vel simili aliqua formula in integrum restitui, quod in Chronicis legitur: *licet quidam cum Archilocho fuisse ad vicesimam tertiam Olympiadem & quingentesimum Troianæ euersionis annum supputet.* non enim Archilochus hoc de Homero, sed alius memoriæ prodidit, qui vtroque multo fuit posterior. Quis autem is fuerit, è primo libro Stromatôn Clementis Alexandrini resciui, vbi sic ad verbum, si Latine loqueretur, dicere posset. *At vero Theopompus ætatem Homeri refert ad quadragesimum tertium Philippicorum, qui annus est quingentesimus ab Ilii obsidione.* Quibus verbis intelligi datur non ab Archilocho, sed à Theopompo, Homeri ætatem tanto inferius detractam fuisse. Sed vt hunc locum penitus ita corrigendum esse conuincatur, & prorsus exstirpetur illorum opinio, qui Archilocho hanc supputationem attribuerunt, ex Iamborum scriptore historiographum facientes, docebimus plane nihil vsquam tale in Archilochi scriptis fuisse, gtauissimi scriptoris auctoritate, Aristarchus quis fuerit, & quanti sit apud eruditos æstimatus, omnes scire credo, & si quis nesciat, is ab Horatio discat, dum in Arte poëtica virum bonum & prudentem dicit, versus inertes reprehensurum, atque in iis omnia facturum, quæ necessaria sint, ad castigationem denique futurum Aristarchum. Cicero non vno loco Aristarchum pro iudice posuit accurato & seuero, quod tanti huius fuerit in Homeri carminibus censura, vt versus, quem non probasset, pro suppositicio & spurio reiiceretur. Hic igitur, qui hac nota in prouerbium abiit, commentaria scripsit *Archilochiam*, in quibus Homerum circa Ionicam commigrationem fuisse asserit annis post Troiæ excidium centum quadraginta. Si igitur is, qui in Archilochum scripsit commentaria, tot tantum annis à Troia fuisse Homerum scribat, quis poterit suspicari Archilochum scripsisse, sua ætate Homerum vixisse; Quæ enim hæc esset Aristarchi vel ignorantia, vel impudentia, nescire quid is auctor de Homero scripsisset, cuius se interpretem commentatoremque profitetur? vel si sciret, mendacii crimen in os ei impingere, qui se æqualem dicat temporis illius fuisse, quo Homerus vixit? Insigni teste & extra omnem exceptionem posito opus esset ad Archilochum confutandum, si is, Homeri æqualis cum esset, de Homeri ætate testimonium dixisset. Quod si vsquam, vel carmine vel prorsa oratione hos quingentos post Troiæ excidium annos vel leuissima nota indicasset, debuisset prius ab Aristarcho eius auctoritas infringi, quam aliter eandem controuersiam decideret. Nunquam igitur Archilochus prodidit se ita de Homeri ætate censuisse, atque si tam nuper mortuus fuisset, non caruisset Archilochiis dictis, quibus scriptores obnoxii fere semper sunt, quam diu long. dies opera nec dum extra inuidiam euexerit, atq; consecrarit æternitati. Quamobrē cum nullus omnino sit auctorū, qui in Homeri ætatem inquisiuerunt, ne ipse quidem Aristarchus Archilochicorū scriptor, qui meminerit quicquam ab Archilocho de ea proditum fuisse, non est amplius hæc nobis suspicio tenenda. Exuisset se haud dubie Aristarchus Aristarcho, id est optimi & irreuocabilis iudicis officio, si tā supina & inerti negligentia, aut potius effronti contemptu Archilochū mendacii accusasset,

Aristarchus. Cic. lib. 3. ad Famil. Epist. 12. & in Pisonem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nulla interim facta Archilochi mentione, præsertim in eo opere quo Archilochica perscripsit. Præterea ex iis, quæ fragmento hoc sub Archilochi titulo prodeunte continenter, clarum esse potest, nihil in eo esse Archilochicum. Statim enim à limine *Mnaseas* Phœnix Damascenus testis in proscenium vocatur. Quis vero hic Mnaseas Damascenus Archilocho antiquior? Barbarus scilicet aliquis scriptor, qui ante Homerum & Archilochum litteris scripserit vel Phœnicum, vel Græcis, necdum ab Homero reformatis. Athenæus de Salpa agens sic fere habet, si Latine vertas. *Est autem Salpa piscis varius, vnde Mnaseam siue Locorum siue Colophonium eum dicemus, qui Pægnia, id est, pueriles lusus, vel crepundia scripsit; familiares Salpam cognomine dicebant propter collectionis varietatem.* Plinius item Mnaseæ testimonio vsus est libro tricesimo septimo, nulla patriæ adiecta mentione. Ælianus eundem aduocat de Gallis & Gallinis scribens, citra patriæ nomen: cuius nec Iosephus meminit, licet vtrobique & in antiquitatibus & contra Appionem scriptis testem denunciet. Columella Mnaseam de re rustica scripsisse testatur, sed eum Milesium, non Damascenum, dixit. Si hic noster Damascenus fuit, & Archilocho antiquior, magnæ ignauiæ accusandus est Iosephus, qui Dium potius quam Mnaseam ad verbum transscripserit in Phœnicum antiquitate tractanda. Deinde, qui fit Iosephe, vt quæstione de litteris Græcorum proposita hunc nostrum Archilochum non adduxeris, qui omnem dubitationem statim exemisset. Vidimus modo qua occasione de Eusebii corrupta lectione Archilochus temporum supputator euaserit. Videamus nunc qui Mnaseas Damascenus sit factus. Iosephus libro Archæologiæ primo, postquam Berosi de diluuio & Arcæ in montibus Gordyæis reliquiis auctoritatem attulisset, subdit in hanc sententiam. *Horum item mentionem facit Hieronymus Aegyptius, qui Phœnicum antiquitates scripsit, & Mnaseas, & præter hos complures alii; & in illis Nicolaus Damascenus in nonagesimo sexto libro eadem narrat his verbis. Est in Armenia mons magnus supra Menyada Paris nominatus in quem fertur plurimos in diluuio confugisse, & illic conseruatos esse: atque inter alios quendam in Arcavectum ad summum montis cacumen appulisse, & lignorum reliquias multo post tempore ibidem conseruatas esse: fuerit autem hic is quem Moses Iudæorum legislator in scriptis suis prodidit.* Hic (ni fallor) videre licet, qui ex Nicolao Damasceno Mna-

Mnaseas factus sit Damascenus, & è libro nonagesimo sexto Nicolai Damasceni liber nonagesimus septimus Mnaseæ Damasceni, deinde qui Mosis nomen è Nicolao ad Mnaseam transfuerit. Iam in progressu quid noster Archilochus aliud facit, nisi quod aperte nos ludibrio habet, quibus octo Homeros pro vno statuit, & quo vrbes inter se certantes singulas singulis Homeris faceret nobiles, numerum vrbibus æquauit. Hoc debebat sciuisse Herodotus & Plutarchus, & quotquot Homeri patriam ætatemque quæsiuerunt. Pudendum sane tot diligentissimos fuisse scriptores, quos hæc quæstio exercuit, & neminem inuentum esse, qui hanc homonymiam vel docuerit vel probarit: nec minus pudendum rerum inuentarum primos auctores litteris mandare, & interim Homeri obliuisci, qui & linguam Græcam & litteras Græcas tradiderit rudi Græciæ, cum ante non fuissent. Iosephus certe & Tatianus & Clemens, & ceteri eiusdem argumenti examinatores vt Cadmo litteras acceptas ferunt, ita huius Homericæ reformationis, quod equidem sciam, nusquam ne somnium quidem alicui illorum est oblatum. Iam quod de Rufino allatum est, Archilochum diligenter Gygis fabulam complexum fuisse, id nihil eo conducit, quo doceatur Chronographum eum fuisse, nisi tam inepte & barde de scriptorum varietate loquamur, vt eorum Chronica Poetæ scripsisse dicantur, quorum facta carminibus suis celebrauerunt. Quibus de causis non satis admirari possum eorum credulitatem, qui tam facile sibi imponi permiserunt, vt Archilochum de temporibus scripsisse arbitrarentur.

Euersis iam ceteris omnibus, quos impudentia nescio cuius falsarii n. bis suppositi, scriptoribus: vnus restat *Xenophon* de æquiuocis, quem credo ab impostore adiectum esse, ne in reliquis mendacissimus fuisse videretur. Scio equidem plures Xenophontes memoriam sui libris editis comparauisse. Verum qui homonyma scripserit, eius puto neminem meminisse, atque vt demus quenquam fuisse, dicemus tamen hoc fragmentum tantæ ignorantiæ impudentiæque conuinci, vt non sit dignum cuius vlla ratio habeatur. Quid enim impudentius, quam ab homine Græco dici Homerum Thalete posteriorem fuisse? quod impostor à corrupto Eusebii exemplari mutuatus Xenophonti suo adscripsit? In illo enim legitur Olympiade octaua

Universidad de Murcia Biblioteca

Thaletem physicum philosophum claruisse, cum eiusdem Eusebii alio loco dicatur vixisse ad Olympiadem vsque quinquagesimam octauam. Plinius vltimo anno quadragesimæ octauæ Olympiadis Eclipsin prædixisse dicit, quæ contigit sub *Halyatte*, vel, vt vetus exemplar manuscriptum habet, sub *Astyage*. Sed hæc Scripturæ diuersitas temporum diuersitatem non inducit, eo quod tempore huius Eclipsis Astyages Cyaxaris filius iam esset matrimonio satis maturus, quandoquidem sic inter Halyatten Regem Lydorum & Cyaxarem Regem Medorum pax post Eclipsin Solis conuenit, vt Astyagi Cyaxaris filio Ariena Halyattis filia nuptum daretur. Thales igitur magno omnium consensu circa hæc tempora vixit, & mortuus est Olympiade quinquagesima septima, si Eusebii Chronicis credimus. Herodotus Thaletem in expeditione Crœsi contra Cyrum fuisse, de Græcorum historia tradit, quod Eusebio consentit. Tatianus floruisse circa quinquagesimam Olympiadem scripsit, atque eius verba ab Eusebio in proparasceue recitantur. Credendum igitur, locum illum, quo *octaua Olympiade* fuisse dicitur, à quopiam adiectum esse. Nec illud mirum videri debet, cum tota illa Chronica mirum in modum sint depraua ta. Scio tamen esse, qui Phlegontem testem faciant septima Olympiade eum iam cognitum fuisse. Sed qui sic sentiunt, eos puto homonymia deceptos Thaletem Milesium philosophum fecisse è Thaleta Cretensi siue Illyrio poeta, cuius tanta fertur vetustas, vt Homerum præcesserit. Et præcessit sanè si hic septima, ille vicesima tertia Olympiade vixerit, vt Theopompo visum est. In Eusebio igitur forte fuerit *Thaletas Lyricus poeta Olympiadi octauæ* inscriptus, è quo imperitus quispiam *Thaletem Milesium Philosophum* fabricarit, quemadmodum *Hipponactem*, qui fuit mordacissimus poeta, philosophum in eisdem Chronicis fecerunt. Quo vero id magis credatur, Clementis etiam Alexandrini è libro primo Stromatôn testimonium adduci potest, qui perinde atque ceteri, Thaletem primum Græciæ Sapientum circa Olympiadem quinquagesimam floruisse dicit. Plutarchus Thaletæ Musici auctoris Pæanum meminit, sed eum Cortynium Cretensem, & de Glauci auctoritate Archilochi auctoritate Atchilocho posteriorem facit. Verum, vt vt res de Thaleta Lyrico habeat, id constat inter omnes melioris notæ scriptores Thaletem Milesium, vel Syrum, vt quidam voluit, circa quinquage-

Plinii locus expensus.

Chronica Eusebii depraua ta.

Thaletas.

Hipponax.

Thales, primus Græciæ sapientum.

quagesimam Olympiadem clarum fuisse. atqui idcirco, si Homerum hoc facias posteriorem, necesse erit fateri, Cyri temporibus vixisse, cuius Xenophon Pædian cum scripserit, mirari liceret, qui factum sit, vt tanti hominis in ea ætate non feciſſet mentionem, nisi quis tam sit absurdus, vt etiam inferius fontem omnis Græcæ eruditionis detrahere conetur. Quod igitur hic, quisquis fuit, Xenophon de Homero prodidit, argumento est tantum abesse, vt hic Grylli filius fuerit, vt ne doctum quidem aliquem fuisse suspicari queamus. Non igitur contra impiam ipsius de anno sententiam disputabo, nec illud commentum de Gallo, quod plurimis placuit, ridebo; sed illud vnum addam, non aliam mihi videri causam inscriptionis falsæ fuisse, quàm quod Cicero dixerit libro primo de Diuinatione, Xenophontem Socraticum sua scripsisse somnia. Hic igitur, quisquis fuerit, impostor putauit sua quoque somnia probabiliora fore, si illi attribuerentur, cuius somnia mirabiles exitus & verissimos habuerunt. Atque hæc quidem satis sint aduersus falsam antiquariorum enneada, quam qui primus in lucem produxit, is mihi videtur nouem Musarum chorum nominum suorum commentis voluisse æquare. Neque porro dignam eam duxissem, contra quam tantum operæ insumerem, nisi vidissem omnia Lexica plena eorum, quæ solis his fragmentorum falsis titulis pro veris sunt asserta. Quid, quod nemo fere sit antiquitatum inquisitor, qui non hinc gentis suæ exordia mutuetur. Hactenus

Goropius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CENSVRA GASPARIS BARRERII LVSITANI DE FALSO NOMINE EDITO BEROSO sacerdote Chaldæo.

Interprete And. Schotto.

EXPOSITIS iam causis Censuræ de libellis Historicis, falso hactenus ab Annio Viterbiensi euulgatis BEROSI, Manethonis, & Q. Fabii Pictoris Rom. cum de falsis M. Catonis Originibus supra ageremus restat, vt & de reliquis mox iudicium nostrum proferam. Non repetam itaque eadem hoc loco, neque causas corruptarum inscriptionum iterabo : illud duntaxat hic mihi propositum, docere ausos quosdam aliena opera suis titulis euulgare : alios vero confingere ausos libellos antiquorum scriptorum, qui temporum iniuria, maiorumque incuria, vt fit, interciderant. Neq; id in profanis modo libris, verumetiam in sacris tentare non sunt veriti, vt & falsos libellos sint commenti. Quam quidem impudentem audaciam refrenare conatus est Gelasius Pontifex, facto Decreto, quod distinct. XIV. apud Gratianum, hodieque legitur hoc initio, SANCTA *Romana Ecclesia*: quo Decreto veros scriptores à falsis, atque apocryphis distinxit, vt error eriperetur plerisque, & de Catholicæ fidei Catholicæ minime ambigeretur. Vtque res, qua de agitur via ac ratione tradita perspicua reddatur, precium operæ fuerit, de BEROSO ecquis fuerit, de quo hic controuertitur, breuiter præfari : cuius nomine editos historicos libellos homines eruditi cum legissent, falsos esse, ac supposititios iudicarunt, non redditis tamen falsi tituli rationibus, quas nos pro ingenii nostri imbecillitate in præsens reddere conabimur : hac potissimum de causa adducti, quod iam plerosque videam historiam pertexere, ac Regum catalogos, quin & sacra hisce stabilire incœpisse, quasi verum nacti essent virgula quadam diuina, BEROSVM : quem genere fuisse Chaldæum constat, sacerdotem vero, & Astrologum professione : qua in arte vsque eo valuit, vicitque æquales, in ea potissimum parte, quæ Genethliaca vo-

Berosus.

ca vocatur, vt, teste Plinio, Athenienses ei statuam in Gymnasio inaurata lingua statuerint, quod futura certo prædiceret. Scripsit autem, vt auctor est Iosephus, libris aduersus Apionem Alexãdrinum, multa Græco sermone partim Astronomica, ac Philosophica, partim Chaldaicæ historiæ, summa eius capita delibando. Quæ historia ob singularem eius in Astrologicis existimationem, auctoritatis plurimum adepta est : quodque veteri Testamento consentanea scriberet. Quamobrem plurimi, grauesque scriptores eius adhibent testimonium, vt B. Hieronymus, Iosephus Antiquitatum Iudaicarum libris, & in supradictis contra Apionẽ libris duobus: Tertullianus, Tatianus Agathias, Cedrenus, aliique. Verum Chaldaica hæc intercidit historia, vt & alia plurima ingenii monumenta veterum perierunt: qua de iactura vetus est eruditorũ hominum querimonia. Quo tamen libro amisso, repertus est otio, ne dicam inscitia laborans, qui hic bonas collocare horas non erubuit, seriemque pertexuit cerebro suo commentus, Regum omnium nationum, puta Babyloniæ, Aegypti, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, Africæ, Italiæ: quas ineptias *Berosi* titulo proferre est ausus : admiscendo his & alias sine auctore nugas, miro nixas fundamento, iam inde à diluuio mundi, & arca Noe, qua ille cum coniuge & liberis seruatus est, primas colonias deducens in omnes omnium gentium prouincias, propterea quod verum Berosum de his etiam scripsisse è Iosepho obseruasset. Accessit libello auctoritas, quod Ioannes Annius Viterbiensis ordinis Prædicatorum Commentario, vel commento potius illustrare non sit grauatus, adhibẽs etiam in testimonium falsarum narrationum, si superis placet, Poetas, Historicos, Philosophos, atque adeo Theologos. Hac arte in lucem pene libellum reuocauit, sepultum antea puluere, & capsis, quibus æternum iacere, ac perire merebatur, ne plurimos deciperet, qui pro vero *Beroso* citare, ac laudare exinde decepti cœperunt : quem alioqui ne nominandum quidem putassent, vt obscurum, & ignotũ partum: tametsi in præfatione Plinius nullum adeo malum esse librum affirmet, qui non aliqua ex parte, pro vt captus est hominum, in quos inciderit, prodesse queat.

Plin. lib. VII. cap. 37.

His iactis principiis, rationes exponam, cur falsus hic Berosus, qui circumfertur, videatur: hinc eorum refellam argumenta, quibus persuasi quidam legitimum esse hunc *Berosum* aliis quoque persuadere conati sunt.

Universidad de Sevilla Biblioteca

Prima itaq; cauſſa cur fictitius merito iudicetur hic Pſeudo-Beroſus, dum catalogum recẽſet Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Germanię, Africæ, Aegypti, Aethiopiæ, & Italiæ: quæ titulo *Chaldaicæ hiſtoriæ* minus reſpondent, cuius hanc fuiſſe inſcriptionem infra B. Hieronymi verbis oſtendã: quam hiſtoriam cõpendio ſcripſiſſe ait Ioſephus, ſignificans Chaldæorũ res breuiter, aliorũ vero regnorũ minime pertractaſſe. Neq; n. veriſimile videatur, qui gentis ſuæ res geſtas breuiter tantum ſcribere per otium potuerit, cum copioſe externorum res, & à propoſito alienas tam copioſe litteris conſignare voluiſſe. Quod enim opponi ex Ioſepho queat, qui è Beroſo de Iudaicis rebus quædã Annalibus ſuis inſeruit, id nihil nos vrget, ſed eleuari nullo negotio poteſt. Babyloniæ namq; Regibus multa cum Hieroſolymitanis cõmunia fuere, vſus item, ac familiaritas, vt finitimis inter ſe locis habentibus, tũ bellorũ cauſſa, quę Babylonię, atq; Iſraelis Reges geſſerunt. Beroſo itaq; neceſſariũ fuit Babyloniorum bella commemoranti Iudaica quoq; admiſcere; Regumq; Iſraelis ſeriẽ. Quod argumentũ valet aduerſus confictũ hunc Beroſum, qui nullius regis Iſraelitarũ meminit. Atqui Regũ catalogum texuiſſe verũ Beroſum auctor eſt Ioſephus, cuius infra teſtimonium ad verbũ è vero Beroſo allatũ adſcribam, vt res luce meridiana clarius appareat. Quod eſt ſane notatu dignißimũ, ad falſum Beroſum detegendum, cum duæ nationes Chaldęorũ, ac Iudæorũ non modo loci propinquitate, verumetiã fœdere fuerint cõiunctißimę, vt linguis etiam inter ſe propemodũ conſpirarint Hebræo, & Chaldæo idiomate; nullã tamen mentionẽ reperiri in hoc pſeudo-Beroſo Regum gentis Iudaicæ, ſed Hiſpanorũ Regũ, de quibus vix fando Beroſus audierat, cum Iſraelis Reges eſſent notißimi. Cui rei fidem faciet B. Hieronymi auctoritas, ac Ioſephi, quorum mox verba in medium adferam: Regum enim Iſrael nomina hi citãt, quorum in hoc ficto Beroſo, nec volã, nec veſtigium, vt aiunt, reperias. Quare huic Annii Viterbienſis ſuppoſititio partui magis titulus conueniat; *Hiſpanica, Gallica, Africana, Aethiopica, Aegyptiaca, Germanica, Italica* potius, quam CHALDAICARVM RERVM. Quos quidem titulos Imperatoribus Rom. exterarum gentiũ victoribus ſæpenumero olim attribuerunt, ſiue verè, ſiue aſſentando; vt Africos, Parthicos, Macedonicos, ſimilibuſque nominibus appellarint.

Vt autem alteri argumento viam ſternamus, illud obſeruandum cauſſam, cur gentes antea ignotæ magis magiſq; clareſcant, bellum eſſe. vt Eratoſthenes alibi tradidit, Alexãdri Magni armis, Romanorum item, ac Parthorum potenti imperio multo maximam orbis terrarum partem, quæ habitatur, cognoſci cœpiſſe. Alexander enim cognomento Magnus, magnam Aſię & Europę Septentrionalis partem, ad Danubium vſq;, ſuſcepta in Perſidem expeditione, detexit. Romani quoq; arma circumferendo Occidentis Solis regiones aperuerunt ad Albim vſq;, qui fluuius Germaniam ſecat. Mithridates, cognomine Eupator eiuſq; duces terras circum circa Mæotim paludem (quæ vulgo mare magnum nominatur) & Colchidi finitimas, detexit. Parthi quoq; armis ſuis viam aperuerũt, vt Bactriani, & Scythæ, populi vicini ab Europæis cognoſcerentur, referẽte Strabone. Quæ gentes ante Regum illorũ expeditiones, bellaq; geſta, aut ignotæ plane erant, aut rudis duntaxat earum cognitio habebatur, fabuliſq; inuoluta. Vnde, Polybio auctore, minime reprehẽdi veteres Græci, q, Hiſpaniam, longeq; diſſitas prouincias tunc ignorarint, cum nondũ eſſent Romanorũ armis patefactæ. Quare ignorabant Græci res Hiſpanicas, cũ linguæ eius popularis rudes; tum quod ea tempeſtate barbarie preſſa eſſet Hiſpania, neq; acceſſu facilis peregrinis hominibus. At vbi rerum potiti ſunt Romani, ipſi Hiſpaniam, Africã, & Galliã peragrarũt, vt diſtincte liceret Græcis de his gentibus cognoſcere, de quibus confuſe tantũ inauditũ erat. Teſtatur idẽ C. Plinius, Græcorũ antiquiſſimos reprehendẽs vt fabuloſos, deſcribendo Occidentalẽ Europæ partẽ, qui Eridanum in Hiſpania collocarẽt. Quo in numero Aeſchylus fuit: ſimiliter & Europides, & Apollonius, qui Rhodanũ Italiæ flumẽ attriduunt. Qua in re & Ioſephus Ephorũ arguit, q, Iberiã ciuitatẽ eſſe aſſerat, quæ prouincia eſt latiſſima, hodieq; Hiſpania nuncupata: quo factum ſit, vt falſa pleraque de gentis illius moribus ſcripſerit; nimirũ quod magno loci interuallo homo Græcus inde abeſſet. Hinc etiã Ariſtoteles è Pyrenęis montibus naſci Danubiũ, contra rei veritatẽ ſcriptũ reliquit. Quam obrẽ vt rẽ in pauca conferã, ſi Aeſchylus, Euripides, Ephorus, Apollonius & Ariſtoteles, Beroſi æquales, aut certe nõ longe poſteriores Hiſpanicas res, quæ longius aberat prouincia, verumetiã Italiæ lõge propinquioris res ignorarũt; quomodo Beroſus accurati⁹ ea cognouiſſet, quæ hi lõge viciniores nõ ſunt aſſecuti: cũ ſit Hiſpanię Græcia, q̃ Chaldæa propinquior, vt ſingularia regionis illius, regũq; ſucceſſiones ſcribere cõmodi⁹ poſſet: neq; miſcere Chaldaicis, ac Babylonicis rebus aliena remotarũ gẽtium debuerit, vt Hiſpanorũ, Gallorum; Afrorũ, & Italorum cõmercia. Nã, vt Horatii verbo vtar, *Non erat hic locus.*

Strabo lib. 2.

Tertium argumẽtum: Si hic verus foret Berosus, cur antiqui illi Græci (nam de iis mihi sermo est) quos paulo ante nominaui, quique hos temporibus subsecuti sunt, priusquam Occidentis illas regiones Romani aperuerunt, de Hispania verba faciendo, non eadem de illa, quæ Berosus, narrarũt. Verbi gratia vnde Iubal aut Thubal oriundus, qui in Hispaniam colonias duxerit; Celtiberias à Celtibero; Hispanos ab Hispali dictos. De Idubeda monte, de ciuitate Lybisona, Lybisoca, Libunca, & Libora. Item de coloniis Noela, & Noegla, de Tago, & Brigo, quem multas in Hispania ciuitates condidisse nugatur. Cum essent tamen Græci adeo discendi cupidi, no
Act. 17. uarumque rerum curiosi, vt de illis apud Lucam B. Paulus prędicat qui etiam aram IGNOTO DEO Athenis statuerint; præsertim cum tanta esset Berosi in historia auctoritas, quomodo hæc ad eam dien ignorata? Quod eo à me dictum videri volo, quia Herodotus perpetuo Iberiam vocat, & Iberos, qui vulgo Hispani sunt, & Hispania nunquam Celtiberos, aut Celtiberiam nominat. Dehinc quomodo Plinius, aliique Geographi cum Græci, tum Latini, qui Berosi ætatem longe post subsecuti sunt, eumque interdum citant, cum de coloniis in Hispaniam deductis è M. Varronis auctoritate loquuntur, nullam Noæ, deductarumque ab eo coloniarum mentionem faciunt, neque de Thubale, aut Iani origine, quem hic pseudo-Berosus Noe fuisse fingit? ac de Zoroastre quidem cur non meminerunt, quem Cham Noæ filium facit? Neq; de Camesenis, Sabis Sagis, Scythis, Sagis, Cranis, & Craniis, Razenuis, Comaris, Bardis, aliisque nominũ monstris, quæ tam laborioſe Viterbiensis commentus est, cum vt geographos auctores habeat, verba deriuando, aut dissecando, aut interpretando, tum vt Thalmudicos laudare, queat. Adhæc Etymologias è peregrinis arcessens linguis, vt alias hinc voces deducat, ac Berosо denique ficto sic auctoritatem gratiamque conciliet. Quarum vocum origines Etyma, &, vt Varro nominat, veriloquia quædam Annii hic colligam inepta sane, & ridicula, vt appareat cuiuis quam vere doctus quidam vir de his auctoribus dixerit: *Mulgebat hircum Berosus, & Annius cribrum subiiciebat*: significans veteri Maroniano prouerbio frustra laborasse vtrumque, alterum in cudẽdis, ac fingendis vocibus, alterum in etymis excogitandis falsis, ac deridiculis. Nihil dicam in præsens de vtraque vrbe *Noela*, & *Noegla*, quarum Plinius meminit, vocatq; colonias, in quo valde se iactat, ac pene triumphat Annius, quoniam de his alibi opportu-

Eclog. III. Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

portunior erit discendi locus: vbi discet Lector, quam hoc siculneum sit argumentum, ad fidem Berosо illi adulterino cõciliandam. Ideoq; in huiusmodi ineptiis refellendis non immorabor, quæ quiuis mediocri ingenio, & eruditione notare facile possit, si in his operam ludere libeat. Grauiora itaque aggrediar, vt res, quam conficere argumentis volumus, clarius eluceſcat.

IV. B. Hieronymus Commẽtario in xxxvii. Esaiæ caput sic de Sennacherib, Assyriorum Rege scriptum reliquit: *Pugnasse Sennacherib regem Assyriorum contra Aegyptios, & obsedisse Pelusium, iamque exstructis aggeribus vrbi capiendæ, venisse Taracham regem Aethiopum in auxilium, & vna nocte iuxta Hierusalem centum octoginta quinque millia exercitus Assyrii pestilentia corruisse narrat Herodotus, & plenissime Berosus Chaldaicæ scriptor historiæ, quorum fides de propriis libris petenda est.* Iosephus quoque eandem Senacherib Regis referens historiam, citat & Herodotum, allatis Berosi hisce verbis: *Herodotus*, inquit, *de Rege Sennacherib errorem ideo facit, quia non Assyriorum dicit regem, sed Arabum: adiiciens quia Soricum multitudo vna nocte arcus, & arma reliqua comedit Assyriorum. Et propterea cum non haberet Rex arcus, exercitum à Pelusio reuocauit: & hæc quidem Herodotus. Berosus autem qui Chaldaicam conscripsit historiam, meminit Regis Sennacherib; & quia regnauit super Assyrios, & castrametatus est contra omnem Asiam, & Aegyptum, ita dicens: Reuersus autem Senacharib à prœliis Aegyptiorum, ad Hierosolyma cum venisset, exercitum, quem cum Rabsace dimiserat, inuenit in periculo pestilentiæ constitutum: Deus enim morbum populo eius immiserat, ita vt prima nocte eorum, qui obsidebant, deperirent* CLXXXV. *millia viri cum iudicibus, & tribunis. Propter hanc calamitatem in nimio terrore, & angustia constitutus, de cuncta iam militia metuens fugit cum sua manu ad proprium regnum, in ciuitatem quæ appellatur Niniue: Et dum modicum tempus ibidem commoratus fuisset, dolo à senioribus filiis Adramelech, & Selemsaro est peremptus in proprio templo, quod dicitur Arasci. Et illi quidem pro cæde patris effugati, ad Armeniam discesserunt. Successit autem in eius regnum Asaracoldas. Terminus igitur obsessionis Assyriorum contra Hierosolymitas tali occasione prouenit.* Hactenus è Berosо Iosephus. Si itaque Beatus Hieronymus Berosum ait historiam referre Regis Sennacherib, quam ipsis Berosi verbis recitat Iosephus; dic amabo, cur eadem in hoc pseudo-Berosо non inueniuntur? ac ne Regum quidem Assyriorum nomina Sennacherib, aut filiorum Adramelechi, & Selensari, nec Asaracoldæ, qui in regno successit? Quam-

Universidad de Deusto
Biblioteca

obrem si hæc Berosi narratio à Iosepho descripta in ficto hoc Berosso non exstat, ac ne vestigium quidem reperitur, alterutrũ efficiatur necesse est, vt vel Hieronymus & Iosephus falsa scripserint, (quod vt credam adduci non possum) aut, quod magis credo, confictum hunc esse Berosi partum, ac supposititiũ. Conficitur & illud, veram Berosi historiam diffusius narrasse, quã libris quinq; vulgarem hunc Berosum: quæ nihil narrat copiosius, sed concise duntaxat Assyriorum Reges aliquot commemorat, vt nomina, regnorumq; tempora breuissime retulisse sit contentus. Sunt denique libri adeo exigui, vt quinque summum folia impleant.

V. Reperias & alium Berosi locum, ab eodẽ B. Hieronymo allatum in caput quinctũ Danielis. Sic enim ille de Balthazare Rege, *Sciendum*, inquit, *est, non hũc esse filium Nabuchodonosor, vt vulgo legentes arbitrantur, sed iuxta Berosum, qui Chaldæam scripsit historiã, & Iosephum, qui Berosum sequitur, post Nabuchodonosor, qui regnauit annis quadraginta tribus, successisse in regnũ eius filium, qui vocatur Euilmerodach, de quo scribit Hieremias, quod in primo anno regni sui leuauerit caput Ioachim regis Iudæ, & duxerit eum de domo carceris. Refert idẽ Iosephus quod post mortem Euilmerodach in regnum patris successerit filius eius Neglisar: Post quem rursum filius eius Laborsordach: Quo mortuo Balthasar filius eius regnum tenuerit, quem nunc scriptura commemorat.* Reddit dehinc rationẽ, cur Balthasar Nabuchodonosoris filius appelletur, cuius tamẽ pronepos erat, hæc subiiciens: *Quod autem Balthazaris patrem Nabuchodonosor vocat, non faciet errorẽ scientibus sanctæ Scripturæ consuetudinẽ, qua patres omnes, proaui, & maiores vocantur.* Quẽ autem Berosi locũ Hieronymus aduocat, Iosephus libro priore contra Apionem Alexandrinũ Grammaticum, sic profert: *Quæ vero de templo Hierosolymorum relata sunt & concrematum esse Babyloniis, & cœptum rursus ædificari, Cyro tenente Asiæ principatum, ex dictis Berosi declaramus. Sic enim in tertio libro dicit: Nabuchodonosor itaq; posteaquam inchoauit prædictum murũ, incidens in languorem de vita migrauit: cũ regnasset annis tribus, & quadraginta. Huius regni dominus effectus filius eius Euilmeradachus, propter iniquitates, & libidines passus insidias, a marito sororis suæ Nirigliſoroore peremptus est, cum duobus regnasset annis. Quo defuncto sumens regnũ, qui ei fecit insidias, Nirigliſoor, annis regnauit quatuor. Huius filius Laborosardochus principatum quidem tenuit puer existens mẽsibus nouem. Insidias vero passus eo quod nimis appareret malorum esse morum: ab amicis exstinctus est. Hoc itaque perẽpto conuenientes ii, qui fecerant insidias, communi suffragio regnum tradidere Nabonido*

Nabonido cuidam, qui erat ex Babylone eadem gente. Sub hoc muri circa fluuium Babyloniæ ciuitatis ex latere cocto, & bitumine sunt constructi. Cuius regni anno septimo decimo egressus Cyrus ex Perside cum magno exercitu, vniuersa Asia subacta, impetum fecit in Babyloniam vrbem. Sentiens autem Nabonidus innasionem eius, & occurrens cum exercitu suo, atque congressus pugna victus, & cum paucis fugatus, inclusus est in Borsippẽsium ciuitate. Cyrus autem Babyloniam obsidens, & deliberans exteriores muros deponere ciuitatis, eo quod nimis videretur munita, & esset ad capiendũ valde difficilis, reuersus est ad Borsippum Nabonidum expugnaturus. Nabonido vero oppugnationẽ non exspectante: sed prius supplicante, vsus clementia Cyrus, & dans ei habitaculũ in Carmania, eũ à Babylone expulit. Nabonidus itaq; reliquum vitæ tempus in illa prouincia conuersatus est. Hæc concordant cũ nostris, inquit Iosephus. Cõstat itaq; Berosum lib. III. res Nabuchdonosoris pertractasse, filiorumq; successionẽ ad Balthasarum vsq; Regẽ illius, vt diximus, pronepotem, B. Hieronymi auctoritate: bellum item cum Cyro Persarum Rege gestum, vtq; Babyloniã ceperit muroq; cinxerit: quẽ Iosephus *Nabonidam* à Beroso nominatũ refert lib. x. Antiquitatum Iudaicarum, quem prælio captũ libertum abire permiserit, Carmaniam alimenti causſa illi attribuendo, vbi reliquum vitæ tempus transegit. Veniamus nunc ad tertium quoque pseudo-Berosi librum, vbi nullum harum rerum vestigium reperias, imo ne quinque omnino libris quidquã legas ne nomen quidem Nabuchdonosoris, neq; successorũ eius, neq; Nabonidæ, qui Balthasar est, ac ne Cyri quidem Persarum Regis. Igitur manifesto hinc colligas, non esse hunc antiquum illum Berosum à Iosepho, & Hieronymo laudatum, ac citatum: neque id credere fas esse.

VI. Pergamus eadem hac argumentãdi forma è Iosephi libro priore contra Apionẽ Grammaticum: qui de consensu historiarũ de Chaldæorum, ac Iudæorũ rebus verba faciens, allato Berosi loco, quem mox proferam, hæc scribit: *Nunc itaq; sunt dicẽda ea, quæ apud Chaldæos noscuntur esse cõscripta, & de nobis in historia sunt relata, quæ multã habent concordiam cum nostris voluminibus etiã de aliis rebus. Testis est horũ Berosus vir genere quidẽ Chaldæus, notus autẽ eis, qui doctrina, eruditioneq; congaudent, quoniã de Astronomia, & de Chaldæorũ Philosophia ipse Græcas cõscriptiones edidit. Igitur Berosus antiquissimas secutus historias de facto diluuio, & hominũ in eo corruptione, sicuti Moses, ita cõscripsit, simul & de Arca, in qua generis nostri princeps seruatus est, deuecta scilicet ea in summitatẽ montium Armentorũ. Deinde scribẽs eos, qui ex Noe progeniti sunt, & tẽpus eorum adiiciens vsq; ad Nabulassarũ puenit Babyloniorũ, & Chaldæorũ Regẽ. Et huius*

Universidad de Deusto
Biblioteca

actiones exponēs narrat quemadmodum misit in Aegyptum, & ad nostram terram filium suum Nabuchdonosorem cum multa potentia. Qui dum bellantes eos inuenisset omnes suo subiecit imperio, & templum in Hierosolymis concremauit, cunctumque generis nostri populum auferens migrauit in Babylonem. Vnde ciuitatem contigit desolari annis septuaginta vsque ad Cyrum Regem Persarum. Dicit autem quod tenuerit Babylonius Aegyptum, Syriam, Phoeniciam, Arabiam, vniuersos priores Chaldæorum, & Babyloniorum Reges actionibus suis excellens. Ipsa vero verba, quæ Berosus protulit hoc modo dicta necessario proferenda sunt. Audito autem pater eius Nabulassarus quod satrapa constitutus in Aegypto, & Syria inferiore, & Phoenicia rebellaret, cum non valeret iam ipse labores ferre, tribuens filio suo Nabuchodonosori, ætate valenti, partem quandem exercitus contra eum misit. Nabuchdonosor autem cum satrapa desertore congressus, prouinciam, quæ ab initio eorum fuerat, ad proprium reuocauit imperium. Eodem vero tempore contigit patrem eius Nabulassarum cum ægrotasset in Babylonia ciuitate defungi, qui regnauit annis XXIX. Nabuchdonosor autem non post multum tempus mortem patris cognoscens, & negocia Aegyptiaca disponens, reliquarumque prouinciarum, & captiuos Iudæorum, & Phœnicum atque Syrorum, qui in Aegypto fuerant commendans quibusdam amicis, vt cum exercitu, & impedimentis perducerentur ad Babyloniam, ipse cum paucis iter aggressus per desertum Babylonem venit, reperiensq; cuncta à Chaldæis dispensari, seruatumque regnum ab optimatibus eorum, dominus factus totius paterni principatus, captiuis quidem aduenientibus præcepit habitacula in opportunissimis Babyloniæ locis ædificare. Ipse vero ex manubiis templum Beli, ac reliqua munificentissima excoluit, & veteri vrbi alteram extrinsecus adiecit. Et prouiso, ne posthac possent homines fluuium conuertere, & ad vrbem accedere, tres interiori ciuitati per circuitum muros, totidem exteriori, hos cocto latere; illos addito etiam bitumine circumdedit. Tum sic communitæ, portas, quæ vel templum deceant, addidit. Adhoc iuxta paternam regiam alteram sumptuosiorem multo, ampliorēq; extruxit. Cuius ornatum exponere fortasse longum esset. Illud memoratu dignum, quod hæc adeo superba supraque fidem magnifica, quindecim dierum spatio perfecta est. In ea lapideas moles excelsas excitauit, aspectu montibus assimilet, omnique genere arborum consitas. Hortum quoque pensilem fecit fama nobilem, eo quod vxor eius montanum prospectum desideraret, in Medorum regione educata. Hucusque Berosus. Subiicit vero Iosephus: *Hæc itaque retulit de prædicto rege, & multa super hæc in libro Chaldaicorum; in quo culpat*

pat conscriptores Græcos, quasi vane arbitratos a Semiramide Assyria Babylonem ædificatam, & mira opera ab illa circa eam fuisse constructa falso conscripsisse dicens. Ipsam certe Chaldæorum conscriptionem fide dignam existimandum est, quando cum archiuis Phœnicum concordare videntur, quæ ex Beroso conscripta sunt de rege Babyloniorum, quoniam & Syriam & vniuersam Phœniciam ille subuertit. Lecto hoc Berosianæ historiæ fragmento, in quinque Pseudo-Berosi libris nihil horum inuenies, ac ne mentionem quidem Nabulassari, neque Nabuchdonosoris illius filii: vtque parentis iussu copias duxerit aduersus Satrapam, qui Ægyptum, Syriam, & Phœniciam vi occupans tenebat, armisque superarit: vtque parens vita simul, & regno tandem decesserit, quod nouem & viginti annos iam administraret. Neque continet illud Nabuchdonosorem captiuos duci mandasse Iudæos, Syros, & Phœnicas in Babylonem, sedesque assignasse: neque vt è manubiis hostium templum superbissimum incredibili sumptu Belo exædificarit, augens & Babyloniam ædificiis, ac triplici muro intus vestiens, totidemque foris cingens: adhæc peristyliis ornans operis egregii. Neque rursum hortorum pensilium mentionem faciunt, in quibus omne frugiferarum arborum genus, vt hoc spectaculo vxor oblectaretur. Quo etiam libro Græcos historicos vanitatis arguit, qui superba hæc opera ædificiorum Babyloniæ Semiramidi tribuerint, præter gestæ rei veritatem. Nabuchdonosori enim non Semiramidi hoc opus, vrbisque incrementum acceptum esse referendum. Euincitur itaque argumentis necessariis, non esse eum, qui vulgo circumfertur, legitimū Berosum: quod & his careat historiis, & ne nomina quidem vsurpet hic posita. Dicit libro quincto Semiramidem auxisse Babyloniam vrbem antea paruam, hisce verbis: *Quarto loco regnauit apud Babylonios vxor Nini Semiramis Ascalonita annis quadraginta duobus. Hæc antecessit militia, triumphis, diuitiis, victoriis, & imperio omnes mortales. Ipsa hanc vrbem maximam ex oppido fecit, vt magis dici possit illam ædificasse, quam ampliasse.*

Quibus verbis pugnantia prodit, affirmans Semiramidem Babyloniam ædificiis auxisse magnificis: cum interim Græcos reprehendat scriptores Berosus, quod id Semiramidi falso attribuerint, vt eius supra allatis verbis ostendimus. Sed quid pluribus opus argumentis in re tam clara, quæ tamen suppetunt, cum ista fidei faciendæ sufficiant. Quod tot tantæque historiæ, narrationesque rerum, ac virorum illustrium in hoc falso Beroso minime reperias:

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui adeo breuis est, ac succinctus, qualis in Chronico Eusebius est Cæsariensis, non historico stylo fusius, vt Berosum verum scripsisse appareat, decurrens: argumento sunt germani Berosi loca supra nobis ex Iosepho, & Hieronymo descripta.

Exstat & alius Berosi veri locus in Iosepho lib. 1. Antiquit. Iudaicarum, cap. xv. quo loco Abrahami meminit, teste Iosepho, cuius nulla est in adulterino mentio. Hæc enim Berosi verba apponit: *Meminit*, inquit, *patris nostri Abraham Berosus, non quidem nominans eum, sed ita dicens: Post diluuium decima generatione apud Chaldæos fuit quidam vir iustus, & magnus, in cœlestibus rebus expertus.* Vnde colligo, si verus hic foret, ac legitimus Berosus, qui in vulgus editur, eadem sane de Abrahamo necessaria legerentur.

Sunt & pugnantia quædam in hoc Berosо cum Iosepho, & Manethone de Rege, quo exiit populus Israeliticus ex Ægypto. Berosus enim iste Chencren nominat; Manethon vero, & Iosephus Themusin vocat; cum intersint ab hoc Rege ad illum, apud Manethonem, quem Iosephus citat anni prope ducenti. Berosi autem huius ficti verba apponam: *Sub Spareti imperio floruerunt Aegyptii reges magni Orus, Acencheres, Acoris, & cæpit Chencres, qui cum Hebræis de magica pugnauit, & ab eis submersus est.* Manethonis vero à Iosepho lib. 1. contra Appionem allata hæc fere sunt: *Postquam egressus est ex Aegypto populus, pastorum ad Hierosolymam expulsor eorum Rex Themusis, &c.* Iosephi item de exitu Israelis de Ægypto loquentis hæc leguntur: *Themusis enim erat Rex quando egressi sunt.*

Cumque graues Scriptores sæpenumero inter se discrepant, Berosо potius assentiri Iosephum oportebat, quam Manethoni: quod, vt ipse affirmat, sacris litteris magis consentanea referat, vt pote Chaldæus: quæ gens cum Hebræa sic conuenit, vt vna propemodum, eademque lingua, ac dialectus fuerit; vt & veteris Testamenti explanatio, quam Targum ipsi nominant; plurimumque illi tribuunt, Chaldæo idiomate conscripta sit.

Exstat & alius Plinii locus lib. VII. Natur. historiæ cap. LVI. de litterarum antiquitate agentis: Anticlide nimirum auctore Menonem quendam comperisse in Ægypto quindecim annis ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ Regem, vsum litterarum. Epigenem quoque scripsisse repertas apud Babylonios astrorum obseruationes latericeis columnis inscriptas annorum amplius septingentorum viginti: qui vero pauciora numerarint quadringento-

gentorum octoginta numerasse: in his Berosum, & Critodemum fuisse. Verba Plinii adscribam: *Antidides in Aegypto inuenisse quendam nomine Menona tradit* XV. *annis ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ regem, idque monumentis approbare conatur. E diuerso Epigenes apud Babylonios* DCCXX. *annorum obseruationes syderum coctilibus lateribus inscriptas docet grauis auctor in primis. Qui nimirum Berosus, & Critodemus* CCCCLXXX. *annorum.* Quæ in vulgari Berosо de quadringenta & octoginta annis minime reperiuntur, quo tempore apud Chaldæos litteræ primum inuentæ sint, refert tantum docuisse Noam Scytharum gentem Theologiam, sacrorumque ritus, multaque naturæ arcana, quæ Scythæ sacerdotibus commentarint. Docuisse & planetarum cursum annum quoque Solis cursu distinxisse, menses vero Lunæ vicissitudine, aliaque id genus; nulla tamen habita mentione quadringentorum & octoginta annorū; cum apud Chaldæos repertum esse litterarum vsum Berosus verus scribit. Aut igitur in crimen falsi vocandus Plinius; aut si, vt est reuera, nefas criminari talem tantumque auctorem, Berosus iste vulgaris fictitius est. Mirum id à Lectoribus non obseruatum, quod tamen obuium cuique esse poterat.

Suppetit & aliud argumentum. Iosephus enim colonias referens à Noæ posteris deductas per varias orbis terrarum regiones, Iaphetum ait filium eius duos quoque liberos sustulisse Madeum & Ianum: è quorum Madeo Medi; è Iano vero Iones, & Hellades originem traxerint: vnde & mare Ionium sit appellatum. Quæ pugnant cum iis, quæ nouus iste Berosus comminiscitur, qui Noam Ianum facit, à quo & Ianigenæ nuncupatæ sint coloniæ, deductæ in Hyrcaniam Mesopotamiam atq; Arabiam. Iosephi autem hæc ferè verba sunt. *Item filiorum Iaphet Madeus, & Ianus fuerunt. Et ex Madeo quidem sunt gentes, quæ à Græcis Medi vocantur. De Iano vero omnes Ionii, & Helladici descendunt, qui & Græci. Vnde & mare Ionicum appellatur.* Hunc Ianum S. Scriptura Iauan nominat, quo nomine appellantur, auctore B. Hieronymo in Ezechielem & Esaiam, Græci ab Hebræis, & Iones ad mare Ionium positi. Huius filii Elisa, & Tharsis, Cethim, & Dodanim: quos eadem Scriptura per insulas gentes deduxisse variis & linguis & nationibus distinctas ait. Hinc factum, vt omnes insulas Hebraica lingua Cethim vocare cœperint, quemadmodum in nostro de Ophyr libello notabamus. Vere itaque mirandum Iosephum, qui Berosi auctoritate, mul-

tum ei tribuens, libenter vtitur, nihil de coloniis deductis à Noa scriptum reliquisse, vt ab isto Pseudo-Beroso plurima conficta sunt: neque de mutatione nominis Noæ in Ianum, vt vineæ repertoris, cum refert vino primum inebriatum: atqui falsus hic Berosus ideo Ianum appellatum asserit, quæ vox Aramea lingua *vitiferum* & *vinifera* sonet. Et cur, quæso, idem Iosephus facta mentione Chami, secundi Noæ filii, esse eundem Zoroastrem non prodit, vt à falso illo Beroso assertum video? Cur etiam negligit colonias Noelam, & Noeglã, quas hic à Noa deductas fingit, & à suis nuribus appellatas, ac ne de nuribus quidem Noæ agit? neque de tot Sabæis, Sagis, Cranis, Razenuis, aliisque nominibus ab illo adhibitis vt legenti, atque inter se historias conferenti clarum euadat? Cur item Hieronymus in caput LXVI. Isaiæ non meminit? vbi tamen tradit ab Hebræis Græcos Iauan nominari, qui Ianus est apud Iosephum, citans, toties Berosum. Et si Noë Ianus esset Gentium Deus, quomodo Græci Noam Nochum, & non Ianum potius appellarunt, vt auctor est Iosephus? quo etiam ex loco vanitas falsi Berosi elucescit.

Ad illa autem iam allata testimonia illustre accedit & Agathiæ, hominis Græci, grauisque auctoris: quo etiam efficitur non esse eum, qui in manibus est, verum Berosum. Hic enim de Zoroastre, magicæ artis inuentore, agens, negat satis constare: qua ille ætate apud Persas floruerit, adhibens eius rei testem & Berosum: qui Berosus lib. III. Zoroastrem filium Chami facit, Noæ filii, quique parentem magicis artibus, ac veneficiis generare liberos prohibuerit. Addit & Agathias Berosum vocasse Herculem Sandem, Venerem que Anaitida: quæ duo peregrina nomina in hoc Beroso non reperias. Verba autem Agathiæ è lib. II. rerum Persicarum hæc deprompsimus: *Sed huius temporis Persa priscos mores omnes fere omisere, & perinde iam euerterunt, alieniſque legibus tanquam adulterinis vtuntur, ex Zoroastri desumptis Orismadei. Is autem Zoroaster, siue Zorades (nam duplici vocitatur cognomine) quo tempore in principatu floruerit, & tulerit leges, satis clare internosci non potest. Perse namque nostræ huius ætatis, Idaspis temporibus simpliciter tamen hunc fuisse affirmant, ita vt in ambiguo sit, nec satis plane dignosci queat vtrum Darii pater, an alius quispiam is fuerit Idaspes: sed quouis ille floruerit tempore, magister tamen & Persis fuit, & magici sceleris adinuentor, qui prisco sacrorum ritu mutato, promiscuas quasdam, & varias opiniones induxit. Siquidem vetustiores illi Iouem, Saturnum, & huiusmodi*

huiusmodi ceteros apud Græcos quondam percelebres vt Deos venerabantur, cum alioqui cognomenta minus seruarent: Nam Iouem Belum dicebant, Herculem Sandem, Anaitida Venerem, & alios item aliter vocitabant: quemadmodum Berosus Babylonius, & Athenocles Symmachus, qui Assyriorum, Medorumque res antiquissimas conscripserunt, in historia produnt. Si itaque historicus ille scriptor Berosum merito magni facit, & ab omnibus quotquot legerunt in pretio est habitus, & ille Zoroastrem, magicæ artis repertorem, Chami filium fecisset, vt falsus ille Berosus facit, quomodo verus ille Berosus scriberet de Magi huius ætate non satis constare? Hoc amplius creditum apud Persas fuisse Hidaspis potissimum regno floruisse. Hæc enim conciliare non possum vnum eundemque auctorem & ætatem alicui tribuere vt Zoroastri, vt à falso Beroso factitatum video; & negare de ætate satis constare. Affirmare item Herculem Sandem; Venerem vero Anaitida Persis dici, quæ tamen nomina in vulgari Beroso non reperias. Non habeo itaque quod respondeam, nisi aut falsa narrasse Agathiam, aut hunc falsum esse Berosum.

Prætera occurrunt nomina in hoc pseudo-Beroso quæ noua sunt, & post inuenta, vt Alemanorum nomen; aut certe ignota Græcis hominibus, & Chaldæis, Berosi sæculo: vt Celtiberorum vox, & eius farinæ aliæ, de quibus & supra dicere memini.

Sed en tibi & aliud pro vero Beroso argumentum. Iosephus enim Berosum scripsisse ait de diluuio, & Arca Noæ, quæ cum Moyse cõsentiant: ac deinceps Noę posteros descripsisse ad regnum vsq; Nabulassari, Regis Babyloniæ, deque eius rebus domi, ac militiæ præclara gestis, eiusque filii Nabuchdonosori. Verba Iosephi supra quoque adhibita hæc sunt: *Igitur Berosus antiquissimas secutus historias de facto diluuio, & hominum in eo corruptione, sicuti Moses, ita conscripsit,* &c. Subiicit his & alia, quæ supra suo loco posita inde lector repetat licet, vt hic iterare eadem, ac reuocare non sit necesse. Ex quibus sic concludo, si Berosus ex antiquissimis scriptoribus de diluuio, & arca Noæ scriptum reliquit, Moysem potissimum secutus, vnde & sua hausit, quomodo ergo tam aniles fabulas ac nugas, vt nuperus iste Berosus, commentus est de diluuio & Noa, eiusque nuribus, Noeyla & Noela, qualia in Moyse minime reperias? item Chamum fuisse Zoroastrem, magicæ artis inuentorem, qui patrem incantamentis sterilem reddiderit: & id genus alia friuola, atque inepta, quæ in Moyse non exstant? vt lector vtrumque comparando, &

committendo, vberius obseruabit. Quomodo etiam non meminit Nabulassari, eiusque filii Nabuchdonosori vsque ad ætatem, quo perduxisse historiam verum Berosum auctor est Iosephus? præsertim cum & seriem, successionemque regum Hispanię, Gallię, Germanię, Italię, Aegypti, Africę, aliarumque prouinciarum contexuisse fingat. quorum verus ille Berosus in Chaldaicis rebus mentionem facere minime poterat. Breuem enim, compendioque factam scripsisse ferunt: non igitur aliena aliorum Regum, & peregrina admiscere fas erat, vt iam supra dictum memini.

Pluribus opus esse argumentis equidem non arbitror, vt nuperum illum Berosum falsum esse & confictum doceam. Satis enim superque in re adeo manifesta disseruimus, & lectori abunde factum putamus satis. Reliquum est, vt ad alteram promissi partem aggrediar, nimirum quidnam caussæ sit, cur plerique fidem habuerint Ioanni Annio Viterbiensi, qui, nisi fallor, & primus hunc Pseudo-Berosum protulit, & magnis commentariis, sed ineptis, auctoritatem addere scriptori conatus est, vt & verum illum esse, & antiquum Berosum à tot tantisque celebratum asserere non dubitarit.

Prima hæc mihi caussa se offert: quod diluuii, & arcæ Noæ mentionem fieri viderent: qua in re consentire videbatur cum iis, quæ Iosephus è Beroso vero attulit, nosque supra verbis ipsius cõmemorauimus, è libro aduersus Appionem Grammaticum priore. Reppererunt in eodem ipso Beroso Arcam Noe à diluuio in Gordio monte Armeniæ desedisse. Vnde fragmenta quædam, & scalmos detractos bitumen effudisse, quo gens ea sacris lustralibus expiari consueuisset. Quem locum iisdem pæne verbis Iosephus recitat, & B. Hieronymus libro de locis Hebraicis.

Adhæc illis ad credendum argumentum oblatum è Beroso, qui referret Noam decimo regni anno Nini ex Africa in Hispaniam traiecisse, & Hispalim venisse ad Celtiberos, quo deductis coloniis binis Noelæ, & Noeglæ nomine à nuribus suis, quæ filiis suis Iapeto, & Chemeseno nupsissent, deriuatis. Quarum etiam coloniarum meminisse putant Plinium in Hispaniæ descriptione, Noegæ, & Noelæ nomine: quas easdem esse Noæ colonias affirmant, ab illorum Beroso confictas. Neque enim aliæ rationes suppetunt, cur illi inscribendum putarint, nisi quia titõlum eius præferret. Quæ tamen rationes adeo nullius sunt ponderis, vt si quis cum illis argumentis conferre voluisset, quæ supra è Iosepho, Hieronymo, Plinio, &

& Agathia attulimus, equidem non dubito, quin statim sententiam mutassent, & veluti fictum, vt est reuera, scriptorem abiecissent.

Vtque argumento primo respondeam de consensu vtriusque Berosi, in diluuii, atque arcæ Noę historia: vide, quęso hominum in falsis tegendis artificium. Quid non fur molitur dum furtiuæ rei signum commutat? quid non falsarius scriba? quid non denique excogitat adulterinæ cusor monetæ? Sic falsi huius auctor Berosi cum in Iosepho reperisset Berosi locum è lib. 1. suo quoque operi, vt fidem inueniret, intexuit, contentus eo, quod initio occurrebat, reliqua loca, quæ deinceps in Iosepho sequerentur, aut in aliis exstarent auctoribus neglexit. Quis ferat venditare aliquẽ pro suis varias hinc inde collectas historias, quas varii scriptores citarunt. Vt si quis versus suos pro Ennianis ideo proferat, Enniique titulum, ac nomen affigat, (vt fere in Ænilii Macri poemate Medico olim tentatum video) quod Ennii versus è Varrone, Cicerone, ac Macrobio aliisque decerptos suis, vt panno purpuram, inseruisset. Idem de Menandro Comico Poeta, ceteriisque adeo scriptoribus, qui temporum iniuria interciderunt, vsuuenire queat. Hoc amplius si absque titulo, & inscriptione, vt antiquitus sæpenumero accidit, in lucem exiisset hic libellus, nonne Beroso attribui potuisset? nunquid eundem de diluuii locum alibi repperisset? Non quod credam à Beroso diluuii historiam tam putide & nulle figmentis inuolutam scriptam fuisse, sed quod alibi non secus atque à Pseudo-Beroso hoc æque ieiune describi potuisset.

Quod aiunt de arca Noe in Armeniæ monte hærente, eadem legi apud Iosephum, & B. Hieronymum Berosi nomine allata, est quod respondeam: reperiri multa in Plinio, Pomponii Melæ verbis citata, & in Solino, Plinii verbis recitata; Liuium quoque è Polybio multa in suum opus conuertisse, vt vicissim è Liuio Silius Italicus carmine multa transcripsit: quidni possit quis citare locum auctoris etiam amissi? & cudere opus siue laude, siue vituperatione dignum, cui non liceat? Mimi, & histriones nonne & verba, & gestus, cum volunt, alterius exprimunt? Inualidum igitur est horum argumentum, quod huius auctor Berosi deseribere ea è Iosepho, ac B. Hieronymo potuerit, vt alios auctores ab aliis mutuatos iam docuimus; quaque ratione Græci, ac Romani historici eadem sæpenumero, ac totidem pæne verbis, sermone tantum diuerso, narrant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad colonias Noelam, & Noeglam quod attinet, artificiose id factum atque astute video. Cum enim in Cornelio Tacito libro de moribus Germanorum forte legisset Tuyschonem antiquum Germanorum Deum fuisse; continuo & ipse Tuyschonem Sermatarum Regē finxit à Noa creatū, à flumine Tanai ad Rhenum vsq;. At non recte coloniarum nomina deriuat, vt mox euincam, quasi Noega & Noela, à Noa dictæ sint nurus: quod uerum non esse apparet, quia neq; S. Scriptura, neque Iosephus hoc referunt; retulissent autem, si in uero Beroso scriptum comperissent, pro ea, quam illi merito tribuebant, auctoritate. Neque fit mihi ueri simile, si Berosus in libris Moysis de diluuio id reperisset, nō scripturum, quod utriusque linguæ ut iam sæpe diximus, Chaldææ, inquam, & Hebrææ summa fuerit cognatio, atque affinitas.

Fabulatur & nuperus ille Berosus Noam colonias diducere iussisse in Orientis Asiam, cui nomen Ganges cum libetis suis ut flumini Indico simile nomen affinxisse uideretur. Legasse quoque in Arabiam Felicem Sabum quendam thuriferum, vt scilicet Sabæ regioni nomen daret. Misisse & Arabum, qui Arabiam denominaret, in Arabiam desertam ductis coloniis: alterum item in Petream Arabiam, cui Petreio nomen: quasi Hebræo sermone, quo vsus est Noe. Petrea idem quod Romanis Græcisue significet, & Thurifer us idem Hebræis esset, quod Latinis: quorum nominum nulla est apud Iosephum, qui libenter facit, vt Berosum in testimonium adnocet, mentio. Cum autem casu in Plinium incidisset hic auctor, repertisque duabus ibi coloniis Noega, & Noela, quarum principia eadem essent, quæ in Noæ nomine, veluti parta victoria triumphare sibi visus est. In Hispania eas collocat, sed non satis caute apud Celtiberos, quæ hodie prouincia Aragonum est: atqui in Asturia ille ipse Plinius hisce verbis ponit: *Regio Asturum Noega oppidum.* Post non longe subiicit: *Celtici cognomine Neriæ, superque Tamirici, quorum in peninsula tres aræ sextianæ Augusto dicatæ, Cæperi: oppidum Noela.* Si altera apud Astures, apud Gallæcos altera fuit, longe à Celtiberis distabant. Hoc amplius, si hæc duo oppida coloniæ sunt à Noa deductæ, vt vult falsus iste Berosus, cur non colonias appellauit, statuitque cum Beroso illo apud Celtiberos potius, quam Astures, aut Gallæcos? Si nominum similitudo tansam vim apud illum obtinuit, dederim equidem multo plura nomina, quæ Noæ nomini respondeant, si hinc

confici posset, oppida illa ab eo condita fuisse. Idem enim Plinius in Græciæ descriptione lib. IV. Natur. hist. cap. VII. *Oppida*, inquit, *Sidus, Cremyon, Scyronia saxa, sex millia longitudine, Megara, Eleusin. Fuere & Oenoa, & Probalinthos, quæ nunc non sunt.* Et de Liburnia agens hæc scribit: *Præter hos tenuere tractum eum Oenei, Parthenique.* Et in Lycia montem quendam Oeneum nemus indigitat: ciuitatem quque Oenoanda. Rursum in Græciæ mediterraneis insulam quandam nominat Oenoe his verbis: *Sycinus, quæ antea Oenoe.* Quæ nominum immutatio persuadere potuisset, & arguere quam antiqua forent. Nominum autem inter se cognatio, atque affinitas, ingens profecto est: qua tota de re copiosius nos in Chorographia Hispaniæ pertractauimus. Quare ne putide eadem iterando lectoris patientia abuti videar, non repeto, locum indicasse contentus. Colonias autem hic Berosus dum à Noa deductas fingit in varias Hispaniæ regiones, Coam etiam nominare potuisset, quem Ptolomæus fluuium esse ait Cambayæ Indiæ Orientis. Et in Lusitania nostra pars quoque aliqua Coa dicta: cui fabulas fingere volupe est, scilicet in his duobus fluminibus condere nugas posset. Quemadmodum repertus est, qui Goam Indiæ insulam esse astrueret, è qua, S. Scriptura missos ait Salomoni equos. Aliud quid verisimilius excogitari potuisset, si veritatis esset ratio habita, quo acutus, ac subtilis putaratur potius, quam in nugis illis fingendis de Gange, & Arabiæ Felicis, desertæ, ac Petreæ, aliarumque prouinciarum, de quibus hactenus.

Refert Athenæus è Nicandro Colophonio, vinum à Græcis appellatum Oeneum, & vineas Hecataei auctoritate Oenas: cumq; vini, ac vineæ repertor Noe fuerit, verisimilis hinc coniectura duci queat à Græcis vineam, & vinum Oenoum à Noe dicta. His si dicendi fastus, ac pompa accederet, verborumque lenocinia adderentur, fidem fortasse ingenioso inueniant nugæ. Verum ad rem vt redeam, non modo infirma illa sunt argumenta, sed & ridicula; quæ tamen tanti sunt Annio, vt eorum gratia sursum deorsum voluat omnia, & nullum non excutiat angulum, lapidemque moueat, dum illi fidem per fas, & nefas conciliet. Cumque nullam vulgo nominum repperit similitudinem cum Berosi nominibus, excogitat affine aliquid, aut vel tunc vocis vestigium consectatur. Loca vero veterum si pro illo non faciūt, partes inde aliquas decerpit, ac truncat: & vni quidem vocabulo Hebraismum, alteri Græcismum, tertio

denique Latinitatem, etymon inuestigando attribuit, & quæ vult affingit arbitratu suo. Vt dum originem vocis quærit Aboriginum, hæc omnia significare nugatur: *Paterna cauea nata proles*: significans antiquitus habitasse homines casis, tuguriis, arborumq; ramis, allato huc rei Nasonis versu.

Gensque virum truncis, & duro robore nata.

Aboriginis autem vocem sic dissoluit in *Ab*, & *Ori*, & *Genos*: vt *Ab* patrem sonet, *Ori*, quod foramen esset, & cauea: & *Genos* posteritas, & proles: quæ voces collectæ significent, *Paterna cauea nata proles*. Id vt confirmet Thalmudistas allegare non dubitat, & Aborigines in Italiam veniisse negat, sed ibi natos in cauernis degisse ait: idque vt persuadeat, Aborigines è Græcia minime profectos. Quod falsum esse docemus in Censura ad M. Catonis origines: vbi copiosius quænam Aboriginum gens fuerit exponitur, ac refellitur error Ioan. Annii Viterbiensis: vt necesse non habeam iterare eadem hoc loco. Tantum proferam in præsens Etymon Herculis ab Annio affictum, vt acumen hominis, hoc in genere, inde explores. *Her*, inquit pellitum designat, vt incedebat Hercules; *Col* vero Hebræis *totum* significare asserit, *quasi totus pellibus ambulans ferinis, nondum armis inuentis in primo ortu generis humani*. En tibi Lucumonis acumen? piget enim reliquas de Hercule ineptias transcribere, quas ad Catonis origines commentando retulit: quasi Herculis nomen non prius auditum fuerit, quam leonem Nemeæum occidisset. Moneo itaque, & hortor lectorem vt auctorum verba, quæ Annius citat, in fontibus legere malint, quam in turbidis eius riuulis. Nam aut obtorto collo trahit, aut secus longe, quam fides postulat, attrahere videtur. Atque hæc quidem de pseudo-Beroso illo nuper ab Annio edito, quam nihil ei tribuendum esse, dixisse sufficiat.

Addamus eorum nomina scriptorum, qui eum vt falsum Berosum reiiciunt, qui, vt initio diximus, vt confictum auctorem, non reddita tamen sententiæ suæ ratione, damnarunt; quam ideirco nos prouinciam suscepimus. Raphael Volaterranus lib. 11. Geographiæ de iis populis agens, qui Hispaniam primi incoluerunt, negat huic Beroso fidem habendam his fere vocibus: *Gentis originem ab Orientalibus Iberis prouenisse Plinio placet. Quibusdam vero à Phœnicibus, qui primo Gades incoluerunt. At Beroso aliter, si modo verus est eius, qui fertur, libellus, quem mihi verisimile non videtur Plinium, qui eius alibi meminit quoad hunc locum latuisse: Tubulam quendam ex Arameis, qui Persæ sunt, profectum*

in Hispaniam dicit: deinde Iberum succesisse, postea Iubedum, Brigum, Tagum, Batum, Geryonem, Hispalum, Herculem, Testam, Romanum, Palatinum, Cacum, Erythium, postremo Gorgorim, qui & Itabis dictus, &c. Quibus Volaterrani verbis discis idcirco Berosum hunc repudiari hoc argumento, quod Plinius non meminerit earum gentium, quas falsus iste Berosus nominat: cum tamen Berosum Plinius legerit, citaritque interdum: imo & prædicarit statuam illi inaurata lingua positam in Gymnasio Athenis. Sed quid eundem Raphaelem dicturum existimas, si loca obseruasset, audisset ue B. Hieronymi, Iosephi, atque Agathiæ, hausta è Berosi fontibus, quibus de Regibus rebusque Chaldaicis agit, quarum nullum tamen vestigium in hoc Pseudo-Beroso reperias?

Ludouicus Viues Valentinus procemio XVIII. B. Augustini de ciuitate Dei libro diserte quoque de hoc Beroso differit, eadem fere, quæ & alii, his verbis: *Erat quidem ad manum libellus, quem Berosi nomine vendunt bibliopolæ. Erant alia quædam Ioannis Annii, quæ non dubito, quin admiranda fuissent visa si attulissem, nempe portentosa, & vel solo auditu horrenda. Sed ab illis prorsum abstinui, ne de fece, quod aiunt, viderer haurire, hoc est è libellis friuolis, & incertorum auctorum, quod ad stupefaciendos imperitos lectores Græcia lusit ociosa. Non quod si Berosi sciissem esse non essem perquam libenter vsus, sed quod mihi fœturam subolebat Græci hominis, vt etiam Xenophontis æquiuoca, & alia multa, quæ illorum non sunt, quorum titulos præ se ostentant. Quod si quis illis delectatur non procul sunt petenda, amet, & fruatur sine me dumtaxat riuale.* Habes Viuis iudicium de hoc Beroso, hominis vt multæ lectionis, sic & singularis eruditionis: quo iudicio Berosum illum fictum eiusque interpretem Viterbiensem vnius non æstimarit assis.

M. Ant. Sabellicus lib. 1. Enneadis XI. de Catonis originibus loquens, quæ nos in eius Censura attulimus, fert quoq; seueram de Beroso isto sententiã, mera somnia videri, quæcũq; de Italia, eiusq; populis attulisset. Sic enim ille: *Mera ægrotantiũ, quod ad Italiam attinet, insomnia continere mihi videntur* fragmenta, quæ Berosi, Catonis, & Sẽpronii nomine circũferuntur. In quibus & fallitur, ratus, vt M. Catonis fictũ nomẽ præferunt, fragmẽta de Originib. sic & Berosi ficti esse fragmẽta quædã: deceptus fortasse, quod ob breuitatẽ fragmẽta magis videantur, quam iustæ corpus historiæ, aut integrum volumen. Adeo enim hic Berosus succinctus est, quod & supra monere memini, vt quot libris, totidem & foliis quinque comprehendi

queat. At libri hæc inscriptio fragmenta non esse ostendit, vt iam docuimus initio huius disputationis BEROSI sacerdotis Chaldaici Antiquitatum lib. 5. Omitto dubitationem Iac. Fabri Stapulensis ad librum primum Politicorum Aristotelis Commentario. Obiter enim attigit, duplex adferens iudicium, alterum de hoc ceu falso Beroso; alterum de vero Beroso; cuius verba dedita opera non descripsi.

Plura, fatebor enim, adferri argumenta poterant, sed hæc facient satis eis, qui his insistere vestigiis plura legendo per se ipsi obseruare volent, vt ad verum tandem aliquando altercando euadant. Temporis enim filia veritas est. Equidem de Beroso illo candide sententiam protuli: quem auctorem, opinor, à Viterbiensi in obscura aliqua Bibliotheca repertum tandem euulgasse. Cumque veterem illum verumque esse Berosum crederet, narrat dum Genuæ Ligurum apud Dominicanos sodales Prior esset, venisse eodem Matthiam quendam eiusdem instituti, & olim in Armenia Prouincialem Præfectum, libenterque accepisse, eiusque socium M. Georgium; qui muneris loco hoc opus donarint. Quæ si vera sunt, & ab Armenis donum hoc accepit, quis credat ab Armenis profectum, qui & imperiti sunt, & à nostra fide alieni? Potuit vero hic liber illic circumferri, vt qui vulgo de Christi infantia apocryphus gestatur: & alter de Pauli reuelationibus; quorum libellorum lectione à fidei, religionisque maiorum Quæsitoribus merito est interdictum: vtque habentur libri septem partium Domini Petri, Regii filii, aliæque ineptæ, atque aniles historiæ, fabulæ, nugæ, ac libelli, quibus & frigidæ quædam refertæ sunt Bibliothecæ, & bonorum librorum locum per nefas obtinent. Hæc sunt quæ de Beroso dicenda videbantur, eiusque scriptis; cuius etiam rationem initio exposui.

CENSV-

CENSVRA

GASPARIS BARRERII LVSITANI IN MANETHONEM SACERDOTEM Ægyptium.

Interprete And. Schotto.

MANETHON, quo de suscepta hæc est disputatio, genere fuit Ægyptius, vitæ vero instituto sacerdos, (eius rei auctores laudare possum Iosephũ, atq; Eusebium Cæsariensem, qui eum identidẽ citant,) Græce conscripsit historiã patriam, vt de se ipse testatur. Suidas in Collectaneis duorum meminit, qui *Manethones* sint dicti. Priori cognomentum addit *Mendesii*, sacerdoti Ægyptio, & scripsisse ait de thymiamatis genere, quod * Cyphi nominat. Dioscorides quoque lib. 1. historiæ plantarũ, cap. 24. compositionem esse ait ex odoriferis simplicibus, sacerdotibus Ægypti vsitatam in Deorum sacrificiis: vt hodie thura inter sacrorum ceremonias adhibemus: additque misceri quoq; solere antidotis ad venena depellẽda. Asthmaticis quoq; propinari consueuisse; herbas, quibus constat, enumerans, easq; odoriferas: quo modo pastilli hodieque confieri solent ex Ambare Indico, Almizcare, & id genus puluisculis, atque aromatibus, arbitratu cuiusque plus minusve temperatis. Plutarchus libello de Isi-de & Osiride Diis Ægyptiorum hanc ipsam refert compositionem sedecim aromatum generibus confici solitam, quæ & recenset, indeque lector haurire, sitimque explere potest, duos inter se componens: Galenus quoque antidoton libro secundo legendus, qui multa è Democrate eadem colligit, quibus ille compositionem hanc confici docet. Alterum vero Manethonem idem Suidas Diospoli Ægypti vrbe natum tradit, scripsisseque Physica quædam versibus, & Astrologica. Vter horum hic Manethon sit, quem Iosephus atque Eusebius laudent, non habeo dicere: sacerdotem tantum fuisse ex inscriptione coniicimus, & vtrique Suidas hunc dignitatis titulum tribuit. Quo vero tempore floruerit, qui tradat vidi neminem, præter vnum Annium Viterbiensem suis in hunc scriptorem Commentis. Facit enim Cæsares Augustorum æquales, male intellectis Eusebii verbis, quæ post adferentur. Nam & Cæsa-

* κῦφι

ris nomen non adscribitur, incerta quoque ætas est, vt nihil inde colligas, quasi tempus minime esset additum. Illud constat, Herodoto posteriorem fuisse, quod ab eo non raro dissentiens, refellat teste Iosepho: & ante Ptolomæos vixisse apparet: nam Pharaones nominat teste Eusebio. Illi in series regum Ægypti plurimũ omnes deferunt: copiose enim de his agit: nisi quod Iosephus discedat interdum, dum vulgi fabulas commemorat; nũ autem dum antiquos scriptores cõsectatur? Intercidit vero hæc historia, demptis fragmẽtis, quæ attulerunt, seruaruntq;, vt infra apparebit, Iosephus, atq; Eusebius. Ioannes Annius Viterbiensis in angulo nescio quo *Manethonem* repperit hac inscriptione: Manethonis Supplementa ad Berosvm. Quibus non modo ipse fidem habuit, sed & locis quibusdam obscuris lucem commentando addere conatus est: addens, atq; affirmare ausus eum esse Manethonem ipsum, quẽ priore libro contra Appionẽ Grammaticum Iosephus laudat in Antiq. Iudaic.

Visum itaq; operæpretium fore, si & huic vt in Catone, Q. Fabio Pictore, & Beroso, falsis Scriptoribus iam præstitum est, Censuram adhiberem: quod hic quoq; confictus, mendaciisq; scatere deprehendatur. Qua in re multis opus esse verbis non arbitror ad refellẽdum: cõtentus duo ex Iosepho, totidemq; ex Eusebio legitima Manethonis loca in mediũ attulisse. Vnde luce meridiana clarius lector perspiciet, non esse hunc verũ illum Manethonem, rerum Ægyptiacarum scriptorem, eoq; nomine à Iosepho, & Eusebio laudatum. An vero aliud opus reliquerit, iudicent alii. Ad hoc enim quod attinet, vt hæc *Supplementa* illius esse credam, adduci equidem non possum.

Primo igitur vt falsum esse putẽ ac fictum libellum, ex iis colligo verbis, quæ post nõ longe repræsentabo: quibus asserit temporib. Ascanii Latinorũ Regis floruisse apud Celtas Gallos Hectoris Troiani filiũ Francũ. Sic enim ait: *Anno 8. Ascanius Latinis imperat. Anno sequẽte Teuteus Assyrius, & post Francus Celtis ex Hectoris filius.* Quam esse nuperam narrationem, ac mendosam quis nõ videt? nisi qui nihil videt. Neq; enim Homerus, aut alius quis grauis auctor commemorat de Franco Hectoris filio: & quisquis non admodum in litteris hospes est ac peregrinus, hæc contemnit, atq; irridet: ac ne Agathias quidem, qui tamen rerum Francicarum originem altius repetit, Franci huius, Hectoris filii, meminit. Asserit enim Germanorum stirpem esse Francos, & vere asserit, vt in Chorographia nostra copiosius disputauimus in Narbona, vbi hanc damnamus historiam. Quod n. Fran-

Francorum Annales quidã hinc originẽ repetunt, venia digni sunt, quod vt quisq; opibus creuit, sic & generis antiquitatem, ac stemmatis nobilitatem indagat, atque inuestigare solet; idem & regnis ac nationibus, populisq; florentibus vsu venire videas. Ita & Romani de Marte Deo fabulantur, a quo cõpressa Rhea Syluia pepererit Romulum, & Rhemũ, primos vrbis Romæ conditores. Quã inanẽ gloriæ auram T. Liuius ferendã ait iis qui parebant, non secus atq; iugũ tulere. Francorum quidem Chronica à Franco Hectoris filio Francos manasse olim prodiderunt: & capto Ilio delatum iuxta Mæotin paludem, atque ædificasse ibidem Sycambriam vrbem: sedibusque locatis longo post tempore à Romanis inde pulsos, Germaniam peragrasse Francos, & ad Rhenũ flumen de suo nomine Francofurdiã condidisse: quæ nomen etiam nunc retinet: indeque in eam Galliæ partem profectos ad Sequanum fluuium, vbi etiam Sequani habẽt, & Francia nuncupatur, loci nimirum fertilitate captos. Hæc igitur vulgaria chronica non faciunt Francum Celtarũ regem, sed Francos, quos inde ait originẽ trahere imperitasse Celtis, hoc est, Gallis. Apparet hunc, quisquis tandẽ est scriptorẽ, vt fidẽ Francorũ chronicis conciliaret, temporibus fere Ascanii Celtis imperasse: Francum Hectoris filiũ, cũ in chronicis nõ repperisset illũ, sed eius successores in Francia regnasse. Frãcus enim pridẽ obierat iuxta eadẽ chronica, quãdo Galli Celtas regnãtes viderunt. Quomodo igitur hic Manethon ætate Ascanii apud Celtas regnasse ait Francũ, si lõgo post tẽpore Fancos à Frãco illo progenitos, pulsos ait a Rom. è Sycambria. Hinc in Germaniã profectos Francofordiã ædificasse vrbẽ, post etiã lõgo interuallo Celtis imperasse. Peccat igitur hæc narratio temporũ calculo, neq; veri alliq; similitudinẽ præsefert: præcipue vero cũ Græcorũ Romanorũq; scriptorũ nemo q, equidẽ sciã narret pulsos è Sycãbria Celtas Rom. armis. Quod aũt Vincẽtius Beluacẽsis eadẽ, quæ Francorũ Annales, referat, nõ magnopere nos mouet: q, eius, in rebus q̃ in dubiũ adductis reuocantur, exigua sit auctoritas. Scripsit enim obuia quæq; sine delectu, certane an incerta essent nihil laborans. Quare ab ætate Ascanii qua Celtis Francus imperasse dicitur, ad tempora vsq; quibus Franc. natio, Franci illius soboles, in Celtas profecta est immensum quantum interuallũ est, vt iã diximus. Et si Franc. nemo veterũ meminit, sed recentiores, quomodo Manethon scriptor antiquissimus, meminisset? Mitto nunc Agathiam, quem paullo ante nominauí, quoniam recentior est, quique Gothorum & res & tempora attigerit.

Adhæc Zeti Regis Ægypti temporibus imperitasse ait Viterbiensis Celtis Lemanum quendam: & mox sui oblitus transilit in lacum Lemanum, à quo lacu & Alemanos dictos nugatur: quod tamen Alemanorum nomen recens esse constat, veteribusque ignotum etiam Geographis. Hi enim antiqui prouinciam perpetuo Germaniam, incolas vero Germanos nominant. Neque simile vero sit, in Celtarum descriptione Manethonem aut Berosum, scriptores longe antiquissimos Lemani, aut Alemanorum mentionem iniecisse. Si enim vetus adeo Alemanorum nomen, vt Annius vult, sub Latinis regibus ante vrbem conditam, quando tandem coepit Germania appellari? Constat tamen Alemanos dici coeptos, & Alemaniam, quæ antea Germania dicta perpetuo fuerat, declinante nimirum Romanorum imperio, quod nimirum temporis interuallum est annorum mille ducentorum. Incredibile itaque oblitteratam fuisse veterem adeo appellationem. Hæc eo pertinent vt recentem esse hunc scriptorem agnoscas, imo recentibus Gallorum Annalibus posteriorem.

Præterea nominat & hic Celtiberos: quæ vox Manethoni, & Beroso omnique adeo illi ævo ignota fuit, & inaudita: quando Græci aliquot vtroque recentiores Celtiberos non agnoscant, vt & passim in Chorographia docuimus: quod monuisse, legendumq; mandasse satis sit.

Hæc quoque ratio Manethoni opusculũ abiudicat, quod adeo pusillum sit, vix vt folium impleat. Atqui Manethonis liber multis libris, quantũ frequentibus inde allatis locis didici, nõ modo Regum Ægyptiorum successionem, ac seriem continebat, verum etiam singulorũ res gestas. Meminit enim introitus populi Israelitici in Ægyptum: & vicissim exitus gẽtis eiusdẽ de Ægypto, quod mox descriptis è Iosepho locis euincam. Quæ quidem loca maiora longe sunt, quam libellus ille pusillus, quem pro vero hic Manethone Annius nobis obtrudere tentat: adhæc non reperiuntur ibi loca illa, quæ vt Manethonis germana laudat Iosephus atque Eusebius. Igitur eo libentius integre ea hic adscribimus, vt legenti, ac conferenti pateat libellum sic inscriptum, supplementa ad Berosum Manethonis nequaquam esse, idque ex fide vtriusque auctoris Iosephi, atque Eusebii. His enim argumentis, aliisque deinceps allatis efficietur necessario non esse hunc Annianum libellum, germanum Manethonis partum, sed vt spurium è familia mouendum. De locis autem à Iosepho

pho allatis, & à temporum iniuria vindicatis, primus hic occurrit. *Inchoabo*, inquit, *primum à litteris Aegyptiorum, quas non arbitrantur commendare, quæ nostra sunt. Manethon itaq; vir Aegyptius Græca disciplina eruditus, sicuti palã est (scripsit. n. sermone Græco) paternæ religionis historiam ex sacris (sicuti ait ipse) interpretatis libris frequenter arguit Herodotũ in Aegyptiacis ignoratione mentitum. Is Manethon in secundo Aegyptiacorum hæc de nobis scripsit: ponã vero etiam verba eius tanquã illum ipsum adducens testẽ. Fuit nobis rex Timaus nomine, sub hoc nescio quomodo Deus iratus fuit, & præter spem ex partib. Oriẽtalibus homines genere ignobiles adepta fiducia in prouincia castra metati sunt, & facile, ac sine bello eam, potenterq; ceperunt, & principes eius alligantes. De cetero, ciuitates crudeliter incendere, & Deorum templa euertere: erga omnes vero prouinciales inimicissime se gesserunt. Alios quidẽ perimentes, aliorum vero & filios & coniuges in seruitutem redigentes, nouissime vero & vnum ex se fecere regẽ, cui nomen Saltis. Hic in Memphidẽ veniens superiore inferioreq; prouincia tributaria facta, præsidia relinquens opportunis locis maxime partes muniuit Orientales, prospiciens quod Assyrii aliquanto potentiores erant, desideraturi regnũ eius inuadere. Inueniens autẽ in præfectura Saite ciuitatẽ opportunissimam positam ad Orientem Bubastici fluminis, quæ appelletur à quadam antiqua Theologia Auaris, hanc fabricatus est, & muris maximis cõmuniuit, collocans ibi multitudinẽ armatorum, vsq; ad ducenta quadraginta millia virorum eam custodientem. Hic autem messis tempore veniebat, tam vt frumẽta meteret, & mercedes exsolueret, quam vt armatos ad terrorem extraneorũ diligenter exercitaret. Qui cum regnasset nouemdecim annis, vita priuatus est. Post hunc autẽ regnauit alter quatuor, & quadraginta annis, Bæon nomine. Post quẽ alius Apachnas sex & triginta annis, & mensibus septem. Deinde Apochis vnum ex sexaginta. Et Ianias quinquaginta, & mense vno. Post omnes autẽ Assis nouẽ, & quadraginta, & mensibus duobus. Et isti quidem sex apud eos fuere primi Reges debellantes semper, & maxime Aegypti radicem amputare cupientes. Vocabatur autem gens eorũ Hycsos, hoc est reges pastores. Hyc enim secundum sacram linguam regem significat; Sos vero pastorem, siue pastores secundũ cõmunem dialectum, & ita compositum inuenitur. Hycsos. Quidam vero dicunt eos Arabes esse. In aliis autem exemplaribus non reges significari comperi per appellationem Hyc, sed è diuerso captiuos declarari pastores. Hyc enim Aegyptiaca lingua, &, hac, quãdo denso sono profertur captiuos aperte significat. Et potius verisimile mihi videtur, & historiæ antiquæ conueniens. Hos ergo, quos prædiximus, reges, & eos, qui pastores vocabantur, & qui ex eis fuere obtinuisse Aegyptum ait annis vndecim, & quingentis. Post hæc autem regum Thebaidis, & Aegypti reliquæ fa-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam dicit super pastores inuasionem, & bellum maximum, & diuturnum eis allatum. Sub Rege vero cui nomen erat Alisfragmutosis, victos dicit pastores: & aliam quidē vniuersam Aegyptium peridisse, inclusos autem in locum habentē mensuram iugerum decem milliū, cui loco nomē est Auaris. Hactenus Manethon: subiicit deinde Iosephus, non suis, sed Manethonis verbis: *Hunc Manethon dicit, omnem maximo muro, atque robustissimo circundedisse pastores, quatenus & omnem possessionem munitam haberent simul, & prædam suam. Filium vero Alisfragmutoseos Themosin conatum eos vi expugnare cum quadringentis octoginta millibus armatorum, eorum muros obsedisse. Cum vero obsidionē desperasset, pacta cum iis fecisse, vt Aegyptū relinquentes quo vellent inoxii omnes obirent. Illos vero his promissionibus impetratis, cum omni domo, & possessionibus non minus ducenta quadraginta millia numero ex Aegypto per desertum in Syriam iter egisse & metuentes Assyriorum potentiam (tunc enim illi Asiam obtinebant) in terra, quæ nunc Iudæa vocitatur ciuitatē ædificasse, qua tot millib. hominū sufficere posset, eamq. Hierosolymā vocitasse.* Hæc Iosephus. Addit præterea: *In alio vero quodā libro Aegyptiacorum Manethon hanc ipsam gentem id est qui vocitabantur pastores in sacris suorum libris captiuos adscriptos rectissime dixit. Nam antiquis progenitoribus nostris pascere mos erat, & pascualem habentes vitam vocabantur ita pastores. Sed & captiui non temere ab Aegyptiis dicti sunt quoniam progenitor noster Iosephus dixit ad Regem Aegyptiorum se esse captiuum, & fratres in Aegyptum posterius euocauit, rege præcipiente. Sed de iis quidem in aliis examinationem subtilius faciemus. Nunc autem huius antiquitatis producam testes Aegyptios, rursumq. quomodo se habeant verba Manethonis circa ordinē temporū aperte describam: sic enim ait. Postquam egressus est ex Aegypto populos Pastorū ad Hierosolymā, expulsor eorū Rex Themosis regnauit post hæc an. viginti quinque & mensibus septē. Huius autē soror Amesses an. 21. & mensibus nouem. Mephres autē 12. & mensibus 9. Mephramuthosis 25. & mensibus 10. Thmosis autē nouē, & mensibus 8. Amenophis vero 30. & mensibus 9. Orus vero 36 mensibus quinque. Huius autem filia Acenchres 12. & mense vno. Rathotis vero frater nouē. Acenchres autē 12 & mensibus quinq. Acenchres 12. & mensibus tribus Armais vero quattuor, & mense vno. Armesis autē vno, & mensibus quattuor. Armesesmiamū vero 66. & mensibus duobus. Amenophis nouemdecim, & mensibus sex. Sethosis aūt equestres, & nauales copias habens, fratrē quidē Armain procuratorē Aegypti constituit, & omnē ei aliam regalē contulit potestatem, tantummodo autem diademate vti prohibuit, & reginam matrē liberorū opprimere imperauit, & vt abstineret etiam ab aliis regalibus concubinis. Ipse vero ad Cyprū, & Phœnicem,*

nicē, & rursus contra Assirios, atq. Medos castra metatus, vniuersos quidē alios ferro, alios sine bello terrore magnæ virtutis sibimet subiugauit. Hic vero felicitatibus eleuatus confidentius incedebat. Orientales vrbes, ac prouincias subuertendo multoq. tēpore procedente, Armais qui in Aegypto fuerat, derelictus omnia contra quā frater agere monuerat, sine timore faciebat. Nā & Reginam violenter abiecit, & aliis concubinis sine parcitate iugiter miscebatur, persuasusq. ab amicis, & diademate vtebatur, & fratri rebellabat. Is vero qui constitutus erat super sacra Aegyptia, codicillos Sethosi misit cuncta significās, & quia rebellaret ei suus frater Armais. Qui repente ad Pelusiū destinauit, & propriū tenuit regnū. Prouincia vero vocata est ex eius nomine Aegyptus. Dicit. n. q Sethosis Aegyptus vocabatur, Armais autē frater eius Danaus. Hæc quidē Manethon. Refert præterea Iosephus fabulosas aliquot Manethonis historias, haustas è vulgi sermone de gente Iudaica, vt refellat calumniā. Sic enim ait: *Manethon,* inquit, *qui Aegyptiacā historiam ex litteris sacris se interpretaturū pollicitus est, prædicens nostros progenitores cum multis militibus in Aegyptum aduenisse & illic incolas subiugasse. Dein ipse confessus est, quia posteriori tēpore amittentes eā prouinciā, quæ nunc Iudæa vocatur obtinuisse, & ædificantes Hierosolymā construxissent templū. Et hactenus conscriptiones secutus est antiquorū. Deinde vsurpans sibimet licentiam, professusq. se scribere ea, quæ in fabulis vulgarib. feruntur, incredibilia verba de Iudæis inseruit, volens permiscere nobis plebē Aegyptiorū leprosorū aliorūq. languentiū, quod sicut ait abominatione ex Aegypto fuga dilapsi sunt. Atq. hinc deinceps multas refert ex Manethone narrationes, veluti fabulosas, & vt tales certis rationib. adhibitis refellit: quas idcirco describēdas non putaui, quod eas petere lector è Iosephi libro cōtra Appionē Grammat. cū commodo suo queat: quorum tamen nihil in nouo hoc Manethone reperias.*

Adhæc Eusebius Cæsarienſis in Chronicis hæc adfert, vt testatum ipse reliquit è Manethone. *Dynastia 17. Aegyptiorum pastores coniicimus nuncupatos propter Ioseph, & fratres eius, qui in principio pastores descendisse in Aegyptum comprobantur.* Mox addit: *Aegyptiorum reges omnes tunc Pharaones dicebantur, non hoc proprium habentes nomen, sed pro dignitate reges tunc vocabantur hoc nomine sicut & apud nos Imperatores Augusti appellantur: habebat ergo vnusquisque Pharao proprium nomen. Hoc nos ex libris Manethonis sacerdotis Aegyptiorū lectum posuimus.* Quę quidē ab Eusebio allata loca in vulgari illo Manethone haud reperias. Atq; ex hoc altero Manethonis loco ridicule colligit Annius Manethonē Augusti æqualē fuisse, & coæuum: & hoc amplius inferre audet, ciuitate donatum ab Augusto, eruditionis nomine. Existimauit enim

falso verba illa Manethonis esse, quæ de suo illustrandæ rei adiecit comparando Eusebius, licet in extrema parte adiecerit, haustum id è Manethonis libris; sed priora illa, non explanationem designans: cuius tempestate Imperatores Augusti ab Octauiani temporibus appellarentur. Cæsarea enim, cuius vrbis Episcopum agebat Eusebius, in Palestina, ditioni tunc Romanorum Cæsarum parebat. Ætate vero qua historiam Manethon conscripsit, ante Ptolemæos Ægypti Reges, vt ex eius verbis eruitur, nondum Romani, Ægypti prouinciam tenebãt, sed ab Augusto primum in prouinciæ formam redacta, vt Sext. Aurelius Victor refert.

Constat præterea non esse hanc Manethonis historiam à Iosepho atque Eusebio laudatam, quod, auctore eodem Iosepho fabulosas aliquot Herodoti narrationes Manetho refutarit, quę de Ægypti Regibus factæ essent: quorum nihil hoc in libello reperias, imo ne Herodotum quidem nominat.

Alterum item locum aduocat Eusebius in Chronicis Manethonis, auctoris hisce verbis. *De tertio tomo Manethonis Aegyti* XX. *Dynastia Diapolitanorum annis* CLXXXVII. Vnde discimus plures scripsisse libros Manethonem. Iosephus enim secundum, tertium vero hic Eusebius citat. Fuit igitur & primus liber. Imo plures fuisse libros inde colligas, quod ampla narrandi materia illi suppeteret, vt pauca illa indicant, quæ Iosephus attulit, quæque de Dynastiis Eusebius profert. Ac ne illa quidem reperiuntur, quæ Iosephus ex Manethone citat, de vitæ longæ ætatibus conditi orbis initio, redditis causis, cur Dii longæuos esse tunc permiserint: adhibitis Gentium scriptoribus, quos inter & Manethon est.

Quæ cum ita sint, constetque perspicue non esse hunc verum Manethonem ab Eusebio & Iosepho laudatum, restat vt periculum faciamus, an præter illa argumenta excogitari queant, & aliæ ad refellendum rationes, quibus efficitur non esse hæc *Supplementa Berosi*, vt Annius vult, antiqui illius Manethonis.

Primo, cur non antiqui illius esse Manethonis credam, neque illius Supplementum, cuius tamen res persequi se iactat, sic auspicatus: *Nos quoque, vbi ipse reliquit, prosequamur ea, quæ nobis ex nostris historiis, vel eorum relationibus consecuti sumus, per nostros Aegyptios reges progrediendo, vt ipse egit sub Assyriis.* Ait se persequi historiam Berosо falso inscripto, enumeratis Regibus Aegyptiorum, atque Assyriorum, quod essent Ægyptus, & Danaus frater germani: & alterius auctori-

auctoritate historici (quem Metasthenem esse corrupte Viterbiensis appellat, qui Magasthenes est nominandus) constat Berosum Reges Assyrios omnes ad Sardanapalum vsque recensuisse: hic vero vulgaris Berosus in Ascatadem Assyriorum regem desinit: quorum hic vicesimus ante Sardanapalum rex numeratur, hisque nominibus appellantur: *Amyntes, Belochus. Bellepares, Lamprides, Sosares, Lampares, Pannias, Sosarmus, Mytreus, Tantaneus, Teuteus, Tyneus, Dercylus, Eupates, Loasthenes, Pyrithydias, Ofraganeus Ascrazapes, Tonosconcoleros. Hunc Græci, inquit Megasthenes, Sardanapalum vocant.* Huc vsque Berosus. Addit insuper: *Nos autem illum imitati nullo alio auctore vsi sumus quam publica Susiana Bibliotheca*: Sic Megasthenes. Cuius verba non attulimus, quod verum esse Megasthenem non opiner, sed tantum, vt constet Berosum ad Sardanapalum vsque perduxisse historiam, cuius Supplementum hoc sit Manethonis ad eum, qui vulgo putatur Berosus tribuendo Manethoni, vt huic libello auctoritas concilietur. Et alterutrum accidere potuit. Neque enim verisimile videatur Manethonem scriptorem grauem inepto huic vulgari Berosо supplemeutum addere voluisse, vt abunde à nobis in censura ad Berosum ostensum deprehendas. Neque etiam credibile integrum fuisse Berosum ætate Iosephi, qui Vespasiani Augusti temporibus vixit, & B. Hieronymi, qui Theodosii Imp. æqualis est, quorum vterque Berosum à se lectum citat; Manethonis vero ætate, qui longe illis antiquior est, ignoratum, mutilum, aut amissum fuisse. Ex his necessario efficitur Berosum, & Manethonem legitimum neutrum, qui vulgo circumfertur, videri.

Deinde auspicatus historiam Manetho, inde vbi Berosum desiisse fingit, incipit ab Aegypto & Donao: quem Aegyptum regnasse ait annos octo & sexaginta: atqui verus Manethon, citãte Iosepho, regnasse scribit annos vndesexaginta, his fere verbis: *Et ab hoc tempore, Regum qui postea fuere, anni sunt trecenti nonaginta tres, vsque ad fratres nomine Sethonem, & Hermæum. Quorum Sethonem quidem Aegyptum, Hermæum vero Danaum denominatum dicit. Quem expellens, inquit, Sethon, regnauit annis quinquaginta & nouem, & post hunc senior è filiis Rampses annis sexaginta sex.* Cuius etiam deinceps historiam Manethon persequitur, & Aegypti regnum excepisse tradit Rampsem filium. Et Manethon iste post Ægyptum regnasse ait Menophin qudraginta annis. *Secundus*, inquit, *post hunc Pharao Menophis imperat apud Aegyptios, annis quadraginta.* Asserens vero Iosephus non

vixisse Manethonem regnante Menophe, nonne mendacii arguit hunc scriptorem: *Amenophin, ait, regem adiecit quod est falsum nomen, & propterea tempus regni eius nequaquam definire præsumpsit, cum aliorum regnorũ omnes annos perfecte protulerit.* Collectis itaque hisce rationibus, quibus vulgaris iste Manetho cum vetere pugnat, tam in Ægypto rege, quam in eius successore, quem Rampses filium facit, qui annos regnarit sexaginta sex, alterumque Menophin fuisse, qui rex annos quadraginta fuerit. Et Iosephus annos quibus hic regnauit, non adscribens, cum tamen regni tempus aliorum adscripserit, hic vero quadraginta annos attribuat, quomodo vnus idemque auctor habeatur? præsertim qui tam diuersa, & diuerse narrent, & inuicem pugnantia. Prætereo etiam nomina Celtarum, ac Celtiberorum, quando de his satis superque in Censura ad Berosum pertractatum. Græci enim scriptores, nedum Ægyptii ea tempestate non tantam Europæ Occidentalis cognitionem tenuerunt, quæ nondum Romanorum armis aperta erat, vt in genere tam multa scribere de his non possent, Hispania, Francia, Germania, ceteriscque regionibus. Neque etiam de illis coniicere licet, quis in Latinum sermonem è Græco transtulerit vtrumque. Videntur itaque centones auctorum hinc inde consarcinati Latinis è scriptoribus, ad fucum faciendum, vt supra ostendimus, à pluribus quoque factitatum. His itaque argumentis satisfiet, vt spero, & opto, etiam Lilio Grægorio Giraldo, homini doctissimo: qui in libris de Historia Poetarum ita scribit, *Fuisse & alium Manethonem historicum non poetam legimus, qui tempora, & Annales Ægyptiorum collegit. Video hic à quibusdam iure dubitari, an sit Manethon, cuius Iosephus Eusebiusque, & alii meminere, & cuius fragmenta quædam circumferuntur. Verum vbi argumenta discrimen non afferunt, impune opinari quid quisque velit potest.* Quibus tamen argumentis opus fore non video: neque dubito quin, si hæc ipsa argumenta à me collecta Lilius expendisset, manum, veritatis vi coactus, dedisset, herbamque porrexisset, fassus ingenue non esse veteris illius Manethonis opusculum: adductus locorum vtriusque dissimilitudine nunc à me exhibita cum historiarum, tum regum Ægyptiorum, ceterarumque rerum, quas vel ostendimus, vel cuius non omnino iudicii, lectionisue expers colligere per se poterit, si & horas bonas hic collocare, & ingenium huc conferre voluerit.

GASPA-

CASPARIS BARRERII LVSITANI CENSVRA,

FRAGMENTORVM M. PORCII CATONIS ORIGINVM; quæ Io. Annius Viterbiensis titulo falsis edidit, & explicauit: è Lusitanica lingua Latina facta, ab And. Schotto.

EQVIDEM errasse sæpenumero à scopo homines etiam eruditos, falsis scriptorum titulis deceptos, obseruaui: & ante me natum, alii singulari doctrina præstantes idem viderunt, & litterarum monumentis prodiderunt: verum quoniam operæ parentes, rationes non subiecerant, quib. persuasi in eam sententiam venissent, idemq; aliis persuasum esse cuperent; faciendum mihi esse putaui, vt sententiæ rationem tandem aliquando posteritati redderem: ne leuibus inductus argumẽtis, ab eorum sententia temere discessisse, falsique arcessere viderer, quia iam morte obita, se suaque defendere ingenii monumẽta nõ possent. Si qui vero homines docti, quales hoc nunc seculum tulit plurimos, aliis errorem ademissent, quæque in mentem ipsis veniissent, litteris consignassent, ne plures ab aliis decepti, in eundem lapidem impingerent, certe a nobis frustra hic labor susceptus esse videretur; verũ cum intacta ea reliquerint, nobisq; oblata non frustra, vt spero, occasio est, operæ precium fore existimo, si pauca de multis, argumenta collegero. Quis. n. omnia, aut possit, aut velit? Et vero, vt ex vngue leonem æstimare licet, sic è paucis hac tota de re ab erudito lectore ferri iudiciũ poterit, nõ incertum, verine & legitimi, an subditicii, scriptores, suo qui cũ aliquando exstarẽt, post tẽporis iniuria interciderunt, M. inquã, Cato de Originib. Q. Fab. Pictor, Manethon Ægyptius, & Berosus Chaldæus: quos Io. Annius Viterbiẽsis Scholiis explanare tentauit, & vt mea fert opinio, primum excogitarunt, in lucemque protulit. Quæ quidem controuersia vt lectori planior fiat, prius necesse habeo pauca dicere de M. Catone superiore, qua doctrina præditus, quæ scripserit: de hinc opusculum Originum singulatim excutiemus. M. itaque PORCIVS CATO, Romanus (de maiori nobis sermo est) æqualis fuit Q. Fabii Maximi, & P. Cornelii Scipionis Africani superioris vir adeo illustris vt vitam singulari libro Plutarchus descripserit; & Æmilius Probus: vt honorifice prædicarit, orationesque retulerit Liuius: M. Tulli-

De familia Catonum Agellius lib. 13. cap. 18 & Plutarch. in eius vita.

us passim laudarit, eiusque nomine, qui de Senectute est, sermonem inscripserit Maior, vt scripto tãti viri titulo, auctoritas accederet, pro tot tantisq;, quib. ceteris ciuib. Ro. antecelluerit, naturę dotibus. Hic enim, vt iidem referunt, eosque secutus C. Plinius vno verbo expressit, tres summas in homine res præstitisse existimatus est: optimus orator, optimus imperator; & optimus senator. Ob singularem rei militaris scientiam triumphauit anno post Ro. cond. IↃLIX. ex Hispania citeriori. Censor vero ob morum grauitatem, creatus an. IↃLXIX. V.C. vnde & cognomentum adhæsit Censorii. Eloquentia porro tanta, vt si Plutarcho, vt par est credimus, Demosthenes Romanus ætatis suæ sit appellatus. Proprium item illius, & illud fuit quatuor, & quadragies causſam dixisse, nec quenquam Romæ sæpius postulatum, semper tamẽ absolutum iudicum sententiis. Consulatum autem gessit V.C. anno IↃLXVIII. cum L. Valerio Flacco. Ob hæc domi foriſq; præclare gesta, auctamq; Remp. statua Catoni Cõsularis in Senatu posita, cum elogio, MORVM INSTAVRATORIS: vnde & Censorius deinceps semper cognominatus. Litterarum studiis vehementer deditus, vt inter cetera & centum quinquaginta orationes reliquerit, librum item de re rustica, qui hodie exstat, meminitque in Catone maiore Cicero: & Originum libros septem, quorum idem Tullius meminit frequenter: tum vero maxime in Oratore, & Bruto: laudans admirabundus cum orationes plurimas Catonis, tum Originum libros: quos & floribus, & eloquentiæ luminibus dicit esse aspersos. Hi videlicet, sunt libri (si credere fas est) quos Annius ille Viterbiensis in domo Gulielmi cuiusdam Mantuani repperit, nullaque adhibita diligentia, argumentorumque vtramque in partem nomentis minime expensis, scholiis (fere dixeram scoriis) inquinatos Portii Catonis nomine foras dedit. Quo tanquam abortiuo partu, edito corpore docti homines, in omni laudandarum artium genere excellentes, anquirere, in dubiumque vocare, essentne fragmenta hæc M. Catone digna; cuius & singularis eloquentia, & dicendi grauitas vel ab eloquentiæ parente M. Tullio pleno ore prædicaretur. Discessum tandem in eam sententiam est non videri Catonis, nec reliquorum quibus adscriberentur, quæ illo volumine complexus Annius est. Mordere itaque clam hominem, tangere, vrgere: de fama eruditionis, iudicioque detrahere denique cœperunt. Equidem argumentis, non conuitiis, qua possem modestia refellendum homi-

Lib. 7. Nat. historiæ. cap. 27.

Plinio 7. c. 27. Scripta de Veris Illustr. c. 47.

hominem, profligandosque ὑπερδολιμαίους illos scriptores existimaui: dicto à Catone initio, cuius non esse has, quas venditat, origines docebo. *Scopus Originum M. Catonis.*

Principio etenim propositum Catoni fuit, vrbium populareſq; Italiæ origines tradere, auctoresque litteris prodere: quos libros laudant frequenter M. Varro, M. Cicero, Plinius, Solinus, Agellius, Festus Pompeius, & Nonius Marcellus: de Græcis vero Dionysius Halicarnasseus, Plutarchus; & alii. Verum ne quis forte in litteris hospes, & harum rerum insolens, erret, putetque rarum id exemplum aut nũquam alias editum, falsis nimirum titulis libros in vulgus exiisse: is nunc discat, non vni id Catoni, Pictori, & Beroso vsueniſse, vt falsi pro veris scriptoribus imperitis lectoribus obtruderentur: Quemadmodum enim omnibus retro sęculis non defuerũt falsarii, qui & sigilla, monetam, aromata, medicamenta, lapides, testimonia publica, furtaque adulterarent, falsaque pro veris subiicerent: malis artibus ad explẽdam habendi cupiditatem abusi: ad eundem modum hoc furti genus quidam dolo malo excogitarunt, sua vt somnia & nugas specioso antiqui scriptoris nomine illustrarent, ornarentque, quo cupidius & emerentur, & legerentur. Sic enim, qui ineptos illos & impolitos in re herbaria versus olim edidit Aemilii Macri titulo: quo, tanquam larua, nugis auctoritatem conciliaret, tegeretque inscientiam: imprudens & ignarus Ovidium frequenter huius, vt æqualis, poetæ meminisse, cum honorifica laudis prædicatione laudari etiam ab aliis scriptoribus, non viderat. Aetate etiam qua floruit, refelli se plagiarius ille non animaduertit. Plinium enim hic citat, qui Naturalis historiæ scriptor aliquot post ætatibus secutus Macrum laudat, & ipsum, testemque aduocat, vt ætatibus aliquot maiorem. Adeo verum illud verbum vetus est, Memorem esse oportere mendacẽ. Quid? Nonne, quia de bello Troiano scripsisse Dictyn Cretensem, Daretẽ itẽ Phrygiũ inaudierat nonnemo, ab inferis excitare, nescio qua arte, tentauit? & falsas pro veris historias venditauit: Q. Septimio, nescio quo, & Cornelio Nepote interpretibus. O facinus audax, & flagris vindicandum. vbi nũc lex Cornelia quæ de plagiariis lata erat, dormis? Plauto item Comico facetissimo fabulas, vt alienos pueros matribus, obstetrices solẽt, subiecerunt: quas Varro, vt spurios liberos, reiecit, in censumq; non recepit, præter vnam & viginti, quas ex stili more Plautinas ipse

Subditicii libri.

Aemilius Macer.

Dares Phrygius, Dictys Cretensis de bello Troiano.

Agellius lib. 3. cap. 3

singulari iudicio Criticus esse didicerat: testē laudare possum Agellium in Noctib. Atticis. Omitto Platonē, taceo Aristotelē, prætereo M. Tullīū, & Maronem quib. falso opuscula quædam inscribi nemo ignorat, nisi qui nullum in antiquis scriptoribus sensum habet. Sed hæc singulari opere pertractari deberēt: nos institutum vrgeamus.

His igitur iactis fundamentis, primum hinc argumētorum exordium ducā, ex pugnantib. ēdiametro sentētiis. Annianus enim, hoc est, fictitius iste Cato, prēcipuū sibi scopum figit, vt doceat, Italię vrbes, populosq; nō à Græcis originem duxisse, sed contra Græcos ab Italis ortos: his verbis quibus librum auspicatur: GRÆCI *tum impudenti mendacio iam effunduntur, vt quoniam his dudum nemo responderit, ideo libere à se ortam Italiam, & eandem spuriam simul & spurcam atque nouitiam nullo certo auctore, aut ratione, sed per sōlam insaniam fabulentur. Quamobrem nunc vt ceteris Latinis viam faciam, quæcunque memoria prodita ciuitatibus Italiæ sunt, & nunc Romano imperio subditis, Deus volentibus scribere instituo.*

Italiæ vrbes primum à Græcis condita.

Contra vero sensisse verum Catonem in originibus, clarum ex Dionysio Halicarnasęo, Plinio, & Solino. Dionysius enim lib. 1 Antiquitatum Romā, in numero historicorū probatæ fidei, quos in rerum Rom. narratione secutus sit, numerat: Latinos quidē, M. Porcium, Catonē, Fabium Maximū, Valerium Antiatē, Licinium Macrū, Aeliū deniq; & Gelliū Calphurnios: quos in historia cū Græcis scriptoribus consensisse, Romanosq; à Græcis auctoribus origine prima deduxisse affirmat. Mox vero cum de Aboriginibus institutus sermo est, quæ omnium Italiæ gentium antiquissima semper est habita, Romanorum doctissimos, (quo in numero inquit, M. Porcius Cato, diligentissime Italicæ gentis origines perscrutatus, & C. Sempronius, aliique) diserte affirmant ait Aborigines, ab iis Græcis ortum traxisse qui Achaiam incolebant; multis retro seculis ante Troię excidium. Dionysii verba, sed Latine, quo maior fides habeatur, adscribam. *Alta vero ex historiis cunctorum sumens, quicunque laudatissimus Romanorum scripsere, vt Porcius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antias, Licinius Macer, Aelii, Gelliiq;, Calpurnii & alii vltra hos plures, non obscuri, atque ab illorum procedens tractatibus (sunt enim scriptis Græcis persimiles) huiusmodi sumaggressus:* Iterum de Aboriginibus loquendo sic ait. *Doctissimi Romanorū scriptorū, in quib. est Porcius Cato, qui vrbiū Italiæ origines diligentissime collegit, & C. Sempronius, & alii plerique Græcos eos fuisse*

Lib. II. Antiquit. Ro.

fuisse dicunt, ex iis qui Achaiam aliquando incoluerunt multis commigrarunt ætatib. ante Troianum bellum.

Quæ cum ita sint; efficitur his duobus testimoniis M. Catonem cum aliis Romanis aliquot scriptorib. quos nomine recensuit, cum Græcis historicis summo consensu in eandē remisso sententiam, vt Aborigines Græcos natione fuisse traderēt. Quæ sane nimiū quantum pugnant cum his quæ initio pseudo-Cato iste proddiit, fore, vt clare demonstret, cōtra atq; Græci scriptores ad vnū omnes, memoriæ prodiderunt, ab Italis Græcos, non versa vice, à Græcis Italos originem ducere. Vtque ptomissis stare videatur, mox non longe, de Aborigenibus verba faciens, ab Vmbris Italię populis deriuat: *A Tyberi*, inquit, *ad Sarnam incoluere primi Aborigines, proles Vmbrorum.* Ex his itaque è diametro pugnantibus sententiis relinquitur, M. Catonem, cuius testimonium excitat Dionysius Halicarnasęus, non legitimum esse: (quod vt mihi persuadeam in animum inducere non possum) vel falso hęc fragmēta ab Annio, Catoni adscripta esse, quod mihi quidē fit verisimile. Nunc Latinos audiamus. Solinus in ITALIÆ descriptione, summa hac diligentia ab innumeris decātatam laudatāq; affirmat, tum vero præcipue à M. Porcio Catone, nihil vt noui, quod ab antiquis descriptum non esset accurate, reperiri posse scribat: primosque Italiam habuisse Aborigines, Auruncos, Pelasgos, Arcades, & Siculos: quæ omnes è Græcia gentes in Italiam se infuderint. In qua quidem descriptione, oppida & vrbes multas, à Græcis primum conditas, enumerat ille Polyhistor: nos paucas de multis nominabimus, ne si omnia collegero, tædiū lectori pariam: contentus digitum, quod aiunt in fontes intendisse. Cap. enim VIII. auidus Lector sitim expleat licet; in quo hæc legas: *Italia*, inquit, *tūta cura ab omnibus ducta est, præcipue à M. Catone, vt iam inueniri no possit, quod non veterum auctorum præsumserit diligentia.* Mox in laudib. celebrandis Plinii scrinia, cuius simiolus est, compilauit: *Tam clarum*, inquit, *decus veterū oppidorum, quod primum Aborigines, Aruncі, Pelasgi, Arcades, Siculi, totius postremo Græciæ aduenæ, & in summa victoria Romani condiderunt.* Vrbes vero, quas à Græcis conditas affirmat, sunt: *à Danao Ardeam: à comitibus Herculis Plydem, ab ipso in Campania Pompeios, quia victor ex Hispania pompam boum duxerat. Regionem Ionicam ab Ione Naulochi filio: Archippon à Marsyra rege Lydorum: ab Iasone templum Iunonis Argiuæ: à Pelope Pisæ: Tyrrhenus à Tyrrheno Lydiæ rege: Argillam à Pelasgis, qui primi in Latium litteras intulere:*

Solinus cap. VIII. Polyhistoricus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

à Phalero Argiuo, Phaliscũ; à Phalerio Argiuo, Phaliscũ. Fescenniũ quoq; ab Argiuis: portum Partheniũ à Phocẽsibus. Tybur, (sicut Cato facit testimonium) à Catylo Arcade, præfecto classis Euandri. Mox in Brutiis ab Vlysse exstructum templum Mineruæ: Præneste, à Prænesto Vlyssis nepote. Hæc Solinus: cetera enim, ne per singula eundo, copia enecem, putidiusculusque videar, sciens prudens omitto: sunt enim sexcenta apud Plinium, Strabonem, Stephanũ, & ipsum adeo C. Solinum, oppida à Græcis conditionibus deriuata. Quis igitur credat, cũ Solinus ad cap. initium Catonem prędicet, summa cura Italiam descripsisse, vt, quod illius, veterumque scriptorum non occuparit diligentia, reperiri nequeat ad origines vrbium quod attinet: reperisse tamen nuperum hunc Annii Catonem, à vero Catone, aliisque prætermissa? At vere Solinus, *reperiri nihil posse, quod non veterum auctorum præsumserit diligentia.* Plinius quoque libro tertio: *Argilla à Pelasgis conditoribus, dictum Alsium, Fregena, Tyberis amnis à Macra* CCLXXXIIII. *M. pass. Intus coloniæ, Falisca, Argis orta, vt auctor est Cato, quæ cognominatur Hetruscorum.* Catonem nimirum laudat auctorem, Faliscam Argiuorum Græciæ esse coloniam, vt & cum secutus, Solinus, verbis supra dictis. *Tybur*, inquit, *sicut Cato facit testimonium, à Catylo Arcade, præfecto classis Euandri condita.* Plinius adhæc, Catonem laudans, Venetos à Troianis originem ducere affirmat: *Venetos*, inquit, *Troiana stirpe ortos, auctor est Cato.* At nouus hic Cato è cælo delapsus, & quasi sapientum octauus Annii Viterbiensis opera, à Phaetonte Venetos, mox à Troianis deriuat. Sic enim ille: *Venetis cunctis prima origo Phaetontia est, quæ Græcis occasionem mentiendi de Phaetonte & Eridane præbuit. posterius mista his nobilis stirps Troiana &c.* Plinius quidem M. Catonem testem excitans, qui Venetos à Troianis deduxerit, haud dubie & Phaetontis mentionem iniecisset, à quo primum ortos Veneros pseudo Cato ait. Si id abeo Catone proditum accepisset, quem faciebat iure optimo maximi, & ex fide bona, cum res daret, describebat: nec Troiana primum ortus stirpe Venetos, si secus res haberet, sed à Phaetonte pronunciasset. Præterea refellens idẽ Plinius lib. XXXVII. cap. secundo, fabulam de electro quod in Pado fl. reperiri Græci prodiderunt & Phaetontem in Aethiopia Ammonis extinctum templumque illi conditum, & oraculum, electrumque illic colligi, affirmans; tacitus minime præteriisset. Venetos primum hunc gentis suæ auctorem habere, si hoc à M. Catone memoriæ proditum, quem libenter sequitur, comperisset: præsertim

Lib. III. cap. 5. Natur. historia.

Venetorum origo.

sertim cum hinc fabulæ datam esse ansam de electro, referre posset; vt nouus iste Cato hinc natam fabulam ait, quod à Phaetonte prima principia Veneti repetãt. Adhæc inaudita hæc est fabulæ occasio ad hanc diem, nec à quoquam veterum classium scriptorum commemorata, quod vidit & M. Ant. Sabellicus, cum de Phaetonte disserit: cuius alibi verba retulimus. T. Liuius insuper Venetos ab Henetis deriuat, qui Antenore duce, Paphlagonia exacti, in Italia sedes posuerunt, (vbi nunc Veneti sunt) vna cum Troianis: & vtrosque communi nomine Venetos dictos. Certe si Milato, cuius summa apud omnes semper fuit & fides, & auctoritas, hoc de Phaetõte scriptis mandasset, Liuius, quoque vt ab Henetis, sic ad Phaetõtem principia gentis suæ retulisset: Patauinius enim historicorum hic princeps fuit: quem & Asinius Pollio, Criticus minus audax, Patauinitatem sapere dicebat. Quæ cum vera sint, tantaque sit dissimilitudo, vt ex diametro sententiæ pugnẽt, nouus enim hic Cato Annianus à Græcis Italos originem ducere negat, vetus vero affirmat, ab antiquis laudatus scriptoribus: vtri potius credendum putatis? Equidem antiquitati maiorem habendam esse fidem de plano pronuncio: quod mihi, more maiorum, liceat.

Quintil. lib. 1. cap. 5. & lib. VIII. cap. 1.

Altero nunc argumento vrgeamus nuperum Catonem, de vrbis Romæ origine: quam dum retulit, eiusque auctores & Romulum; ne verbum quidem facit, quo tempore condita vrbs illa, vt Tibium regina: de qua Balbitanii poetæ hoc est: & Sex. Iulii Frontini lib. de Aquæ ductibus, elogium:

2. *De origine vrbis Romæ.*

Terrarum dea gentiumque Roma
Cui nil est prius, & nihil secundum.

Atqui vetus Cato, teste Dionysio Halicarnassęo, qui eum diligenter triuerat, in originum libris, conditam Romam scripsit quadringentesimo & trigesimo secundo anno post excidium Troiæ. Verba, sed latine reddita, apponã: *Lucius Cincius, vir Senatorii ordinis, anno ait fuisse duodecimæ Olympiadis. Q. Fabius anno primo octauæ Olympiadis. Porcius autem* Cato *tempus Græcum non distinguit, verum perdiligenter si quis est alius circa collectionem historiæ priscarum Originum, annis eam asserit quadringentis triginta duobus, bello Troiano posteriorem.* Ex his patet, fore vt hæc etiam de anno conditę Vrbis hic legerentur, sicut & de conditoribus retulit, nisi subditicius Cato esset, quem venditat Annius: qui & in Scholiis illis dissimulare hæc, vi veritatis victus, minime potuit: sic vero dilabitur, & corpore tecto effugit: quod

summatim duntaxat hoc in loco Cato de vrbis origine verba faceret: qui illud persuasum cunctis esse voluerit, Romam conditam à tribus potissimum gentibus Luceris Etruscis, Rannēsibus Albanis, & Tatiensibus, Sabinorum populis: à Græcis vero minime conditam. Addit præterea: *Nec videbatur Catoni rem certam ponere in compromisso, & disputatione.* Quæ ratio friuola quo in numero haberi debeat, docti viri existimabunt.

3. Mendacium & illud, cum de Gallia Cispadana loquens, in ora illa Venetum, exstructas vrbes tum fuisse ait, vrbes, Sagam ab Etruscis, similiter & Atriam. *Interiit*, inquit, *Saga oppidum Herruscorum, vti & Atria. à quo mare Atriaticum, quod nūc Adriaticum.* Temporibus itaque noui Catonis, si fidem verba capiunt, euersæ vrbes tum erant, Sagis, (quam barbare Sagam appellat: cuius ruinis ille, & interpres Annius, castella imponunt: à sagis Scythiæ populis constructæ) & item Atria. Atqui veri Catonis Porcii ætate nondum euersas, clarum ex Plinio, qui multis ætatibus Catonem est secutus, meminitque eorum oppidorum, quæ tum exstabāt; præsertim vero Adriam his verbis celebrat. *Proximum inde ostium magnitudinem portus habet qui quo Claudius Cæsar è Britannia triumphans, prægrandi illa domo verius quam nunc intrauit Adriam.* Adriæ item Ptolomæus meminit, qui & Claudio Imp. & Plinio posterior est; æqualis, vt creditur, M. Aurelii Antonini. Strabo item Geographus, (qui & ipse post M. Catonem vixit seculis aliquot, Tiberii Aug. æqualis) exstare ait Adriam, licet incolarum numero minori. Nisi enim exstaret, non eam Claudius Imp. secundo flumine adnauigasset; ad rudera enim euersosque parietes quid attinebat, spectandam præbere nauem, quæ magnitudine & mole ædes æquaret? Quis in ruinis, & nō in frequēter potius habitatis vrbibus, triumphum ducere Imperatorum vidit? Sagin idem etiam Plinius nominat, non tanquam exstinctam, vt hic nouus Cato, sed integram, florentemque. Vnde, nisi quid iudicans fallor, efficitur frāgmentorum horum consarcinatorem, quisquis est, Plinio, nedum M. Catonem aliquot ætatibus videri posteriorem.

4. Rursum & illud reprehendendum in nupero Catone dum Alpes describit, nec Euganeorum meminit, nec quattuor & triginta vrbium, vt vetustus ille Porcius Cato, apud Plinium. *Verso*, inquit, *deinde Italiam pectore Alpium Latini iuris Euganeæ gentis quarum oppida* XXXIIII. *enumerat M. Cato.* Ex quo conficitur, aut Plinium Catonis

Catonis origines non legisse, quod falsum esse quis non vidit? aut hunc Annianū Catonem subditicium esse, & confictum. Vtrum verius sit, æstimabit Lector eruditus.

Falsum & illud, Romanos relictis Hetruscorum litteris & disciplina, Græcorum artes cum perdidicissent, ea de causa adeo Hetruscis inuisos fuisse, vt ne Latinis quidem litteris vti, odio Romanorum voluerint, ad tempora vsq; Cæcinnæ Volaterrani quadrigarum artificis, & Augurum principis. Sed verba ipsa, ne præuaricari videar, noui Catonis adiciebam: vos patientes modo aures præbete. *Roma*, inquit, *tum rudis erat, cum relictis litteris & disciplinis Etruscis, mirabunda Græcis fabulis, rerum & disciplinarum erroribus ligaretur. quas ipsi Etrusci semper horruerunt; nec ob id Latinas quidem voluerint suscipere vsque ad Cæcinnam Volaterranum, magistrum quadrigarum, & Augurum principem.* Cæcinna hic Volaterranus æqualis Ciceronis, eiusdemque familiaris & cliens: defendit enim M. Tullius oratione, quæ in manibus est, aduersus Sex. Aebutium, qui fundo Cæcinnæ occupato, in eum ingredi conantem coactis armatisque hominibus per vim aditu ingressuque prohibuit. Exstant & epistolæ A. Cæcinnæ ad M. Tullium, libro sexto Epist. ad familiares 6. & 8. quibus respondet amice Cicero epist. 7. Vnde constat & Etruscæ disciplinæ peritū fuisse Cæcinnam, eaque eloquentia, vt & in C. Cæsarem scripserit. Fuit & quadrigarum dominus, & augurādi valde peritus: sic enim Pliniu lib. x. cap. 14. *Cæcinna Volaterranus, equestris ordinis, quadrigarum dominus comprehensas in vrbem hirundines secum auferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes, illito victoriæ colore.* Cumque auguriis deditus esset librum conscripsit, *de Fulguribus*: quem & Plinius citat: & Seneca multa hinc hausit, ad fulgura quæ spectant: & in secundum librum Quæstionum naturalium retulit. qualia sunt hæc: *Postulatoria, monitoria, pestifera, fallacia, dentanea, artecata, obruta, regalia, hospitalia,* id genus alia, quæ idem Cæcinnæ accepta referre non dubitat. Disertus homo, nisi Ciceronis eloquentia eadem tempestate nomen eius obscurasset: & quia Valaterris in Etruria, hodie agri Florentini, natus erat, (quæ gens auguriis mirifice olim dedita, & perita, vt omnes antiqui produnt scriptores) in ea ipsa arte excelluit. Sed ad institutum redeamus. Si hic A. Cæcinna C. Cæsaris & Marci Tullii, vt iam docui, æqualis fuit, dic amabo, qui eius

5. A. Cæcina.

meminisse M. Cato, qui centum amplius annis anteceſſit, vitaque abiit? Quare hoc etiam loco, vt ſuperiori, efficitur, ſcriptorem hunc fragmentorum originem lõge & M. Catone, & M. Tullio, ætatibus aliquot inferiorem, exſtitiſſe.

6. *Mediolanum vnde dictum.*

Eſt & illud non leue argumentum: Nouus enim hic originum ſcriptor, cum Mediolani meminit, Inſubrum regulum cui Medo nomen, eam vrbem inſtauraſſe affirmat; vnde illa Mediolani appellatur. *Inde*, inquit, *ab Inſubrum Principe nomine Medo adaucta, Mediolanum nomen ſeruat.* Illud certe iure quis miretur, Catonem ſingulari hominem doctrina, quantum origines oſtendebant, à M. Tullio, Dionyſio Halicarnaſſeo, Plinio, Solino, & aliis, certatim laudatæ à Liuio non nominatum, cum Mediolanum ipſe lib. deſcribit diſerte: neque Medum ipſum, à quo vrbi nomen ſit inditum, ne nominaſſe quidẽ, cum eius vrbis principia ortumque à capite acceſſeret: quod adeo proprium ſit hiſtoricorũ, etymologiam oppidorum ſignificare, nihil vt ſupra: Quam non neglexiſſet Liuius, ſi in Milatoris eam libris reperiſſet, ob ſingularem eorum librorum apud eruditos auctoritatem. Nemo item Geographorum Medi huius meminit, cum de Mediolano ſermo eſt: nec omiſiſſent, cetera diligentiſſimi, ſi in Catonis originibus reperiſſent: neque Claudianus, aliique poſterioris ætatis poetæ. Corus, & Sidonius, à porta, lana ad medium vſque corpus tectas Mediolanũ dictum putauiſſent. vt nos copioſius extrema Chorographia ex And. Alciato, I. C. Mediolanenſi præſtantiſſ. docuimus. Sed ex Liuio diſcas, in origine vrbis huius, ſimul condita fuit à Beloneſo, iisque Gallis, qui cum eo in Italiam irruperunt, iam tum Mediolanum appellatum. Sic enim lacteus ille ſcriptor de his Gallis: *Ipſi per Taurinos, ſaltuſque Iuliæ alpis tranſcenderant, fuſisque acie Tuſcis, haud procul Ticino flumine, cum in quo conſederant, agrum Inſubrum appellari audiſſent, cognominem Inſubribus pago Heduorum, ibi omen ſequentes loci, condidere vrbem Mediolanum appellarunt.* Si itaque ſimul condita vrbs fuit, teſte Liuio, Mediolanũ dictum qua fronte novus hic Cato à Medo principe & auctam & appellatam aſſerit? aut cur non Liuius M. Catonem, auctorem grauiſſimum eſt ſecutus?

7. *Oenotria.*

Falſa & illa quæ de Oenotria Arcadum novus ille Originum ſcriptor commmentus eſt. *Ad Orientem, inquit, magna Græciæ pars eſt Oenotria Arcadum, & Calabri, prius Auſones dicti: ad quos Græca verboſitas fert venisse primum Græcorum claſſem, annis ferme* CCCC. *ante ruinas Troiæ,*

Troiæ, cum Oenotrum, ducem Arcadum, poſt Troiam conditam adnauigaſſe in Calabriam tradat Antiochus Syracuſanus. Quibus verbis ſatis clarum, non eſſe hunc priſcum illum Catonem Cenſorium. hic enim Græcorum in eam Italiæ partem, quæ magna Græcia dicta eſt aduentum quadringentis annis ante excidium Troiæ, aſſerit: vt manifeſtum ex illis Dionyſii Halicarnaſſæi ſupra à nobis allatis verbis. Aborigines enim auctorem ſecutus Catonem, Græcos facit, Achaia oriũdos, qui multis ante bellum Troianum ſeculis in Italiam irruperant. Quos etiam Aborigines, Arcades idem Dionyſius fuiſſe ait, eoſdem qui Oenotro duce Italiam occuparent; ex Arcadia Achaiæ prouincia digreſſi. Sic enim ille de Aborigiribus agens: *Doctiſſimi rerum Romanarum ſcriptores, in quibus eſt Porcius* Cato, *qui vrbium Italiæ origines diligẽtiſſime collegit C. Sempronius, aliique fere omnes, Græcos eos fuiſſe pronunciant, ex iis qui Achaiam aliquando incoluerunt, multiſque commigrarunt ætatibus ante Troianum bellum.* Non igitur pugnant verus Cato & Antiochus. ille enim veniſſe Oenotrum in Italiam ait. ann. cccc. ante euerſum Ilium; hic vero poſt conditam Troiam: quæ res eodem recedit. Non itaque ſcriptor hic fragmentorum diſcrepantes ſententias potuit in Antiocho & M. Catone reperire.

Plura quidem argumenta colligi poterant, quibus pugnantia dixiſſe, ſi duo Catones originum ſcriptores, oſtendatur, ſed hæc eruditis hominib. ſufficient: rudioribus vero hæc pauca viam patefacient, & feneſtram; vt ſimilia, cum occurrent, diſcernere ipſi, & tanquam lydio lapide explicare obryzum, queant; falſoſque à veris ſcriptoribus diſtinguere vt promptius aſſueſcant. Reſtat vt multos olim exſtitiſſe M. Porcii Catonis originum libros doceamus. Ita enim in eo de ſenectute Dialogo, ſic Cato ipſo inducitur loquens: *Septimus*, inquit, *originum liber nunc mihi eſt in manibus.* Clarum idem ex Plinio, qui libro primo, qui Syllabus eſt & Index, ceterorum XXXVII. omnibus libris aduocat M. Porcium Catonem Cenſorium: vt præter gentium vrbiumque Italiæ origines, quas pertractauit diligenter, etiam res omnis generis doctrinæ attigiſſe videatur; citante paſſim Plinio Catonem, in opere tã vario, quam ipſa, quam illuſtrat, natura eſt. Confirmat idem & Ciceronis auctoritas, qui quicquid ſub ſcientiam caderet, didiciſſe, cognitumq; habuiſſe Catonem prædicat; ad hæc litteris eadem conſignaſſe tradit. Quæ cum ita ſunt, quis credat verum hũc eſſe libellum originum M. Catonis,

cum in hoc summa rerum inopia, nulla venustas, lepor, doctrinaque appareat; in illis vero libris multæ & reconditæ litteræ laterent? Exiguus etiam hic libellus, siue molem spectes, siue rerum copiam, seu inopiam potius animaduertas. His constitutis iactisque fundamentis eius quod persuadere conamur, reliquum est, vt priusquam ad rem ipsam veniamus, pauca præfari pace vestra liceat. Nouum hunc Catonem in tam exiguo libello tot pugnantia, vt ostendi, attulisse, puta, Italiæ vrbes à Græcis originem non ducere: omnesque adeo gentes populi Rom. imperio parere: mox tamen, tanquam sui oblitus, vrbium aliquot origines à Græcis, tanquam à capite arcessit. Vnde in eam sum sententiam deductus, vt credam Annium Viterbiensem, cum hæc inter schedas apud Gulielmum Mantuanum, rudia, & indigesta reperisset, concinnare, in ordinemque redigere, dispersaque colligere non potuisse. Denique quæ variorum erant scriptorum vni omnia Catoni attribuisse: cum reliqua folia perijssent, quæque reliqua erant de re fere eadem sgerent; idcirco Annium vni omnia inscripsisse Catoni, & quo nunc ordine digesta leguntur, in apertum retulisse. Adhæc cum pauca Catonis loca eadem in Plinio & Dionysio Halicarnassæo reperisset, in ea sententia acquieuit, vt Catonis esse omnia nullus dubitaret. Atqui animaduertere facile poterant, tam exiguo & exili libello tantam variarum rerum cognitionem quam Cato originum libris inseruit, totque libris complexus est, comprehendi non posse: quod vel titulus hic docere ipsum poterat: M. Catonis Fragmenta De Originibvs. Fragmenta, cum inscriptio ipsa appellat, satis clamat integrum Catonis Originum opus intercidisse, & vel temporum iniuria, vel maiorum incuria periisse: his tantum reliquis fragmentis, tanquam naufragii tabulis. Et vero hunc apparet nouum Catonem nouarum rerum cupidum, à barbarie non alienum, & iudicii inopia laborantem: quod vel ineptiæ etymologiæ aliquot & indoctæ tatis arguunt, quas ex Hebræa lingua, & arca ipsa Noæ tanquam à fonte deriuat. His nimirum speciosus ille Commentarius subiungitur qui imperitorum quorundam oculos, vt Solnoctuarum, ita præstrinxit, vt etiam vnum Annium obstupescerẽt, admirarentur, in ore denique haberent: hinc denique tanquam ab vberrimo fonte hauirent, sitimque explerent. vt Io. Driedo, Florian. Ocampus Ant. Gueuara & Pineda. Verum quod aliqua id genus quæ hic leguntur

leguntur in Plinio & Dionysio reperisset Viterbiensis, Catonis nomine citata, ex originibus; magis in sententia est confirmatus, sibique placuit: sed pleraque sunt, vt docuimus, vel pugnantia, vel diuersa. Accedit adhæc, cum in Plinio & hoc occurrisset, siue ex M. Catonis libro quodam siue ex epistola ad filium, (incertum enim id est) desumptum, quod non absimile omnino iis quæ in hisce fragmentis ficticiis initio hodieque leguntur; dubitandi amplius nullum esse relictum locum sibi persuasit, quia ipsius Catonis germanº hic fœtus esset. Verba vero Catonis ex Plinio adscribere non pigebit. Dicam *de istis Græcis suo loco, Marce fili: quid Athenis exquisitum habeant, & quod bonum sit eorum litteras inspicere, non perdiscere vincam nequissimum & indocile genus illorum: & hoc puto vatem dixisse: quandocunque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet: tum etiam magis si medicos suos huc mittet. Iurarunt inter se Barbaros necare omnes medicina: sed hoc ipsum mercede faciunt, vt fides ipsis, & facile disperdant. Nos quoque dictitant Barbaros, & Spurcios, nos quam alios opicos appellatione fœdant. Interdixi tibi de medicis.* Subiicit vero mox Plinius: *Quid ergo? damnatam ab eo rem vtilissimam credemus? minime Hercule. Non rem antiqui damnabant, sed artem.* Ad ista nimis cito se commouit Annius: Plinius enim aduersus artem medicam, vel abusum artis, potius differens, Catonis vsus est (cuius summa semper fuit auctoritas vocis, quoad vixit, & à morte scriptorum) sententia atque iudicio: ex quo non recte colligas, Græcos Catonem, vt fabulosos, in Italiæ originibus tradendis condemnasse (vt Annius falso concludit) cum in Originum veris libris, à Græcis multa deriuat oppida & incolas, vt ex Dionysio, Plinio, & Solino satis, superque docuimus. Tametsi vero Græcos Catonem in arte medica vt leues vanosque reprehendisse concedam, verbaque testatum faciunt, non hinc continuo efficies, in ceteris omnibus artibus & disciplinis, aut damnasse, aut stylo lacessere voluisse. Aliud enim est in historia scribenda veritatem, tanquam scopum spectare; aliud hominum odio, animique perturbatione duci. Sallustius enim accerrimus M. Tullii hostis cum esset, merita tamen laude Consulatus præclare gesti, detecta coniuratione Catilinæ, eoque exacto sumptoque de auctoribus in carcere Tulliano supplicio, minime fraudauit. Aeschines tamen etsi Demosthenis capitalis hostis, eiusque opera Athenis exsulare coactus esset, eloquentiæ tamen principatum non detraxit sermonibus, sed attribuit potius. Rhodi casibus enim, apud

In historia Veritas non odium, adhibenda sunt.

quos exul tum agebat, orationem Demosthenis pro Ctesiphonte contra se habitam, publice recitarit: hoc addito elogio: Quid si feram ipsam audiuissetis? T. quoque Liuius laudat Hannibalem, hostem tamen iuratum ad aras iam inde à puero, nouem annorum cum esset, populi Rom. ad extremum vsque spiritum. Deniq; optimi quique scriptores veritatis summam semper rationem duxerunt in historia conscribenda, ne quod aut amoris nimii aut odii inimicitiarumque vestigium appareret: quibus perturbationibus, tanquam pessimis tyrannis, animus obsessus verum videre non potest: magnaque hinc nota historico inuri solet. Sed ad Catonem sermonem conuertamus: quem Græcos adeo non odisse iam senem constat, vt & affecta ætate atque defessa Græcas litteras summo fastidio non erubuerit: addiscere sine quibus peritus haberi non posset, nec, quę vellet, ingenii monumenta ad posteros transmittere.

Plinius lib. VII. Cicero in Catone.

Pugnat & illud, præter alia à nobis allata, nouum hunc Catonem aliud initio polliceri, aliud re ipsa præstare, de origine Græcorum. Viderat hic & Annius interpres, nec dissimulare potuit, silentioque prætermittere; veritus, ne quod accidit, eruditus lector libellum Catonis esse, cui ille per fas, per nefas adscribere conabatur, negaret. Hunc igitur scupulum vt eximeret, opinionemque minueret, Pelasgos fingit in Italiæ maximam partem irrupisse, vrbesque adeo conditas reliquisse: tamen Italia potiri, victoriamque nanciscì, nisi longe post tempore, vt Dionysius Halicarn. lib. primo refert, nõ potuisse. exacti enim & fusi fugatique ab incolis, tũ vero maxime à Tyrrhenis. Liberam itaque Italiam Græcæ originis permansisse. Sed ipsius Annii, licet rustica verba, si ridere libet, audiamus: *Sed videtur quod Cato contra suum institutum agat; quia, vt ab initio patuit, Cato instituerat ostendere Græcos Italiæ nullam dedisse originem. Ad hoc dicimus, quod licet magna parte Italiæ potiti Pelasgi, etiam magnas vrbes condiderint, tamen, vt ait Dionysius Halicarnasseus in primo libro, non licuit iis diu victoria vti, quia mox à vicinis, & præcipue Thyrrhenis à tota Italia pulsi fuerint, & ita à Græcanica origine integra Italia manserit.*

Difficile hoc Annio probare, superstitibus, præsentibus, seu testibus: licet enim Pelasgi, ejectis Italia Siculis, vt Dionysius narrat, extincti sint, non tamen libera omnino à Græcis incolis Italia fuit: manserè enim gentes aliæ plurimæ Græcorum, extra Pelasgos, vt Aborigines seu Oenotrii, Itali, Morgetes: qui Græci omnes erant, teste Plinio: cuius hæc sunt, de Italia. *Tenuerunt eam Pelasgi, Oenotrii, Morgetes, Syculi, Græciæ maxime populi.* A quibus Græcis hominibus mutuati sunt Romani ritus, ceremoniasque sacrorum, cultum, superstitionemque falsæ Religionis: adhæc rerum appellationes Græcis nominibus inditæ: Quin & Italiã sęculis aliquot Oenotriam dictam, eiusq; partem alterã, Magnam Græciã nuncupatam. Poetę etiam Latini cum Italiã nominant, Oenotriam nõ raro vocant, vt Silius Italicus.... *patiturque ferox Oenotria iura Carthago* .... Qua de causa Cæcilius, *rerum Romanorum scriptor* (vt refert Strabo lib. V. Geograph.) *significat* Romam *origine Græcam esse vrbem, quod penes eam more patrio sacrificium Græcum Herculi dicatum existat, & Romanus populus Euandri matrem, nympharum vnam existimantes præcipuis venerentur honoribus, transmutato pro Nicostrata nomine, eam Carmentam appellantes.* Idẽq; Dionysius libro 1. extremo, & initio secundi Antiquitatum Roman. diserte probat, Romam, Græcam vrbẽ esse & origine, & appellatione: inter cetera quæ colligit, & illud argumento est quia Græci constanter Italiam, eamque omnem oram diu ante Romulum, vrbis auctorem, tenuerunt. Præterea, non omnes expulsos victosque Pelasgos, sed multos permansisse; prudentia & societate Aboriginum, quibus amicitiæ fœdere coniuncti erant: alios vero, portus tenuisse Padi fluminis, qui Spineticus, dicti, hodie vero Primaro; quos etiam populos maris Ionii imperium tenuisse affirmat: qui & annis plurimis Delphos decimas miserunt spoliorum, manubiarumque, quas bello capiebant: vnde & magnam auri vim collectam in Apollinis fanum deposuerunt seruandam. Vnde illud efficì potest, si ætatibus aliquot ex Italia Delphos decimas muneri Apollini miserunt, diu etiam ante vrbem Romam conditam, Italiam Græcos habuisse. Sed quid de Aboriginibus Annius dixerit? qui in Italia assiduam sedem fixerunt, vel ipso non inficiante, ad excidium vsque Troiæ: ex quo tempore amissum nomen, & Latini appellari cœperunt vel ipso teste Dion. Halicarnasseo. Accedit & illud corollarii vice: cum gens aliqua prouinciam occupauit, vt trãquille viuere, ædificare, vrbesque condere liceat, finitimosque sæpe armis aggrediuntur, & nullo repugnante superant: quod Pelasgis ipsis vsu venisse idem scriptor iam laudatus, affirmat; non absimile vero stirpem eorum passim disseminatam propagatamq; fuisse. Nec enim Italiam Græci tenebant, quomodo hodie Iudæi summam seruitutem seruientes ceteras inter nationes, etiam barbaras: propterea quod sectam ipsi suam mordicus amplexi, nec ab ea deduci se obsti-

Italia, aurea Oenotria dicta.

nato animo patiuntur, nec aliis persuadere eam possunt gentibus: nulla itaque his matrimonii commercia sunt cum aliis gentibus, nisi inter ipsos. Verum omnes ea tempestate idolis dediti cum essent, eademque omnium religio, mens, sensusq; esset, credibile est manisse multos, extincto licet nomine, Pelasgos. Nec solo bello deleti sed & agrorum sterilitate, caritateq; annonæ, & fame, vt idem Dionysius retulit: peste item, dissensioneque ciuili intestinisque dissidiis, votorum gratia, quę concepissent Ioui & Apollini decimas rerum omnium polliciti. Cumque agrorum sterilitatem à Diis indignantibus immissam facile animaduerterent, nec finis esset malorum, quidam ita interpretati votorum formulam sunt, quasi liberorum etiam decimas obtulerint. Hinc discessio facta, ortaq; ciuilia bella nullo ordinum habito discrimine: quidam enim læsos se decimatione iniuriaque affectos querebantur. Sumptis armis, mutuisq; vulneribus concidentibus Pelasgis, vsque eo vires debilitatæ, & ad paucos redacti vt ne finitimis quidem iam pares bello esse possent. Hæc causa cur in Italia extinctum tandem Græcorum Pelasgorumque nomen, non tamen stirps deleta; addit enim Dionysius, Aboriginum singulari factum esse prouidentia, & cura quo minus funditus extinguerentur socii & amici; à quibus & Itali litteratum vsum, antea ignotum, acceperint, teste Plinio: quod, vt est summum beneficium, Græcis Italia acceptum referat necesse est. Equidem coniectando assequi non possum, qua de causa Annius Græcos non diu in Italia hæsisse affirmarit, eoque nomine de originibus scripsisse Catonem putet: idque Pelasgorum interitu probet; cum eiectis, aliæ Græcę nationes in Italia restiterint, & Pelasgorum aliquot, vt ex Dionysio iam docui: nisi si Pelasgorum appellatione abusus, omnes omnino Græcos complecti videatur: qua libertate & poetæ, vt Homerus, eumque secutus Maro, nunc Achiuos, nũc Pelasgos pro Græcis omnibus pro metri necessitate adhibent. Sed ne hæc quidem à culpa liberant Catonem, quem purgandum Annius susceperat, quod aliud initio fragmentorum pollicitus, mox sui oblitus, contra doceat Græcos Italiam habuisse, vrbesq; multas condidisse: vnde quis recte coniiciat, vt diximus, non esse hunc legitimum M. Catonis Originum partum.

Sed finem tandem aliquando disputandi faciamus, & postremum hoc argumentum verbo expediamus: quod de stylo, eloquentia,

quẽtia, atq; doctrina M. Catonis sic colligo. Nihil enim horũ trium agnosco in his Annianis fragmentis. Sed M. Tullii de M. Catone iudicium: cuius enim potius audiamus? Tãta enim eloquentia fuisse, Catonem, ait, quanta nulla ea ætate Romæ fuerit. Et alibi his verbis commendat: *At quem*, inquit, *virum dii boni? mitto ciuem, aut Senatorem, aut imperatorem. Oratorem enim hoc loco quærimus. Quis illo grauior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo disserendoque subtilior? Referta sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim, & legerim, & verbis, & rebus illustribus: ex iis colligant ea quæ notatione & laude digna sint, omnes oratoriæ virtutes in eis reperiuntur. Iam vero Origines eius, quem florem, aut quod lumen Eloquentiæ non habent?* Plura exstant M. Tullii elogia in Oratore & Bruto quo Lectorem meum mitto, ne necesse habeam transcribere omnia, ad finem properans. Liuius etiam historicus eloquentissimum prædicat fuisse M. Catonem, omnique scientiarum genere refertam fuisse eloquentiam. Plutarchus & ipse historicus, & philosophus, de scriptis Catonis: *Varias*, inquit, *& Orationes, & historias conscripsit; reique rusticæ curam atque studium adhibuit: deque re rustica librum edidit, in quo de placentis conficiendis, & asseruandis fructibus pleraque scripta sunt. Quo in loco adeo laudis aridus visus est, vt in singulis, proprius, elegans, & copiosus esse voluerit.* Dicendi vero grauitas, atque ingenii præstantia, licet abiis, quos iam laudaui scriptoribus, minime commendaretur, vel ex hoc Agellii in Noctibus Atticis loco clarescceret: qui est ex oratione quadam M. Catonis, sic inscripta; De præda militibus diuidenda: quæ intercidit, vt & Originum libri omnes: Quoniam autem Agellii iudicium cum Tulliano mirificè conspirat, recitabo: *Vehementibus & illustribus verbis de impuritate peculatus atque licentia conqueritur. Ea verba quoniam nobis impense placuerint, ad scripsimus. Fures, inquit, priuatorum furtorũ in nervo atq; compedibus ætatem agũt: fures publice in auro atque in purpura.* Libro item tertio decimo, ex oratione de ædilibus vitio creatis, hæc afferuntur: *Nunc ita aiunt; in segetibus & in herbis bona frumenta esse: nolite ibi nimium spem habere. Sæpe audiui inter os & offam multa interuenire posse. verum inter offam atque herbam, ibi vero longum interuallum est.* Si vero vno ambitu ingenium geniumque & dicendi maiestatem Cato declarauit, quanto clarius ex his fragmentis, si, quod non credo, ex Origini-

Agellius lib. Lib. XIII. cap.

bus decerpta essent, illucescerent: tot eloquentiæ luminibus, tam varia doctrina, rerumque copia distincti libri cum essent, vt C. Plinius vndique vastum illud naturæ opus Catonis originibus auxerit, atque ditarit. Homini igitur cui tres eloquentiæ partes à Natura Amaltheæ quadam cõmendatas Plutarchus ait, proprietatem, elegantiam, & copiam, adeo vt & ætatis suæ Demosthenes Romanus pleno ore appellaretur; qua fronte ea illi tribuemus, in quibus neque verborum proprietas, nec sermonis elegantia, nec copia denique rerum appareat: imo nec vola nec vestigium, quod aiunt, relictum sit earum virtutum quas in M. Catone sitas Cicero, Liuius, Plinius, Solinus, & Agellius: de Græcis vero Dionysius Halicarnasseus & Plutarchus in cælum vsque laudibus extulerint: alii item de singulari eius doctrina. Neque sentẽtiam nostram refelli puto, quod quædam ex Plinio, Solino, aliis, in his Catonis fragmentis nouis reperiuntur. Quid enim mirum? cum & in Strabone & Dionysio eadem legamus. Nonne hic fragmentorum collector ex illis haurire potuit, centonesque fuere cum pleraque hodie ex aliis transcribantur: Nullum enim iam dictum, ait Comicus, *quod non dictum sit prius.*

Terentius Prol. Eunuchi.

Equidem miror Annium tam leui ad credendum argumento motum, hæc pro Catonianis obtrudere voluisse, & Commentariis non necessariis oneraſſe. Vel illud deterrere debuit, plenos esse historicorũ quos lectitabat Annius libros falsis scriptorũ titulis. Quæ res, vt opinor, mouit & M. Anton. Sabellicum, vt hic de his ipsis M. Catoni falso inscriptis originum fragmentis iudicium, labore quidem, vere tamen, ferret. *Circumferuntur Catonis nomine quædam velut fragmenta, ex illius originibus: vbi legere est Ligurnum à Ligure Phaetontis filio nomen olim adeptam; a quo Liguria est: atque aliquot ætates antequam Oenotrus in Italiam venerit. Cui opinioni vt constantius accedam non vna res fuit. Enimuero scripta illa, cuiuscunque sunt, nec Romanum aliquid sonãt, nec vetustum, sed recens & barbarum. Præterea ij qui de rebus Italiæ aliquid scripsere, nec nostrorum quisquam aut Græcorum, vnde tota lux litterarum effluxit, eius rei meminerũt, sed cum de præsenti Italiæ statu postremo rapsodiæ loco habebitur sermo, quid de tota re sentiam monstrabitur.* Infra vero hæc subiicit Sabellicus. *Mera ægrotantium quod ad Italiam attinet, insomnia continere mihi videntur fragmenta, quæ Berosi, Catonis, & Sempronii nomine circumferuntur: sed quæ verissima de vetustate Italiæ dici potuerunt, ii libri continebunt, quas de Originibus superſit modo vita, sumus non multo post edituri.* Qua censura clarum vtrique quid disertus ille

Ant. Sabellicus de Catonis Originibus.

ille vir de his ipsis fragmẽtis iudicarit: cuius vel sola auctoritas frangere me poterat, si in alia omnia concessissem: multo magis cum tot rationum momenta à nobis pauca, de multis allata, eius sententiam confirment: quibus vel addere alia argumenta quiuis non omnino hebes lector queat, vel similia inuenire ex comparatione fragmentorum, & antiquorum Scriptorum. Lector itaq; hæc æqui boni consulat: &, si quid errans peccaui, ignoscat.

DE LIBELLO Q. FABII PICTORIS,

DE AVREO SECVLO, ET ORIGINE VRBIS ROMÆ, IVDICIVM Gasparis Varrerii Lusitani.

CVM iudicium ferre de Q. Fabii Pictoris de aureo seculo, & origine vrbis ROMÆ libello, animum induxerim meum, faciendum putaui, vt prius paucis ostenderem, quis hic Fabius Pictor, quæ scripserit, aliaque ad eum quæ attinent, quo commodius ferri sententia queat. Fuit hic gentis Fabiæ, quæ perillustris Romæ & clara fuit: celebraturque à Græcis Latinisque scriptoribus. Ex hac gente quidam Pictores cognominati: quod primus eius familiæ auctor in pingendi arte excelluerit, pinxeritque Romæ Salutis ædem anno CCCCL. post Romam conditam: quam suae etiam memoria picturam durasse Plinius affirmat, abolitamque Claudii Cæsaris, qua tempestate templum hoc arsit, imperio. Huius familiæ plurimos fuisse Consules & Prætores ex Fastis obseruaui: nam Seruius Fabius Pictor, Orator fuit cuius sic in Bruto M. Tullius meminit: *Seruius Fabius Pictor & iuris & litterarum, & antiquitatis bene peritus.* Alterius vero Fabii Pictoris mentio exstat lib. II. de Oratore ad Q. fratrem: qui historiam scripserit, eo seculo incompto, & eloquentia destituto: nudam videlicet, simplicemque; quam & Annales appellat: ex quibus Pictoris Annalibus T. Liuius multa hauriens, laudat: Plinius item omnibus Historiæ Naturalis libris: & Agellius, allatis quarti libri Annalium verbis Fabii Pictoris. Me-

Cicero 1. Tuscul. quæst. & Plinius lib. 35. ca. 4.

Lib. v. Noct. Attic. ca. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minit & Dionysius Halicarnassæus L. Cincium, Porcium Catonem, Calphurnium, Pisonem, aliosque post secutos historicos, ex Fabio Pictore, eadem narrare de origine vrbis Romæ: de Romuli & Remi natalibus, & educatione; auum Numitorem in regnum, à quo Amulius eum frater expulerat, reduxisse: foliis amplius tribus, Fabii verba recitans. Alterius item Q. Fabii mentionem fecit Dionysius, non adducto Pictoris cognomento: quem, vt & L. Cincium res Romanorum præclare gestas Græce scripsisse affirmat; belliscque Punicis floruisse, his fere ex libro primo Antiquitatum Romanarum, sed latine redditis, verbis. *Similes*, inquit, *his, & in nullo differentes historias ediderunt etiam Romani, quicumque priscas res vrbis Græco sermone conscripserunt: quorum vetustissimi sunt Quinctus Fabius, & L. Cincius, Punicis bellis ambo clari. Horum autem vterque res gestas, quibus interfuit, probe descripsit ob eorum noticiam. Prisca vero post vrbem conditam summatim percurrit.* T. vero Liuius alium nominat Q. Fabium Pictorem, Prætorem populi Ro. cum Q. Fabio Labeone: missum ad oraculum Delphicum Apollinis: quem & Q. Fabii Maximi agnatum fuisse in eius vita Plutarchus testatur: verum non hic scriptor est ille toties ab eodem Liuio & Plutarcho testis historiæ laudatus. Pictorium itaque cognomen multi in gente Fabia præstantes viri retulerunt.

Volaterra in error. Strabo extremo lib. x.

Raphael Volaterranus lib. xvi. Anthropologiæ, Fabios hos Pictores tamquam sub vnam Myconum, quod veteri verbo dici solet, omnes miscet, vnique tribuit omnia, historico nimirum, quo de sermo nobis est. Hunc primum ille cognominis auctorem putat, & ædem Salutis deæ pinxerit: quod neque Plinius, neque alius, quod sciam scriptor affirmat. Refert adhæc idem Volaterranus, Ciceronem libris de Oratore hunc Fabium tanquam Iuris bene peritum laudare, doctum item litterarum, Antiquitatisque: Annales præterea scripsisse. Sed fugit hominem ratio. M. enim Tullius in Bruto, qui de claris Oratoribus est, non in libris de Oratore, Seruium Fabium Pictorem Iuris ciuilis, Antiquitatisque peritum facit. Hic vero quo de quæritur, Fabius est Quincti, non Seruii prænomine. Quinctum quidem Fabium ait in Oratore Annales reliquisse; licet absque Q. prænomine Pictorem duntaxat appellet. Ex aliis enim scriptoribus paret, quo in numero Dionysius est Halicarnassæus, testis locuples, sic nominatus.

Lib. 35. cap. 4. Natur. hist.

Quis

Quis horum Fabiorum Pictorum sit, quem Annius est complexus, scholiisque, ne quid dicam grauius onerādum potius, quam ornandum putauit, non facile dixero: neque si Q. Fabius est, quem sine Pictoris cognomento, Græce scripsisse Dionysius Halicarn. affirmat, sed vt his quas subiiciam rationibus efficitur, neutrum agnouisse apparet, sed falsum quendam fictitiumque posteritati obtrusit.

Refellitur Annius Viterbiensis.

Harum prima sit. Si hoc titulo Q. Fabius Pictor librum edidisset, quem illi Annius attribuit, DE AVREO SECVLO, ET ORIGINE VRBIS ROMAE, nominasset haud dubie Tullius, Liuius, Plinius, Agellius, & de Græcis, Dionysius Halicarnassęus, aliiq; qui Annales toties laudant, testimonioque adhibent. Cumq; sit inscriptio *De vrbis Romæ origine*, de qua plerique omnes scripserant, neminem tamen comperi qui hoc titulo nominat Fabii librum: qui titulus cum sit fastu plenus, & scriptor ipse auctoritate præcellens, non defuisset tot retro seculis quin appellando ab obliuione vindicasset. Illud mirari subit, cur nullo in precio olim habitus hic libellus: vt nec hodie eruditis hominibus satis placet, extra vnum Annium Viterbiensem: qui his dapibus, si Diis placet, opiparis expleri non potuit: quod vel ex eo intelligi potest, quod operosis illis, nulliusque frugi Scholiis onerarit. Neque enim Dionysius neque Plutarchus, (qui tot antiquorum de vrbis Romæ origine scriptorum opiniones recitant, Græcorum, Latinorumque, in his & Fabii Pictoris) hunc libellum nominandum putarunt. Est autem id in more positum, vt cum vnus idemque scriptor eadem de re varia scripsit, singulatim, & nomine quemque suo librum citari, vt Lectori, cum velit, integrum sit fontes consulere, remque penitus excutere. verum ex ipso Plutarcho, ψευδεπιγραφία huius libelli eluescit. In Romulo enim, vrbis Romæ appellationem ex variis interque se pugnantibus scriptoribus arcessens, præsertim ex Græcis, qui varias hac de re fabulas commenti, voluptati aurium seruiisse videntur: in his alii narrant, Pelasgos, deuictis gentibus circum circa plurimis, eam tandem Italiæ oram vbi hodie Roma visitur, tenuisse: & à robore, virtuteque militari quam ῥώμην Græci vocant, Romam dictam. Non nemo à Troiana muliere, cui Romæ nomen, à Troianis in Italiam deporta ra, sic vocitatam: quæ vt incensa classe, qua venerant, nauigandi spes omnis adimeretur, persuasit ceteris flammas facesque admo-

Plutarc. in Romulo de origine vrbis Romæ.

nerent: sedem itaque cum coniugibus ibi statam, fixerunt: quæ res quia verterat bene, condita ad radicem Palatini montis vrbe, datum hoc consilio prudentiæque matronæ, vt de ipsius nomine Roma appellaretur. Nonnulli Romam Itali filiam faciunt ex Leucaria. Sunt qui Telephi Herculis filii filiam, quæ post Aeneæ nuptum data: quidam Ascanii filiam fingunt fuisse, Aeneæ neptem. Nec defuere Græci, qui à Romano, Vlyssis filio & Circes, appellationem deriuent. Alii vrbi nomen dedisse Remum, Aemathionis filium, ab Diomede ex Troia missum, referunt: alii aliud commenti sunt, quorum sententias idem Plutarchus recensuit: equidem supersedeo, ne omnia colligendo putida nimis diligentia enecare videar: & est in manibus omnibusque adeo bibliothecis grauissimus ille philosophus iuxta ac historicus. Mox idem de Fabio Pictore, qui Dioclem Peparethium fere exscripserit, hæc subiicit: *Ceterum receptissimæ historiæ, & à plurimis approbatæ, Peparethius Diocles præcipua quæque princeps apud Græcos edidit: quæ in plerisque Fabius Pictor sequitur. Et quanquam hic quoque varient, vt breuibus tamen absoluam, illa huiusce modi est. Ex Aeneæ posteris qui Albæ regnarunt, ad duos fratres regnum deuenit, Numitorem & Annalium.* &c. Hanc veriorem esse sententiam deinceps scriptor exsequitur, à Romulo conditam, denominatamque Romam. Huius laudat auctorem sententiæ Dioclem, quem fere Fabius Pictor sit secutus. Quæ cum ita sint, non vere Aurei sæculi hic suppositicius scriptor, à Roma Itali filia appellatam vrbem prodit: quam Græcorum fabulosam sententiam fuisse idem ille locupletissimus testis docuit, non Fabii Pictoris, hominis Romani: quem secutos esse L. Cincium, Porcium Catonem, Calpurnium Pisonem, pleroſque alios, Dionysius refert: & qui his ætate posteriores exstiterunt, Liuius, Plutarchus, ipseque adeo Dionysius Halicarnassæus, Fabium imitantur, sententiamque amplectuntur. Qui, cum de vrbis origine sermo est, recitatis variis aliorum opinionibus eo delabuntur, vt veriorem hanc inter ceteras ducant, à Romulo conditam appellatamque Romam. Dionysius itaque elegantissimus rerum Romanarum scriptor, vt reliquis certiorem hanc esse de origine vrbis à Romulo & Remo conditæ historiam, fidem faciat, recitatis aliorum sententiis, hanc, vt certiorem inculcandam ratus, liberum tamen Lectori iudicium relinquit, vt quam libitum cumque animo fuerit, arbitratu suo amplectatur. *Vtris*, inquit, *credere oporteat, aliquis*

Dionysius Halicarn.

aliquis eorum qui lecturi sunt, videat. Ceterum de natis ex Ilia, Q. Fabius Pictor dictus: quem L. Cincius, & Porcius Cato, & Calpurnius Piso, aliique plurimi secuti sunt, sic ait: Infantes ipsos in alueo iacentes, iubente Amulio à famulis quibusdam esse exportatos. &c. Historiam continenter narrat ex Fabii Annalibus vsque ad eadem Amalii, à Romulo & Remo geminis factã: foliis amplius tribus: qua narratione ad exitum perducta, sic claudit: *Et hæc quidem Fabius.* quæ qui legere auet è libro primo Antiquitatum Romanarum petat licet. Quid hoc argumento conficiam, concludamque legitime, sic habete. Cum Fabius Pictor, ea auctoritate in scribendo valuit, vt eius nomine atque sententia, suam ipsi, qui post secuti sunt, confirmarent, vt ceteris firmiorem, hocque de Roma Itali filia quæ Romam condiderit, contra ceteris infirmior sit, quin potius inter fabulosum recensеatur, vt supra paullo è Plutarcho docui; repugnetque iis quæ vere Fabii Pictoris sententia est; dic, amabo, qui nam verus hic Fabii partus existimari potest?

En alterum argumentum, quo in alia omnia discedere cogor: Fabius Pictor hic suppositicius, Italum refert omnem eam oram Italiam appellasse quam Tiberis ambit fluvius, sublatis priscis appellationibus: & hanc priscam Italiam nominari. Pugnant enim cum iis quæ à Geographis memoriæ prodita sunt, ceteriſque omni exceptione maioribus scriptoribus: vt copiose à nobis traditum memoria teneo in Chorographia, cum de Italia verba faceremus. Pugnat & cum Dionysii Halicarnassæi sententia, qui Italiam antiquam nuncupatam ait, intra sinus Nepetinum, & Scylaticum duntaxat: cuius verba, sed Latine apposui: Italia *post aliquod tempus vocata est à Viro præpotenti nomine Italo. Hunc vero bonum sapientemque fuisse Antiochus Syracusanus dixit: atque aliis finitimorum oratione persuasis, aliis vi adactis terram omnem ditionis suæ effecisse quantacunque intra sinus Nepesinum, & Scylaticum esset, eamque primo vocatam esse* Italiam *ab Italio:* Et post extremo libro: *Ait enim regnante in Italia Margete. Erat autem tunc Italia à Tarento, vsque ad Posidoniam maritimam.* Sic & Aristoteles censet libro VII. Politicorum. *Tradunt*, inquit, *periti homines illorum locorum, fuisse Italum quondam Oenotriæ regem, à quo mutato nomine pro Oenotris Itali sunt vocitati: oramque illam maritimam Europæ, quæ est inter Scylaticum & Lameticum sinum (distant vero hæc loca iter semidiei) Italiæ nomen pri-*

more recipisse. Consentit cum his & Strabo. Antiochum enim refert libro, quem de Italicis rebus conscripsit, prodidisse Italiam antiquam dictam quæ Oenotria vulgo appellabatur: cuius tantum descriptionem ille reliquit. Fines vero Oenotriæ idem Strabo, initio lib. quincti Geograph. hos ponit. *Post infimas*, inquit, *Alpium radices eius quam hac ætate Italiam vocant, initium est. Namque maiores Italiam, quæ ab Siculo freto, vsque in sinum, hodie Golfo di Tarento: Tarentinum, & Agropolitanum etiam vocant vulgo, Pestano, & Golfo de Squilache iuxta Tarentinum sinum Posidoniatem progressa est; Oenotriam appellabant.* Hi duo sinus Lucanos continent, & Brutios: illi hodie, *prouincia Basilicada*; hi *Calabri* appellantur inferiores: vt superior, quæ olim Magna Græcia dicta. Hic noua Oenotria, vetus enim angustioribus terminis comprehendebatur. teste eodem Strabone, ex Antiochi auctoritate. *Item antiquius Oenotros & Italos solos appellatos fuisse dicit, qui intra Isthmum ad fretum Siculum vergunt. Est autem Isthmus ipse, id est, inclusa terra pelago, stadiorum* CLX. *intra sinus geminos Hipponiatem scilicet, quem Antiochus Napitinum dixit, & Scylaticum alterum.* Quæ quidem ora omnis Scylaticum inter sinum, (qui hodie corrupta paululum voce Golfo de Squilache est) & Hipponiatem, qui & vulgo, Golfo dela Mancia, vel Sanctæ Eufemiæ appellatur, interiacet. Sed hac tota de re copiosius in Chorographia, cap. de Italia, disserui: supersedendum itaque & hoc agendum. Si Dionysius itaque & Strabo, ex antiquorum sententia priscam hanc esse Italiam dictam, qua, quæso, fronte Pictor hic fictitius, Tiberim circa, omnem regionem sic appellare audet, ceteraque exstincta esse nomina ab Italo, affirmat? Denique si Dionysius idem Halicarn. ceterique Geographiæ scriptores, tanti Fabium Pictorem fecerunt, quanti supra ostendimus, quare non & hac in re auctoritatem eius secuti sunt, imo è diametro pugnant? Mentionem saltem fecisse oportebat, vt fieri solet cum scriptori alicui repugnant, & in alia omnia discedunt, manibus, pedibusque: Lectori vt ratio constet, cur à tali tantoque scriptore discesserint, quem, alias frequenter amplexi laudarunt iis ipsis in libris. Plinius vero, cur in Geographicis hanc Fabii Pictoris sententiam silentio præteriit? qui negat & ipse oram Tiberi proximam, vt hic vult, priscam Italiam esse nuncupatam.

Addam & illud priusquam finem faciam, argumentum, ab inscri-

inscriptione libelli ductum: quæ est De aureo secvlo, et origine vrbis romae. Qui sane titulus magnum volumen postulare videbatur: at hic exilis libellus, vix paginam vnam implet: quæque narrat alibi collocari & inseri poterant, nec aureo hoc & speciosо titulo digna videntur: non secus atque ædium inscriptarum titulus aureis litteris fallens prætereuntem, qui & inaurata laquearia, parietes, & columnas animo præcepit: ingressus vero rimosam, & ruinam minantem domum repperit, vtque in arte Poetica canit Horatius:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

In quod incidisse vitium Q. Fabium Pictorem, vt credam, nondum à me impetrare potui.

Nec libellum hunc Q. Fabii esse, eius quem Græce scripsisse supra admonui, caruitque Pictoris cognomento, vel ex eo intelligi potest, quod cum hic de vrbis Romæ origine scriberet, tempus conditæ vrbis adscripsit, teste Dionysio Halicarnassæo, qui sic de Fabio libro primo Antiquitatum Romanarum. *L. Cincius, vir ordinis Senatorii Romam conditam ait anno quarto duodecimæ Olympidis: Q. Fabius anno primo octauæ Olympiadis.* At hic confictus Annii Fabius de vrbis origine, ad tempus quod attinet, ne verbum quidem: ex quo efficitur diuersos esse scriptores. Omitto styli rationem: qui veteri scriptore indignus est: in quo antiquitatis nec vola nec vestigium, quod dici solet, apparet: vt centones hinc inde consarcinati, & pannus potius in purpura esse videatur: adeo variant opiniones, quas prodidit, de Romæ conditoribus: ab Itali enim filia Roma Romam appellatam: quæque de situ priscæ Italiæ nugatur. Fecit tamen tanti has nugas Ioannes Annius, quanti, alii Platonem & Aristotelem merito æstimant; aut eas, quæ temporis iniuria perierunt, T. Liuii Decadas, quas incredibili desiderio è tenebris in lucem reuocatas eruditi homines exoptant: vt & Menandri Comœdias, à Terentio Latino Comico maximam partem expressas. Certe non erant tanti inepta illa fragmenta, quæ tam laboriosis, nihilque profuturis Scholiis Annius onerare deberet: protrita enim sunt passim-

Q. Fabius.

que omnibus obuia, quæ de Vrbis Romæ origine, aureoque sæculo litteris consignauit.

De ceteris, qui eiusdem farinæ, eodem libello circumferuntur, (præter Berosum Chaldæum, Manethonem Aegyptium, & Porcii Catonis origines, & Q. Fabii Pictoris de vrbis Romæ origine libellos: quos esse supposititios partus iam docuimus) Myrsilo, inquam, Xenophonte de Æquiuocis, C. Sempronio, Metasthene, (quem Megasthenem appellasse opportuit,) quid sentiam, sic habete. Nihilo illis esse meliores. Quare si quis refellere volet, atque vt fictitios iugulare animum induxerit, viam monstraui, rationemque ostendi, nullo vt negocio confici res queat. Æquus Lector, hæc boni consulat, erroribusque veniam det: præter enim publicum commodum nihil hic spectaui: nec enim animi perturbatione, odio, vel inuidia, ad iudicandum de his Scriptoribus accessi, sed vt quorundam minueretur opinio, qui nimium Annii somniis tribuunt, & ex his lutulentis fontibus Italiæ Hispaniæque Annales, magno errore, iudiciique inopia, tanquam à capite arcessere cœperunt.

FINIS.

ELOGIA
ET
NOMENCLATOR
CLARORUM HISPANIÆ SCRIPTORVM,

Qui disciplinas omnes illustrant.

TOMVS III.

CONTINENS CLASSES V.

DIVERSARVM NATIONVM THEOLOGORVM, IVRECONSVLTORVM, MEDICORVM ac denique Philologorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CLASSES V. DIVERSARVM HISPANIÆ NATIONVM.

I. BÆTICORVM, seu Vandalusiorum. Pag. 447
II. Lusitanorum, seu Portugalensium. 470
III. Carpetanorum, seu Toletanorum regnorumq; veteris ac nouæ Castellæ. 534
IV. Celtiberorum, seu Arragonensium, & Gotalanorum; item Balearium. 587
V. Valentinorum. 602
Corollarii vice ITINERARIVM ex Hispania, per Galliæ oram Romam versus. 624

REVE-

REVERENDO PATRI IOANNI MARIANÆ DE SOCIETATE IESV.

NARRO tibi, mi Pater, Annales Hispaniæ tuos cupide legi, eo cupidius, quo minore forma trans Pyrenæos nuper exierunt, etsi libellus vnus Gallos διηγήσε & ἔνεκα ἐστὶν ἐκπλήξει & turbarit nonnihil, sed vt fit, eo magis expetetur, nam

Nitimur in vetitum semper cupimusq; negata.

Cumque scriptores *Hispanos* studiose quæri atque inuestigari à Typographis obseruatum esset, libenterque typis adornatos foras dare, collecta elogia sunt, scriptorumque nomenclator, quæ ad te, pro vetere nostra necessitudine mitto. Summa enim voluptate cognoscere auent omnes, vt te omnium minime fugit, qualis quisque fuerit, non modo qua corporis habitudine, ac forma, sed quo ingenio, qua indole, ac denique quales cuiusq; mores virtutene, an cum vitio cũiuncti. Et quoniam variant sæpenumero ingenia, cum temporum diuersitate, tum locorum varietate (incidunt enim tempora ac periodi, vt in Meteoris Aristoteles ait, cum ingeniorum tum virorum militarium, vt rari ac pauci interdum, nonnunquam plurimi ac frequentes gloria excellentes existant) idcirco habita hic quoque ratio; diuersarumque nationum Classes quinque instituæ, *Bæticorum*, *Lusitanorum*, *Carpetanorum*, *Celtiberorum* ac denique *Valentinorum*: quæ *Valentia*, vt Romæ vrbium dominæ ac reginæ nomine respondet, sic & eius est eloquentiam in primis apud Iberos amplexa. Sed hæc tu melius, qui vt doctrina, sic & iudicio in scriptis vales. Narro & illud inuitus, incidisse me nuper in *Annales* cuiusdam cetera Augustos, nisi aduersariæ partis fideique hostes etiam obscuros quosque tantum non laudibus in cœlum tolleret, cœloque dot a et pestilentis cathedrę atque irrisorum ministros, pontificios vero damnet, atque Hispanos potissimum vituperet: quo penes tamen (si verum fateri homo peregrinus debeo) ea laus fuit e-

ritque semper, vt summi hic Philosophi ac Theologi veræ ac Catholicæ fidei propugnatores præstantissimi reperiantur, diserti quoque vel inuidia iudice, vt Maldonati, Pererii, Osorii, Perpiniani, ceteri. Nam & Medicos ac Iurisconsultos hic reperiri vel muta Bibliothecarum pulpita, vel Typographorum officinæ clamitent. Quamobrem si votis proficeretur, qui contrà sentiunt, gentemque fortissimam iuxta ac pientissimam per nefas scripto violant, vtinam ii & Apostolicæ sedis auctoritatem, (quod in terris fidei caput est) non contemnerent, & posterorũ de se iudicium formidarent, cum, & vis bellica & liuor, cæcusque amor sui, ceteræque animi perturbationes decessérint; næ illi & pauciora scriberent, & cautius excuterent, aliisque censenda permitterent. Nescit enim vt vox missa, cum sint alata verba Homero, reuocari: sic nec semel emulgata sine dedecore atque ignominiæ nota retractari nequeunt. Ferax enim hoc seculum ineptorum, scriptorum, conuitiorum calumniarum, quisquiliarumque, vt vel Nundinarum Catalogi arguunt. Gratiis itaque litandum prudentiaque adhibenda, vt

Victurus genium possit habere liber.

Vale notque, vt soles, ama. Antuerpiæ Aduatiçorum.

PRIMA-

PRIMA CLASSIS BÆTICORVM, SEV VANDALVSIORVM.

Alfonsus Garcias Matamorus Hispalensis Rhetor, & Histor.
Antonius Nebrissensis Rhetor, & Historicus.
Barthol. Barrientus Granat. Rhetor, & Mathemat.
Benedictus Arias Montanus Hispal. Theologus.
Didacus Perez Valdinia, Theologus.
Gregorius Bæticus.
Gundisaluus Ponce de Leon, Theologus.
Ioannes Auila, Theologus.
Ioan. Genesius Sepulueda Cordubensis.
Ioan. Latinus, Æthiops Granata, Rhetor.
Ioan. Mallara Hispal.
Ioan. Ramirez, Ecclesiastes.
Ludouicus Auila Nob.
Michael & Paulus de Palacios Granatt. fratres. Theologi.
Petrus Mexius Hispalensis Nob.
Sebastianus Foxius Morsillus Hispal. Philosophus.

ANTONIVS NEBRISSENSIS.

AELius Antonius Nebrissensis Antiquariæ in Bętica natus, quæ Nebrissa vulgo putatur, honestis parentibus, quos & carmine celebrauit. Adolescens in Italiam disciplinarum parentem adnauigauit, ac Bononiæ, in Hispanorum collegium, Ægidii Albornotii Card. & Archiepiscopi Toletani liberalitate genti suæ excitatum adoptatur. Hic studiis humanioribus operam gnauiter dans, non tam Iuris ciuilis scientiã, quam Latinam linguam (qua nimis diu patriam, barbarorum armis afflictam, carere dolebat) gratus ciuis inuexit, profligataque ingenti contentione barbariæ, Latini sermonis puritatem, qua olim Hispani floruerant, instaurauit, hoc trophęis merito inscripto elogio:

Barbariæ pulsa posui hæc ANTONIVS *arma.*

Igitur Salmanticæ primum Latinam linguam annos ipsos octo & viginti publice professus est: habuitque quotannis ex instituto Academiæ illius Relectiones, seu, vt Iureconsultorum verbis vtar, Repetitæ prælectionis scholas, quibus annuum pensum persoluendo, laboris ratio iis, quorum intererat, reddebatur. Sic & IC^os ipsos vt Didacum Couarruuiam, & Martinum Doctorem Nauarrum; Theologos vero, Franciscum Victoriam, & Melchiorem Canum, Dominicanæ familiæ sodales, ac professores, edidisse ibidem *Relectiones*, *Repetitionesque* animaduertas. Antonii autem nouem in huiusmodi Relectiones in Hispania diuulgatæ, de Analogia disputant, & accentu Hebraicorum nominum: de numeris item, ponderibus, ac mensuris. Post vero Complutense Gymnasium Franciscus Ximenius, Toletanus præsul, regio sumptu exstruxit, euocatoque liberali stipendio Antonio, eloquentiam de superiore loco docuit, natamque recens Academiam facundus homo exornauit, vt copiose se testatur Aluarus Gometius lib. 4. vitæ Franc. Ximenii: ediditque *Rhetoricas præceptiones*, ex Aristotele, Tullio, Fabioque. Quemadmodum *Grammaticam artem* versibus, scholiisq; Salmanticæ euulgarat, eaq; ad hanc diem apud Hispanos Regũ indulto obtinet auctoritatem, vt sola illa regnarit auditaq; fuerit. Neq; id immerito q. primus ille in patriam Latinam linguam, tanquã in coloniam duxerit. Mox Ca-

Catholicorum Regũ beneficio, Historicus renuntiatur salario non pœnitendo: scripsitque, rerum à Ferdinando, & Isabella Catholicis Regibus gestarum decades duas, totidemque libros belli Nauarri: sed stylo plane humili: siue quod seni iam demandata ea scribendæ Historiæ prouincia est; siue quod morte interceptus polire non potuit. Rei materiã Ferdinandus Bulgarus sua vir lingua disertus, vernacule scribens suppeditarat. Eos libros Xanthus Antonii F. prælo typographico domũ translato edendos mox à patris funere curauit. Qui quidem Xanthus fuit Iureconsultus egregius, causarumq; patronus aduocationem Granatæ in prætorio exercens, de iure cum gloria, vt accepimus, respondere solitus. Antonius autẽ in senio Hebraicæ peritus linguæ, & à sacris, vt Christianũ decet hominem minime abhorrens, Toletani præsulis iussu atque auctoritate, in Complutensibus illis Bibliis cum ceteris Hispaniæ doctissimis viris elaborauit, sibique priuatim scripsit *Quinquagenas tres*, hoc est Locorum S. Scripturæ capita quinquaginta. Verum quod noua ea res, & inusitata esset, vt Apologetica quadã ad Ximeniũ Card. oratione testatum reliquit, priores duæ pressæ sunt, hodieq; desiderantur. Tertia nuper edita Antuerpię emendatior vna cum Angeli Caninii Anglarensis, *De Noui Testamenti locis Hebraicis Cõmentario*. Senex admodũ laboribus exhaustus fere octogenarius anno, opinor, M.IↃ.XLII. vita decessit, de patria, siquis alius, omniq; adeo re litteraria optime meritus, viuetq; in scriptis immortalis, quorũ scriptorum syllabum subiiciam. Elogium erudito carmine, quod & ab Italiæ Criticis laudatum memini, scripsit eius in profitendo Salmanticæ collega Arius Barbosa, Lusitanus eruditissimus litteratorum eius æui.

Dircæo quantum Thebæ memorantur alumno,
Versus palladia cuius in æde micant;
Aut quantum Lesbos plectro spectabilis aureo
Exultat numeris docta puella tuis;
Culta suo tantum felix Nebrissa poeta
Bellerophontæis aruа rigauit aquis.
Miscuit hic sacris Tormis Permessidos vndis,
Barbaricum nostro reppulit orbe genus.
Primus & in patriam Phœbum, doctasque sorores
Non vlli tacta detulit ante via.
Pegasidumque ausus puro de fonte sacerdos
Nostra per Ausonios orgia ferre choros.

Ore potens vario est, seu condit amabile carmen,
Dulcior Andino defluit ore liquor.
Seu velit orator lingua dixisse soluta,
Eloquium dices hoc Ciceronis habet.
Ipse triumphali redimitus tempora lauro
Viuus sydereas incipit ire vias.
Viuet in æternum, viuet tua Musa, decusque
ANTONI *æthereus dum vehat astra polus.*
Hæc te fama leuat nullo interitura sub æuo:
Hæc facit vt volites docta per ora virum.

INDEX SCRIPTORVM.

Grammaticæ Latinæ lib. V. cum Scholiis.
Relectiones Salmanticæ IX. de lingua Latina.
Lexica, quæ vulgo Dictionaria Latino Hispanicum, Geographicum, & Iuris ciuilis.
Commentarii in Persii Satyras, in Prudentium, & Sedulium.
Dicta septem Sapientum, & Philosophorum, carmine cum scholiis.
Rhetoricæ præceptiones capitibus XXVIII.
Regum à Ferdinando, & Isabella Catholicis Regibus gestarum Decades duæ & belli Nauarri, lib. 2.
Quinquagena, seu quinquaginta locorum S. Scripturæ explanatio.
Cetera exilia sunt.

IOANNES LATINVS ÆTHIOPS.

Hic dum Mendozium Heroa Granatæ in ludum litterarium comitaretur, linguam Latinam eadem opera arripuit, vt iam inter cõmilitiones admirationi esset: & sane res stupenda Æthiopem Latinis excelluisse. Post manumissus, vt olim Romæ, qui Grammaticam profitebantur fere liberti erant, & Græci, qui patriciorum liberos erudiebant. Hic & Granatæ linguam Latinam publice profiteri cœpit, stupendo exemplo in cathedra nigrum hominem Latine loqui. Musicus vxorem bene dotatam nec ignobilem nactus est.

Scripsit *Austriados* libros duos Carmine Heroico scholastico, ad Pet. Dezã Granatæ præsidẽ ac militiæ præfectum de victoria nauali Ioan.

Ioan. Austriaci ad Echinadas insulas ann. 1571. parta Nonis Octobr. Item de *obitu Pii V.* Pont. Max. eiusque in Philippum studio. Memorandum & illud Illiberi diu multumque versatum, Nicolaum Clenardum Belgam, Arabicæque linguę perdiscendæ gratia inde in Africam traiecisse redeuntemq; cõscripta iam Grammatica Arabicè (vt antea Græca, Latina, atque Hebræa) exspirasse: Granatæ ibidem in Alhambra (vbi nunc arx est edito in loco) conditum: liberaliterque habitum, dum vixit, à Ludouico Mendozio Marchione Mondegari, Tendillæ Comite.

PAVLVS ET MICHAEL DE PALACIOS GRANATENSES.

THeologus hic Granatensis & Ecclesiastes in Lusitania egregius conscripsit breuem illum quidem, sed eruditum *in Matthæum Commentarium.* Lugduni 1569. Salmant. 1571. Alia quoque scripsisse fertur, *vt in Prophetas Minores.* Eius frater Michael de Palacios in libros 3. Aristotelis *de anima* Commentarium ingentem dedit: item in 3. libros magistri Sententiarum. Mirandum sane germanos duos in Philosophicis ac Theologicis vsque eo excelluisse, concionandique facultate, vt vter alteri præstaret, in ambiguo sit.

GREGORIVS BÆTICVS.

Iliberitanæ sedis Episcopus, quæ non procul Granata est de fide elegantem librum scripsisse, qui ea tempestate exstaret, auctor est in Catalogo B. Hieronymus cap. 5. & ex illo Honorius Augustodunensis. Edidit vero Gregorii huius nomine librum de *Trinitate & fide ad Gallam Placidiã Augustam*, nostra memoria Romæ Achilles Statuis Lusitanus, haustum vt è Ferrariensi Bibliotheca. Verum falsus ipse, fefellit & alios. Iam enim in Orthodoxographis apud Germanos liber ille exierat, sed Faustini Episcopi Regiensis nomine contra Arrianos: & mirere magis pudibundo sane errore Lutetiæ Parisiorum in Bibliothecæ SS. Patrum altera editione Tomo IV. vterque libellus nunc Gregorii nunc Faustini nomine ad verbum repetitus legitur, nisi quod alteri epistolium præfixum. Dormitarunt nimirum aut operæ, aut qui operas corrigunt, dum eadem geminant.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTVS ARIAS MONTANVS
Hispalensis.

THeologus hic Sãctæ linguæ in paucis peritus, ac poeticæ. à Philippo Rege Catholico in Belgium missus Albano Duce moderante, vt Complutensia Biblia elegantius excudenda typis ac sumptu regio curaret: quæ res æmulos illi comparauit: oblatrantibus & arrodentibus, vt fit, linguarũ imperitis: vt ad causſam Romæ dicendam non semel proficiſci sit coactus: oppugnante inprimis Leone Castro Cañonico Pintiano, cuius vastus exstat in Esaiam è Græcis Patribus commentarius. Episcopatum sæpe oblatum inuidiæ declinandæ repudiauit. Sacerdos ipse, militaris ordinis equestris S. Iacobi, pusilla statura, quiq; ab esu carnium tota vita abstinuit. Obiit in patrio secessu rupis, quo se, vt vinus morienſque lateret, abdiderat. Plantini fere typis, cui erat cariſſimus, edita, quæcunq; in vtriusque libros Testamenti partim paraphrasi, partim versibus est commentatus.

Monumenta humanæ salutis; in quibus figuræ bibliorum æneis typis expressæ sunt.

Liber Generationis & Regenerationis Adam siue de historia, generis humani.

Hymni & sæcula.

Psalmi Dauidis & aliorum prophetarum in Latinum sermonem conuersi, cum argumentis & elucidationibus vario carminis genere.

Dictatum Christianum perelegans.

Elucidationes in 4. Euangelia, & in Acta Apostolorum.

In duodecim prophetas minores commentaria; & in Esaiam.

De optimo imperio, siue in librum Iosuæ Commentarius.

De varia republ. siue Commentaria in librum Iudicum.

In 30. priores Psalmos Commentarius.

Apparatus in Biblia Regia Tomis tribus, quæ vno Tomo Franc. Raphelengius Lugduni Bat. excudit, titulo de Antiquitate Iudaica, lib. 11.

Rhetorica eiusdem carmine in 8. & Poemata eiusdem sacra in 16. typis Plantini.

SEBA-

SEBASTIANI FOXII MORSILLI HIſpalensis vita, è scriptis eius collecta.

NAtus Hispali circa annum Christi octauum & viceſimum supra milleſimum & quingenteſimum, quantum è libro illius, *de iuuentute* colligitur. Nobilis autem vt in Gallia, sic & in Hispania Foxiorum gens, quæ cum Gothis Italia pulſis in Aquitaniam primum (vbi & Foxii ſumma cum gloria diu imperarunt) poſt in Hiſpaniam Tarraconenſem mox in Bæticum migrans, temporis progreſſu Hiſpali ſub Ferdinando V. Hiſpaniæ Rege conſedit. Sebaſtianus admodum adoleſcens litteris in patria egregie tinctus, quibus à puero deditus fuiſſet profeciſſetque plurimum, Philoſophiam ad quam natura rapiebatur, hauſit; eamque M. Tullii exemplo, Latinis litteris illuſtrare, animum duxit iacentem ea tempeſtate, ac barbarie inquinatam; vt è Seuerino Boetio conſolari ſeipſa merito cum poſſet. Belgium itaque diſciplinis iam ingeniiſque, Caroli V. Cæſaris imperio ſatis florens cogitabat, Louaniumque Brabantinorum in Academiam venit, & ad Petri Nannii Eloquentiæ in trilingui Gymnaſio doctoris ſe amicitiam applicuit, cum quo *de Hiſtoriæ præſtantia* diſſerendo ſcribendoque profecit. Hinc vſus familiariter eſt Cornelio Valerio, qui illius cathedram excepit, & diſciplinarum illum orbem, quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν nominant, Latine & eleganter ſcripſit: vt & *de morum Philoſophiæ parte* principe breuiter diſſeruit, quæ Hiſpanus homo fuſius tribus libris expoſuit, *Phyſicas* quoque *præceptiones* è Platonis & Ariſtotelis ſenſu quos conciliare poſt Alcinoum & Platonem conabatur, & è ſanctorum Patrum, qui in Hexaemeron Græce Latineue ſcripſerunt decretis, libris quinque tradidit. Profecto maturi admodum ingenii fuit atque iudicii, quod cum alii videre aliquid in litteris incipiunt, tunc ad grauiora ſtudiia animum ille appelleret. Philoſophiæ enim humanæ, ſacram illam, vt ſcientiarum dominam ſubiunxit. Vix annos natus vndeuiginti, vt de ſe libro *de Iuuentute* teſtanti credimus, Paraphraſin & Scholia in M. Tullii Topica poſt Boethium non modo ſcripſit, ſed & euulgauit anno eius ſæculi quinquageſimo: rudia illa quidem, ſed quæ indolis bonæ eſſe argumento poſſent. Poſt in Platonis Timæum Dialogum perdifficilem ætatis quarto & vice-

simo Commentarios edidit: tum de Ethica Philosophia libros tres, hinc de Physica, seu de Platonis & Aristotelis consensione, libros quinque qui Louanii primum anno 1554. exierunt. Annum agens XXVIII. de Dialectica exercitatione, deque vi Demonstrationis, ac de Iuuentute, & Gloria opuscula in apertum protulit. Quo tempore nihil senile, maturumue in illo desiderares. Fratrem habuit Franciscum litteris quoq; deditum cui libellum *de Philosophici studii ratione* inscripsit,& *de Imitatione* cum illo inducto Gabriele Emuesia, homine erudito, disseruit. Gratus etiamnum adolescens, caruscque fuit ob singularem eruditionem, quæ ætatem transierat, Hispaniæ dynastis, quibus singula fere ingenii monumenta inscripsit; ratus, quod res est, viris principibus placuisse, teste Flacco, non in infima, esse parte ponendum. Igitur euocatus honoris gratia in Hispaniam, procerum suasu à Philippo II. Hispaniarum Rege, vt Caroli filii regnorum heredis, studiis præesset, nauem vbi conscendit, ortain Oceano ingẽti tempestate, naufragio, & in ætatis, heu, flore, periisse fertur, magno sui ob singularem doctrinam, relicto desiderio, exspectationeque monumentorum ac lucubrationum, quibus nomen cum omni posteritate adæquasset.

Nos eius Cenotaphio libentes dicauimus hoc elogium, scriptaque vt naufragii tabulas collegimus.

Ante diem quid me raptum lugetis amici?
Fallor? an ingenium docta per ora volat?
Cœlo animam condis, doctis tua scripta Sebasti
Committis, corpus quis tenet? Oceanus.
Spiritus astra tenet, Morsilli scripta diserti
Tellus: corpus vbi est? heu, rapit Oceanus.

INDEX

INDEX SCRIPTORVM,

SEBASTIANI FOXII MORSILLI Hispalensis.

PHILOSOPHICA.

DE imitatione, seu informandi styli ratione, lib. 2.
De Historiæ institutione Dialogus.

LOGICA ET PHYSICA.

De studii Philosophici ratione Libellus.
De vsu & exercitatione Dialectica, lib. 1.
De Demonstratione, eiusque necessitate ac vi, lib. 1.
In Topica Ciceronis Paraphrases & Scholia.
De Natura Philosophiæ, seu *Platonis & Aristotelis consensione,* libri 5.
De Iuuentute, lib. 1.
De Honore, lib. 1.

ETHICA ET POLITICA.

De morum Philosophia, lib. 3.
De regno & Regis institutione, libri totidem.

IN PLATONEM COMMENTARII.

In Timæum seu *de Vniuerso.*
In Phædonem, seu *de animorum immortalitate.*
In decem Platonis libros de Republica.

ALFONSVS GARSIAS MATAMOROS *Hispalensis.*

RHetor hic Compluti claruit facundia deque *ratione dicendi præceptiones,* non viua modo voce reliquit, sed quo posteritati viuus etiam interesset, atque à funere superstes maneret, scriptis etiam mandauit, lib. 11. Edidit & *de formando stylo,* atque adeo *de instituendis concionibus* opusculum. Denique *de Hispaniæ Academiis, litteratisque viris* apologeticum pro asserenda Hispanorum eruditione ad M.

Tullii in Bruto, qui de claris est oratoribus, imitationem composuit. Nefas itaque duxi silentio hic eum præteriri, quin prædicatione dignum ac laude, qua ciues ille suos disertim ornasset. Senex articulari est morbo conflictatus, vt refert Aluarus Gometius lib. 4. de vita Franc. Ximenii: dicendi tamen gloria cum æqualibus, in his Ambrosio Morali collega, contendisse in theatro est visus. In eius laudem Benedictus Arias Montanus Hispalensis & ipse hic lusit.

Fœcundo nuper Matamoros fonte fluebat
Dum culto, iuuenes imbuit eloquio:
Atque è saxoso dum falcifer Henarus amne
Audiit hunc, læta fronte superbus erat.
Non tulit ipse pater Bætis, qui miserat illum
Priuarique isto munere se doluit.

IOANNES MALLARA HISPALENSIS.

ORatoriæ hic perstudiosus, Salmanticæ litteris operam nauans, Barcinonem in extremam Hispaniam profectus audito dicendi fama ibi vigere Franciscum Scobarium Rhetorem ac medicum insignem, cuius etiam *in Aphthonii Sophistæ Progymnasmata*, Latine ab illo eleganterque conuersa *scholia*, euulgauit. In patriam redux poeticam popularem excoluit, ediditque vernacule ingens *Adagiorum* volumen, commentario explanatum post Ferdinandi Pintiani prouerbia, Salmanticæ edita.

BARTHOLOM. BARRIENTVS GRANAT.

GRammaticus hic perpetuus Salmanticensis Academiæ: quamquam non vsquequaque tersus ac purus. Mathematicis vsque eo deditus, vt magicæ superstitionis notam vix effugerit ac diluerit. Scripsit libellos nõ magnæ rei *Grammaticam*, *Syntaxin*, *Limam barbariei*. *Synonima Latina: Syluam Annotationum*, seu *Lectionum variarum*, *in Somnium Scipionis M. Tullii*, *commentarium*: vt & *in Historiam Aphrodisii expugnati*, *auctore Christophoro Calmelo Stella Scholia*. Floruit anno 17c.

PE-

PETRVS MEXIVS EQVES HISPALENSIS.

HIstoricus hic ac Mathematicus, sermone scripsit, at populari Cæsarum omnium iam inde à Cæsare Augusto res domi foriſque præclare gestas. *Variarum* item *libros quinque*, variæ doctrinæ, in quibus, Æliani exemplo *παιδικῆς ἱστορίας* narrationes, sed paullo diffusius, historicas, ethicas, ac politicas commemorat: qui libri vt eruditionis pleni omnium pene gentium linguis extra Latinam nunc leguntur Italice, Belgice, ac Germanice. Galli etiam libris aliquot additis, nimium quantum auxerunt. Composuit *& Dialogos de Elementis*, quæque in sublimi generantur, & Meteorologica Physici nominant. *Laudes* item *asini*, Luciani atque Apulei vestigiis insistens cum sale ac facetiis lusit. Carolus V. Cæsar cum scribendæ historiæ Regio titulo cohonestauit. Instar amnis leniter labentis in historia sedatus fluit, fidelis, ac valde circumspectus: & quodammodo, vt de Messalla Fabius refert, præ se ferens in dicendo nobilitatem.

LVDOVICVS AVILA.

PLerosq; æqualium pura, & illustri breuitate præcurrit clarissimus vir *Ludouicus Auila* domi nobilis: qui lectissimã illam elegantiam, quæ fuit in Iulio Cæsare quondam maxima, & nomen quoque ipsum *Commentariorum*, conscripta nuper Hispanico idiomate *de victoria Germanica*, Historia, sola fere est imitatione consecutus. Natiuis etenim, & maxime propriis, & vrbanis vtitur verbis, quæ quamuis domestica, vt Caius Cæsar, consuetudine imbibit: tamen vt esset perfecta hæc loquendi laus, multis litteris, & his quidem reconditis, summo studio & diligentia, dum in aula versaretur, etiam obtinuit. Hos ipsos etiam Commentarios Latinos fecit Malinæus, Dunckercanus Belga: quibus & Lamberti Hortensii rerum Germanicarum Commentarios, qui cõiunxerit, næ ille studiis bonam nauarit operam.

IOANNES AVILA.

IOAN. AVILA Theologus & seculi sui Ecclesiastes summus, si vtilitatem spectes in disseminando Dei verbo, ne inter spinas cadens suffocetur. Natus hic Almodonari vico ignobili, diœceseos Toletanæ. Philosophiæ operam dedit Compluti Dominico Soto summo ea tempestate ex Dominicana familia, & Philosopho ac Theologo. Nondum absoluto Philosophiæ curriculo, parentem vtrumque amisit: quibus, cum primum sacris initiatus est, parentauit, iustaque persoluit, sacrorum offerens primitias: vt quibus vitam secundum Deum deberet, his si posset, pius sacerdos, redderet. Artium curriculo æquales omnes facile superarat; cum acumine ingenii, tum morum honestate præceptori vnice carus. Viderat enim præstantis vir ingenii magni alicuius in Ecclesia viri specimen in eo elucere, igniculosque emicare, & ex indolis bonitate spem ipsam, etsi res nondum appareret, laudari amarique debere. Cōmilitonem habuit Petrum Guerreram, qui post Archiepiscopus Illiberitanus, in dignitate illa constitutus, eius amicitiam non fastidiuit. Viri huius summa pietas, innocentia, & integritas, quæ nimium quantum ad dicendum & persuadendum vim adferant, enituit. Qui etiam odor in scriptis remansit. Vt enim innumerabiles verbi diuini præco, Deo plenus, vel à peccatis retrahebat ad mentis sanitatem, vel nutantes firmabat, tristes consolabatur, cadentes erigebat, nimium sibi fidentes, terrebat metu mortis, extremique iudicii, quibus omnes impellebat, & tanquam reti pleno nauiculam Petri implebat; ita & scriptis cum omni posteritate loqui voluit: edito sua lingua Commentario doctissimo iuxta & pientissimo in Psalmi 44. verium illum: AVDI *filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* In quo multa vtilia pio lectori de tribus vitæ humanæ hostibus acerrimis, mundo, carne, & dæmone, & quibus armis obsisti his queat, qua panoplia armari debeat, de fide Catholica: de sui cognitione, & spirituum discretione: de precatione & meditatione: de Dei amore, & proximi, & sui odio. Peccatum inducere summam animæ deformitatem, à qua nos Christus exceptis corpore plagis, vulneribus, cruciatibusque lauit. Adhæc *Epistolæ* plurimæ pietatis plenæ non de rebus humilibus, aut familiaribus, sed consilia, consolationes saluberrimæ, vt in aduersis non deprimamur, nec secundis extollamur: in quibus epistolis cum alia innu-

innumerabilia quæ lectorem, si vtilitatem spectat, alliciunt & retinent; lectæque iterum inuitent; (expertus loquor) tum vero maxime optimi verbi Dei præconis, & euangelicæ prædicationis exemplum viuis coloribus ita depingit, nullum vt in eo genere fingi possit perfectius. Vt enim viuus munus hoc explebat optime; sic & fidis ea chartis credidit, quæ longo rerum vsu, Deique spiritu didicerat, animæ flagitiis inquinatæ iuuandæ esse vtilia. Sed quid mirum? Cum & optimum cōcionatorem D. Paulum gentium Apostolum, vasque electionis ad imitandum sibi proposuisset, quem vt nunquam de manibus deponendum esse familiariter suaderet, ita ipse ediderat. Spirant enim litteræ illæ D. Pauli zelum animabus Deo lucrifaciendis. Verum singulas eius virtutes sanctimoniamque non mihi propositum hoc loco referre, præsertim cum Ludouicus Granatensis vir religione doctrinaque insignis cumulate id præstiterit: qui eo, dum vixit, vsus est familiari. Vt Xenophon in Cyri pdia perfectum principis exemplum; ita hic optimi Ecclesiastæ verbi Dei proposuit: diuersa tamen ratione, quod ille de suo, multa adiecerit, vt qualem esse principem oporteret, eius ideam repræsentaret: hic tantum abest, vt de suo adiecerit, vt cum multa diserte & ipse dixerit, omiserit non pauca, quæ litteris comprehendi non possint. Magna in dicendo scribendoque ἐνεργία, vis, atque efficacia: vt, quæ velit, persuadeat, sensus rapiat, extraque se ponat, nec doceat solum, sed & delectet, flectat denique ad omnem impetum. Summa sermonis venustas, quia verborum affectatio abest, & perspicuitas maxime elucet: quæ prima orationis laus est Oratoribus. Christiana vero eloquentia est ab animo profectæ non in labiis natans, ad ostentationemque, vel inanem gloriam captandam, plaususque imperiti vulgi comparata, sed communem vtilitatem salutemque animæ vnice spectans. In vita autem comitas illi modestiaque: de se sentiebat abiecte: quæ virtus ethnicis ne fando quidem audita, nedum cognita. In sermone risus dissolutus aberat, & dicteria. Scommata ne auditu quidem. In vultu maturitas, cum grauitate hilaritas iuncta, quæ conscientiæ bonæ argumenta erant. Assidue hoc prædicandi officio fungens, nulla spe quæstus, aut gloriæ, & in summa, quam tenuit, inopia & indigentia rerum omnium, Bęticam omnem Dei verbo tanquam tuba personuit, vt *Bæticus concionator* appellaretur, hocque nomine notior esset Hispanis. Sacerdotes aliquot pietate dediti huic se adiunxerant: hos ille Theologiam vitæque sanctitatem docuit, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum summa paupertate Christum sequi. Multa opera pia in Xenodochiis assidue viuus præstitit. Iam quinquagesimum ætatis annum tot laboribus indefessus ærumnisque excesserat, ecce senectutis comes morbus dolorque immensus, quibus ad duodeuiginti annos mire excruciatus, patientiæ omnibus singulare exemplum, dedit. Stomachi imbecillitate ex studiis concionibusque contracta, partim hepatis, partim articulari ac nephritide, aliisque doloribus actis in brachiorum crurumq; commissionibus eruciabatur. Tandem accessit his omnibus dirior febris, quæ eo illi molestior erat, vt aiebat, quod nullum tempus amicorum officiis consiliisque relinqueret, vt reliqui morbi, quibuscum pacisceabatur ad horas aliquot vt cum decessissent, amicis pauperibusque, & sociis operam dare posset. Vincula pertulit & carceres, calumniis æmulorum circumuentus, sed innocens suffragiis Censorum fidei declaratus, Hispali ad dicendum conscendit. vtque pro calumniatoribus Deum orarent, hanc vt illis noxam remitteret, precabatur maximam, quę ad tam rarum spectaculum confluxerat, auditorum coronam. Recte enim Seneca: *Si nullos sibi inimicos facit iniuria, multos facit inuidia.* Concionatus est Hispali & circum circa annis nouem, iussus ab Archiepiscopo Alfonso Manrique ibi hærere, cum in Indiam cogitaret, animo colligendi magnam messem, vbi pauci essent operarii; flauæ tamen ad messem segetes exsisterent. Concionari cœpit ab anno ætatis 28. Cordubæ, vbi præstantium est ingeniorum copia, ibique & Theologiæ scholas habuit. Hinc Granatæ annos aliquot, gratus Caspari Avalo, Archiepisc. homini sanctissimo. Mox à stigi & Vatie (quæ vulgo Baesa) vbi sacerdotum collegium, vt & alibi, instituit. Inde excitata est Academia ingeniis florens; & Montillæ. Concionando nobilissimas matronas ita ad pietatem mouit, vt virginitatis florem Deo sponte consecrarint. Antonio Cordubæ Marchionis Pliegi filio auctor fuit vt Societatis IESV institutum sequeretur: in qua dum vixit, cupide de precando Deo verba faciebat. Suasit & Iacobo Guzmano Baileni Comitis F. vt eandem vitæ viam insisteret: qui post in Italia Sociis aggregatus primis fidei rudimentis pueros libentissime imbuebat, ratus nobilissimum id, quod res est, munus esse sacerdotis, inuitante Christo: *Sinite*, inquit, *paruulos venire ad me. Istorum est enim regnum cœlorum.* Reliquos duos de innumerabilibus insignes eius discipulos Ioannem Ramirez, & Ludouicum Granatensem

tensem infra commemorabo. Annos iam septendecim cum morbo conflictatus, *Auila*, summa tolerantia in doloribus grauissimis, cum meta instaret, periculose ad medicorum desperationem laborans (qui iam horam esse nunciabant, cum verum dicere amicos, si veri & esse & haberi velint, oporteret) Deum rite precatus, tendens in cœlum manus atque oculos, Virginem Deiparam vatis Hieremiæ verbis propemodum vsus, sic appellauit: *Recordare, Virgo Mater, dum steteris in conspectu Dei, vt loquaris pro nobis bona.* Susceptis itaque magno desiderio, Eucharistiæ, extremæque vnctionis sacramentis, rogatus à Marchione Domina, quid fieri sua vellet caussa? Missæ, ait, officium frequenter offerri: &, vbi corpus condi vellet? in Collegio Patrum Societatis IESV, respondit. A cuius Rectore, qui tum forte aderat, cum diceretur: Multas iam, Pater, consolationes diuinas moribundus experiris. Quinimo timores, inquit, pro peccatis. Idque mirum videri non debet, si Hilarion apud Hieronymum, si Arsenius, & Agathon, viri sanctissimi, & in eremo asperrimæ vitæ cultores in mortis agone trepidarunt. Timuit & Iob, monetque Siracides: *Serua timorem Dei, & inueterasce in eo.* Salomon quoque: *Beatus homo qui semper est pauidus.* Assidue itaque in ore habens, IESV MARIA, Crucis signum exosculatus, paulo antequam exspiraret, Deum perpetuo inuocans, spiritum reddidit, anno CIↃ. IↃ. LXIX. decimo die Maii, qui dies in Fastis sacris Iobo festus est: quem singulari est, dum vixit, patientia imitatus: qui & Epiphaniæ festo vitalem primum auram hauserat. Vt quemadmodum stella Magos ad Domini præsepe duxerat; sic & ille Verbi Dei lumine in Ecclesiam peccatores reduceret. Elatus omnium ordinum & Religionum piis lacrymis, qui socium, & vineæ Domini cultorem inuiserant, sepultusque Montillæ in Bætica, in Societatis IESV æde sacra, cum annum attigisset fere septuagesimum.

Hieremiæ 28 v. 20.

Eccles. 27. Prou. 28. v. 14.

1569.

Vbi hoc eius Epitaphium legitur.

MAGISTRO IOANNI AVILÆ
PATRI OPTIMO
VIRO INTEGERRIMO
DEIQ. AMANTISSIMO
FILII EIVS IN CHRISTO
POS.

Magni AVILÆ *cineres, venerabilis ossa Magistri*
Saluete extremum condita ad vsque diem.
Salue diue Pater, pleno cui flumine cœlum
Affluxit, largo cui pluit imbre Deus.
Cœli rore satur, quæ mens tua seuerat intus,
Mille duplo retulit fœnore pinguis ager.
Quas Tagus ac Bætis, quas Singilis alluit oras
Ore tuo Christum buccina personuit.
Te patri ciues, te consulturus adibat
Aduena, tu terris numinis instar eras.
Quantum nitebaris humi reptare pusillus,
Tantum prouexit te Deus astra super.

Ipse Lectori.

AVILA *mi nomen, terra hospita, patria cœlum:*
Quæris? quo functus munere? messor eram.
Venerat ad canos falx indefessa seniles,
Quæ Christo segetes messuit innumeras.

IOAN. RAMIREZ, ET ACADEMIA *Baesana.*

TAmetsi nullum hic ingenii monumentum litteris consignarit, quia tamen prædicationis eiusdem Euangelicæ vocibus etiamnum Hispanorum aures personant, idcirco præceptori discipulum subiungendum putaui. Quin etiam licet comites aliquot Christo adduxerit ad meliorem frugem Auila, sui tamen similiorem neminem,

nem, qui annos ipsos quadraginta concionando tota Hispania ita consumsit, nullus vt ad hanc diem eo in templis notior, omnium in ore versetur. Ad extremum vsque spiritum munus hoc summa alacritate sustinuit, vt cum vires ætate deficere solerent; in Ramiro ætate ingrauescente, magisque ardor dicendi increscere videretur: magno audientium stupore, quos suo ipse arbitratu, quo vellet, impellebat: quod præcipuum sit oratoris officium, non docere solum & delectare, sed flectere quo libeat. Diu iam mortalium piscator interris iactatus, vt laboriosam egit vitam; sic & exitum est lætum, Deo bene iuuante, consecutus. Ægrotans enim plenus dierum grauiter hebdomade, quam à Christi morte sanctam merito, maioremque nuncupat Ecclesia, cum feria quarta hostia salutaris pro viatico adferretur à sociis (Societati enim aggregari voluerat) *Delicia*, inquit, *delicia meæ* IESV: *itane eo ipso die, quo tu pro me, spiritum reddam*? quod & vaticinatus erat & postularat, voti compos fuit: cum & ea ipsa hora Parasceues, qua seruator in Cruce, exspirauit, feliciter, à laboribus requietem accepturus. Ludouici autem Granatensis elogium, cuius ex Hispanicis Commentariis Auilæ vitam deprompsi, quando alibi inter ipsius sodales recensui, non repeto: tantum de *Baesana Academia* pauca, vt ab Auilà primum inchoata. Tenui quidem orta principio, sed post excreuit Auilæ opera in immensum, dum eam omnem singulari vir pietate & doctrina Verbi Dei concionator lustraret, seminaque iaceret. Quippe qui magnum esse in eo momentum viderat, tenera vt ætas optimis imbueretur & moribus, & disciplinis. Igitur seminaria vbique instituenda curauit. Ex hoc tenui initio nata hic Collegia, adeoque Academia, quo ex omni illa prouincia confluunt frequentes studiorum alumni, qui doctrina virtuteque probata, Euangelium Dei annuncient in diœcesi Iaensi. Nam suos ille discipulos Granata euocauit, hicque frequenti concursu docuerunt. Vt vere Christus prouinciarit in Euangelica parabola, sinapis granum magnam ex se plantam proferre: auctoremque primum inquilini secundum Deum Auilam agnoscunt. *Matth. 13. Luc. 13.*

DIDACVS PEREZ VALDINIA BÆTICVS.

IOannis Auilæ & hic discipulus Ecclesiastes euasit insignis, ac Theologus professus annos amplius decem ad extremum vsque spiritum sacras litteras Barcinone: quam etiam vrbem concionib. ac discipulis impleuit. Scripsit Latine *de Concionandi ratione*: *Ascetica*

quoq; plurima, sed Hispane, in deuoti seminei sexus gratiam. de variis autem, prædicabat illud opus, quod inscripsit *Consilia eorum, qui se colligunt*. item *Summa institutionis Christianæ* cõcionibus aliquot succinctis comprehensa Coloniæ. Meditabatur opus ingens Latine de comparanda sapientia.

IO. GENESIVS SEPVLVEDA CORDVBENSIS.

IOANNES GENESIVS SEPVLVEDA Cordubæ honestis parentibus antiquo Christianorum apud suos genere, natus, anno Christi, vt opinor CIↃ. CCCC. XCI. puer liberaliter institutus, primisque litteris in patria est imbutus, ad quas natura se rapi genioque videbat. Complutum vero Carpetanorum frequentem Academiam (hodie *Alcala de Henares* a flumine nominatur) ad vberiorem ingenii cultum à parentibus tanquam ad mercatum mittitur: deditque operam in Dialecticis & Physicis Xantho Mirandæ, egregio eius ætatis Philosopho, ac Theologo, & acerrimo disputatori, vt solus pœne in scholis regnare putaretur. Decursis iam triennio Philosophiæ humanæ spatiis, ad sacram illam scientiarum dominam, animum conuertit, vt Ecclesiæ Dei vtilem nauare operam posset. Ne vero parentibus oneri esset amplius, vacaretque Bononiæ alumnis Hispaniæ locus, eo se non inuitus Sepulueda contulit, quo vt Philosophiæ, sic & Theologiæ culmen superare Deo bene iuuante, aliquando posset. Cuius de Collegii Bononiensis fundatoris Ægidii Carilli Albornotii rebusque domi, militiæ gestis, Latine & eleganter, rogatus à sodalibus, eo postea scripsit libentius, quo grati animi testificationem apud posteros exstare cupiebat ardentius. Adiecit & Collegii illius Hispaniensis originem, doctosque homines recenset, qui ad eum diem tanquam ex equo Troiano, inde prodiissent. Totum hic se Theologicis studiis ac S. Scripturæ, qua disputando, qua lucubrando sic tradidit; vt & Philosophica interdum retractaret, & horis subseciuis Græcas litteras, (quas iam inde à puero adamauerat, & eloquentiæ Ciceronianæ iungendas arbitrabatur) respiceret: confectoque iam sacrarum litterarum curriculo, Romam vltro honoris gratia est euocatus in familiam Alberti Pii Carporum Principis, viri non modo natalium splendore, sed & Theologiæ scientia adeo excellentis, vt æqualium cederet fortasse nemini. Huic libenter studiorum sese socium Genesius adiunxit,

iunxit, qui, vt in Apologia aduersus Erasmum testatum ipse reliquit, tam honorifice semper tamque amanter, multos annos eum tractauit, nihil vt honoris vel benignitatis, vel denique fauoris cuiquam suorum tribuerit, quod illi non fuerit sane libens impertitus. Erat in docta illa familia (seu Athenæum appellare libet,) doctorum hominum, non assentatorum copia, Aldus Manutius Rom. & Marcus Musurus Cretensis: quo quidem Græcæ linguæ, vt illo Latinæ vsus doctore Albertus fuerat: Triphon Byzantius vtriusque peritus linguæ: Petrus quoque Pomponalius, & Ioannes Mensdocus Hispalensis: qui post Philosophiæ magistri publice inclaruerunt: ille Bononiæ, hic Pisis, & Patauii. Theologi quoque complures alii hic cernebantur. Igitur otium nactus, liberaliter Genesius ad commentandum, litterisque mandandum, quæ pridem meditata haberet, animum attulit. Cumque magnam esse oratoris laudem in interpretando didicisset, & penes Græcos Philosophiam esse, quæ muta adhuc apud Latinos iaceret, carereturque litterarum lumine, Aristotelis Peripateticæ scholæ principis libros quosdam, Bononiæ primum, post etiam Romæ in illa viginti duorum annorum Italica peregrinatione, Latinitate donauit. Animaduerterat enim elegantius quosdam quam verius, sensa Philosophi reddere, & Ciceronianos quam Aristoteleos videri se maluisse, vt Alcyonium, & Perionium. Conuertit enim duos *de ortu & interitu* libros, & quattuor *Meteorologiæ*: quorum alteros Adriano VI. Pont. Max. alteros Carolo V. Cæsari obtulit. Libellos quoque ad animantium naturam pertinentes, qui vulgo *parui naturales* nominantur, *de Sensu & sensibilibus: de memoria ac recordatione: de somno ac vigilia: de insomniis: de diuinatione per somnium: de vitæ longitudine ac brevitate: de iuuenta, ac senecta; vita ac morte, spiratione, motu animalium; de eorum denique incessu.* quos ad Albertum Pium principem misit: Græcorum scholiis in iis adiutus Alexandri, Simplicii, Philoponi, ac Michaelis Ephesii. *De Mundo*, quoque libellum aureum ad Alexandrum, quisquis tandem auctor est, Latinum etiam fecit, in gratiam Gonzagæ Mantuani principis. Præterea Clementis VII. P.M. voluntate ac iussu, doctissimam Alexandri Aphrodisiei enarrationem in XII. Aristotelis libros περὶ τῆς μετὰ τὰ φυσικά, *de prima Philosophia* Latine reddidit: nam duos qui restant Alexandri libros Græce exstare audio Patauii, apud nobilem iuxta atque eruditum virum Vincentium Pinellum; post Aristotelis *de optimo reip. statu* libros 8.

non solum è Græco in Latinum sermonem, veterum & castigatorum exemplarium fidem secutus cõuertit, sed eorum difficiles quoque locos breuibus Scholiis explanauit. *Ethica* quoque *Nicomachica* maiorum vigiliarum opes, paraphrasi, quæ tamen lucem nondum aspexit, illustrasse videtur: & Argyropyli versionem castigasse hortante Io. Matthæo Hiberto, Veronensi Episc. apparet ex epistola 6. & 7. qua commẽtatione natam sibi scribit illam quæstionem, quam & profligauit, ad exitumque adduxit, *De Conuenientia militiæ cum Christiana religione: & Democrates*, inscribitur Dialogus: nam altera huic affinis & longe difficilis quæstio accessit, cui titulus, *Democrates alter*, siue, *de iustis belli causis*. Quæsitum enim, *Iurene an iniuria barbari apud Indos in Hispanorum ditionem redigerentur*. Asserebat nimirum *Genesius*, noui orbis incolas, quos Indos vocamus, in Christianorum ditionem armis redigi ius fasque esse. Non in seruitutem tamen, sed ditionem abducendos: non bonis spoliandos, sed sine iniuria conseruandos: non heriliter eis, sed regie ac ciuiliter ad illorum vtilitatem esse imperandum. Edituſque olim hac de re Romæ libellus paucis admodum exemplaribus, procurante Ant. Augustino V.C. Pontificii tum tribunalis, quam *Rotam* à forma vocant, Auditore, vt ait epist. 69. & 70. verum, quod constanter à reliquis contradici videret, premi & intercidere passus est. Apologiam tamen eius, qua rationes sententiæ suæ apertius reddebat, in Italia nacti sumus. Vide epist. 67. & 81. Disputauit & ipse hac de re coram iudicibus, cum Dominicanæ familiæ Theologis, qui & ipsi de hoc iure sententiam suam copiose explicarunt, Franciscus Victoria, Dominicus Soto, & Bartholomæus Cosa Chapæ in India Episcopus. Sed & Complutensis Academiæ doctores à *Sepulueda* dissensisse didici è lib. 8. Aluari Gomezii, de Vita Franc. Ximenii Card. Consulebatur autem, vt præstans eius ætatis Theologus, difficilesque ad eum nodi & scrupuli reiiciebantur, quos diserte ipse dissoluit, & quidem fere Dialogorum ritu, Platonis, &, quem studiose sectabatur, M. Tullii exemplo. Sic *de gloria appetenda, de fato, & libero arbitrio, de nuptiarum ritu, ac dispensatione: denique de testimonii dicendi in occultis criminibus ratione*, qui libelli in manibus sunt, citanturq:, præsertim de *ratione dicendi testimonii causis in occultorum criminum*. & in rem præsentem afferuntur à summo Iureconsulto Martino Doctore Nauarro Enchiridii Confessorum, cap. 12. litt. A. & cap. 18. num. 61. & cap. 25. nu. 43. Ceterum cum Erasmo nouis rebus studente, & ambigue atque

atque occulte ecclesiam oppugnante sic edita apologia contendit, vt & modestiæ suæ nunquam oblitus, & veritas altercando quæsita videretur. Iactarat ille eius libri auctorem (quem Albertus Pius Carporum Princeps pro Catholica religione in eius errores euulgarat) Sepuluedam esse, vt epistola 18. refert, quodque frigide illum in Ciceroniano suo Batauus, ac veluti spei bonæ iuuenem prædicasset, cum grandis natu iam esset, editisque libris clarus, in alia omnia *Genesius* discessit, & Ciceronem vnum, vt Eloquentiæ parentem non quosuis imitandos esse recte censuit; Epist. 10. & 39. Quemadmodum vero in anni mensiumque correctione, de qua pauci tum egerant, hodie vero plurimi instaurato à Gregor. 13. P.M. dissensit à nostro Gaspar Cõtareno Card. Veneto, Epist. 25. 26. 27. sic & ille à Fredenando Nonio Pintiano discrepat in saltus Pyrenęi terminis apud Plinium, motuque solis per signiferum. Epist. 46. 47. 48. Sed hæc hactenus. Post cum annos amplius 20. ἀποδημία per Italiam peregrinatus esset, qua in re Vlyssem illum Homericum superauit, tandem aliquando magna suorum ciuiumque exspectatione in patriam reuertit *Genesius*, collecta iam ingenti gloriæ adorea foris parta. *Multi enim*, inquit ille, *extra patriam bene rem gessere, domi obscuri atque inglorii futuri*. Patriam enim suos Prophetas honorare solitam negat Christus. Cæsar illum Carolus V. vere Augustus, ex Italia per Germaniam sponte adductum, nihilque tale ambientem vltro in domesticorum numerum retulit, & Historici titulo cohonestauit, Epist. 8. 9. & 29. Cuius etiam Imperatoris res præclare domi, foriſque gestas, vt summa fide diligentiaque, sic & elegantia pari litteris prodidit: asseruarique aiunt, eos commentarios à Regibus Catholicis, qui inanis gloriæ contemtum, iis hactenus latere iussis, declarant, dum tempore, vt fit, inuidia decedat: posteri enim incorruptius fere iudicant. Climactericum agens annum 63. plerisque fatalem, graui morbo ad Medicorum desperationem conflictatus, Dei benignitate, qui ad maiora eum reseruaret, incolumis euasit, vt ait Epist. 87. Grauis iam annis, octogenario enim maior erat atque in affecta fessaque studiis ætate, à Carpetanis Vaccæisque Cordubam rursum secessit, vt vbi spiritum primo hausetat, ibidem redderet. Igitur in prædio Mariano, vt animum defatigatum relaxaret, rusticabatur: in quo & otii & studiorum gratia perinde versabatur, atque in Tusculana sua villa disputationibus nobilitata M. Tullius.

Is enim fundus erat ad conuallem Mariani montis, qua Cordubæ imminet, Gallique cognomentum habet, diserte descriptus Epist. 64. 67. & 84. Fratrem habuit Bartholomæum Sepuluedam, qui multis annis Cæsari militauit: fratrisque alterius filium Petrum Sepuluedam Cordubensis Ecclesiæ Sacerdotem. Cœlebs perpetuo vixit & continenter: sacerdotia minime ambiuit, in studiis acquiescens, suoque succo ac Cæsaris liberalitate priuatus viuens: qua & priscos Philosophos beatam metiri vitam non ignorabat. Ad stylum quod attinet poetica leuiter tinctus fuit, soluta oratione Ciceronem semper æmulatus Hispanos inter excelluit, coniuncta cum sapientia vera eloquendi facultate, vt & apud Lusitanos Hieronymus Osorius præstitit. Oratio eius diserta & grauis, vt iudicio philosophiam excelluisse vel hinc agnoscas: vberior tamen est ac venustior, quam philosophorum aut Theologorum nostri temporis. Epitaphium inscriptum marmore lapide, sepulcro suo, hoc sibi viuens fecit, exstatque Epist. 86. Quod in Putalbani municipii æde sacrorum maxima, & primario sacello Antistitis & presbyterorum concessu, sibi fratrique ac posteris designauit.

D. X. S.

IO. GENESIVS SEPVLVEDA

QVI SE ITA GERERE STVDEBAT

VT IPSIVS ET MORES PROBIS

PIISQ. VIRIS ET DOCTRINA, SCRIPTIQ.

DE THEOLOGIA, ET PHILOSOPHIA

HISTORIARVMQ. LIBRI

DOCTIS ET ÆQVIS PROBARENTVR.

S. V. F.

VIXIT ANNOS LXXXI.

OBIIT ANNO CIↃ. IↃ. LXXII.

ELEN-

ELENCHVS OPERVM IOAN. GENESII Sepuluedæ.

De vita & rebus gestis Aegidii Albornotii Card. lib. 3.
Descriptio Collegii Hispanorum Bononiensis.
De regno & Regis officio, lib. 3.
Epistolarum, libri septem.
De correctione anni & mensium Rom.
Dialogus de appetenda gloria, qui inscribitur Gonsalus.
De honestate rei militaris, qui inscribitur Democrates, lib. 3.
Apologia pro libro, de iustis belli causis suscepti, contra Indos.
Oratio ad Carolum V. vt bellum suscipiat in Turcas.
Dialogus de ratione dicendi testimonium in causis oculorum, qui inscribitur Theophilus.
De ritu nuptiarum, & dispensatione, lib. 3.
De Fato & Libero Arbitrio contra Lutherum, lib. 3.
Antapologia pro Alberto Pio Comite Carpensi, in Erasmum.

GVNDISALVVS PONCE DE LEON.

THeologus & Canonicus Toletanus, Romæ scriptis claruit, quam sedem & defendit aduersus Varamundum hæreticum pro Colonienſibus. Dedit *Physiologum animantium B. Epiphanii, cum Iconibus ac notis Græce & Latine* Romæ, & Antuerpiæ apud Plantinum. Eruit ibidem è Vaticano *Theophanem Patriarcham* CP. aliaque euulgauit.

SECVNDA CLASSIS LVSITANORVM.

ACademia Conimbricensis.
Achilles Statius.
Amadeus, alias Ioan. Menesius.
Andreas Resendius Eborensis.
Antonius Lutius.
Antonius Senensis.
Arius Barbosa.
Antonius Pinus Portodomeus.
Damianus à Goez.
Dominicus à Pace.
Garcias Alfonsus Menesius.
Gaspar Varrerius.
Goueani tres.
Gundisaluus Pinarius.
Hector Pintus.
Henricus Cardinalis.
Hieronymus Osorius Episc. Eborensis.
Hieronymus Osorius Episc. Siluensis.
Iacobus Mœnetius Vascomellus.
Iacobus Paiua.
Iacobus Tenius Bracarensis.
Ioan. Biclarensis Abbas & Episc.
Ioan. Menesius alias Amadeus.
Michael Kabedus.
Michael Syluius Card.
Petrus Nonius Salaciensis Mathematicus.

ARIVS

ARIVS BARBOSA LVSITANVS.

BArbosa Grammaticus, & poeta egregius, natus est Lauari, quod oppidum *Aueiro* hodie nuncupatur, situm ad Durii fluminis ostium, qua se in Oceanum præcipitat. Patrem habuit Ferdinandum Barbosam, matrem Catharinam Figueretam, non ignobili genere. *Antonii Nebrissensis* æqualis, & Salmanticæ collega docendo fuit, sed Barbosa Græce doctior, alter varia præditus lectione: vterque studio ac labore par in profligandæ ex Hispaniæ finibus barbariæ, vt Hercules, qui Augiæ stabulum expurgauit, & Camillus, qui pulsis Gallis patriam, restituit, appellari possint. His certe athletis duobus bonarum litterarum, laudandarumque artium vindicias Hispani acceptas referunt: quod ad humaniorum studiorum cultum reliquæ disciplinæ magis magisque excoliac poliri soleant. Iacebant tum penitus Musæ: muta erat eloquentia ac Philosophia. Iacebant Græcæ litteræ, omnesque adeo ad eam diem disciplinæ neglectæ, situ, ac squalore horridæ, in tenebris delitescebant. Igitur *Arius* in Italiam parentum bona cum venia admodum adolescens discendi gratia se contulit, versatusque annos aliquot est Florentiæ Metropoli Etruriæ, deditque operam Angelo Politiano, summo eius ætatis poetæ, & Antiquitatis admiratori. Mox onustus vtraque lingua in patriam reuertit, ratus, quod poeta ait:

Turpe nimis mansisse diu, vacuumq; redisse.

Et ex Platone ortus nostri partem principem patriam vindicare tenebat. Salmanticam itaque, quæ prima Iberorum Academia semper fuit, venit anno partus virginei M. CCCC. XCV. anno Domini 4. Calend. Quinctiles, vt in Relectione de Prosodia testatum reliquit: docuitque publice annos amplius quadraginta; strenue sese imperitorum Grammatistarum turbæ obiiciens: in quos vel in extrema senectute firmis lateribus declamauit, dum hydram illam Lernæam barbariei, tanquam Hercules alter conficere ac profligare posset. Professionis huius quotidianæ laborem vtriusque etiam linguæ scribendi labor, vt ad posteros manaret vtilitas, excepit: ediditq;, Salmanticæ sed rudi etiam tum arte typogra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

phica, *Relectiones* de multis *duas*, more veteri Academiæ, vt exhausti laboris positæque industriæ Censoribus specimen quotannis exhiberetur: neque ignauia torpuisse testimonio repetitæ prælectiones essent: quemadmodum in Belgicis hodieque Gymnasiis, Saturnalibus (cum studia vacationem aliquam relaxationemque obtinent) *Quodlibeticæ Quæstiones*, de re qualibet à dissertissimo quoque tractari consueuerunt. Merito igitur M. Cato in originibus non solum negotii, sed & otii rationem constare oportere censuit. Sed hoc agamus. Altera Barbosæ Relectio *Epometria* est, altera *de Prosodia* seu de re poetica, ac recta scribendi ratione: qua in re à Politiano doctore suo non raro dissentit. Veritatē amicitiæ præferēs, nec cuiquam addictus vllius in verba iurans, quod, vt ait Fabius, Orthographia quoque consuetudini seruiat, ideoque mutata sæpenumero sit. Erat & pangendis carminibus, quorum extant perpauca, felix: estque Lusitanicæ genti pene proprium, vt Musicis fere omnes artibus dediti sint: humaniores cultioresque poeticam etiam adiungant. Adhæc *Aratoris* presbyteri poema de Apostolorum rebus gestis ingenti Commentario sic illustrauit, vt non philologum modo, sed & Philosophum ac Theologum fuisse iures, difficiles atque obscuros nodos perttractantem. Quæ extrema iam senectute elaborauit, assiduo docendi munere exhaustum corpus, & inualidum gestans, vt & tremens scipione vteretur. Senex itaque & vt opinor, septuagenario maior decessit: quem sic prædicat Ant. Nebrissensis, præfatione Introductionis Grammaticæ. *Ego vero*, inquit, *quum in meis Introductionibus multos locos ex Græco inchoatos reliquissem communicata re prius cum Ario Lusitano: à quo vno, siquid vsquam Græcarum litterarum apud nos est emanauit, ausus sum facere, quod ille harum rerum peritior facere debuisset.* Sed in quibusdam editionibus *Arii* nomen flagitiose omissum esse iure queritur And. Resendius Epist. ad Bartholomæum Kebedon. Idem quoque Antonius orat. Apologetica pro suis Quinquagenis ad Franc. Ximenium, sic ait: *Græca lingua excitata est, atque iampridem per Hispaniam diuulgata ab Ario Lusitano, viro Græce & Latine perquam erudito.* Sed de natalibus testem è domo producamus. cui enim credamus potius? Sic enim ipse canebat.

Forte volet patriamque meam, nomenque parentum,
Hau quisquis nugas gaudet habere meas.

Nec

Nec diues multum, nec paupertate notandus,
A notis quondam sed tamen ortus auis.
Fernandus Barbosa pater, Catharinaque mater,
A notis etiam quæ Figueretа venit
Me genuere, furit vastis qua fluctibus ingens
Vltimus occidui litteris Oceanus:
Quaque habet Aneiro portu prodiues amæno
Quidque habet tellus, & mare quidquid habet.
Non procul auriferi nostram hanc Duriique Tagique
Hinc illuc mediam ripa beata tenet.

ET DE GENTILITIIS INSIGNIBVS FAMILIÆ Barbosarum.

E bello Pax virgo exit, sua munera gestans:
Et media ad mediam tendere Luna docet.

IDEM AD IACOBVM COGNATVM.

AN Barbosa decus tenere priscum
Sic vt Luna potest redire plena.

Elogium Lilii Gregorii Girald. lib. de potiore sui seculi poeta.

FVit ABRIVS *Barbosa poeta Lusitanus, qui in Italia sub Politiano politioribus litteris operam dedit, & primus Græcas litteras in Hispaniam inuexit: & Salmanticæ viginti annos publice bonas litteras professus est. Huic moriens Ant. Nebrissensis opera sua cæstiganda testamento reliquit. Exstant eius poemata publice edita apud Hispanos, quæ & leguntur, & apud eos habentur.*

IBIDEM.

ANTONIVS Nebrissensis annos aliquot commoratus est Bononiæ ibidemque dedit varia doctrinæ documenta.

HENRICVS CARDINALIS PORTVGALLIÆ.

HIc Portugalliæ Regis Emanuelis filius Episcopus Eborēsis, post Vlisiponensis Archiep. presb. Card. H. SS. quattuor Coronatū à Paulo IV. creatus an. 1546. sub Iulio III. & Pio IV. Lusitanię Legatus: post Sebastiani Regis mortē Regni successor. obiit in Lusitania, in oppido Almerini ann. Christi 1580. prid. Kal. Febr. quo die natus fuerat anno 1502. cuius corpus Eboram translatum, in Ecclesia Societatis IESV ab eodem Henrico ædificata conditum fuit. Scripsit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lusitana lingua, vt erat doctissimus iuxta ac pientissimus *Sermones Spirituales* de rebus diuinis ad populum habitos, quos Antonius Senensis, Lusitanus & ipse, ordinis S. Dominici Latinos à se factos Louanii typis Seruatii Sasseni euulgandos curauit, anno salutis 1575. & elegantius postea Societatis IESV Patres Eborensis Collegii: addita Ludouici Granatensis præfatione. Laudatus hic merito à Martino Doctore Nauarro Manual. Confess. cap. 17. nu. 206.

CONIMBRICENSIS ACADEMIA.

IN Lusitania nunquam adeo eruditi eximiique viri extitere, quam tempore Regis Ioannis eius nominis III. qui Conimbricensem Academiam euexit & instituit: totius Europæ celeberrimam & eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluentem, in quam optimos Professores, quos in toto terrarum orbe potuit seligere, accersiit. Non fuit iis qui in eius regno florebant contentus: sed etiam præter hos alios Salmantica, Compluto, Lutetia, Tolosa, Burdigala, Flandria, Italia & Germania conuocauit. Denique Academiam, ex optimis insignioribusque in quauis facultate litteris auxit, & vniuersum omnium præstantissimarum doctrinarum emporium locupletauit: quam etiam virtutibus ditauit, quæ suo tempore viguerunt. Pater fuit Patriæ fidei Iesu Christi, sanctæque Religionis Catholicæ propugnator. Potissimum vero præclaras, insigneque victorias à Turcis, Mauritanis, Ethnicis, & Indis Orientalibus reportauit. Per strenuos Duces, & subditos quos delegauit terras inauditas Regnaque incognita detexit. quo homines doctos, Sacerdotes, Religiosos, & Concionatores misit: Ecclesias, Monasteria, & Gymnasia constituit, vt religionis norma seruaretur, diuinus cultus celebraretur, rebusque ad fidem & doctrinam Christianam spectantibus imbuerentur, atque erudirentur homines: & natio barbara, & irreligiosa, litteris, & politia cumularetur, resque ad salutem spectantes perdisceret.

Hæc Hector Pintus Lusitanus Dialogo IV. Partis secundæ, qui est de rerum causis.

TRES

TRES GOVEANI LVSITANI, EX ELIAE VENETI, AD AND. SCHOTTUM *Epist.*

TRES fuerunt fratres Lusitani, Martialis, Andreas, Antonius: quos Lutetiæ Regis Portugalliæ sumptu, patruo, in schola Barbarana, cui præerat, pueros instituendos curauit. Goueani, Iulia Pacensi Lusitaniæ oriundi. Fratrum maximus, *Grammaticam Latinam* Parisiis edidit. quam vidisse memini. Poëtices maxime studiosus erat: sibique Ouidium imprimis imitandum proposuerat. *Carmina* aliquando varia sua mihi ostendit Pictauis, *epistolas*, *elegias*, & alia: Sed nihil edidit: & intercidisse puto.

Andreas apud patruum Grammaticam primum, mox philosophiam professus, ab eodem scholæ illi tandem præfectus fuit. Quo munere quum fungeretur cum laude, Burdigalam à Decurionibus accitus fuit, & venit An. Christi M. D. XXXIV. Gymnasioque Aquitanico præfuit, vbi quam diu egerit, quem se gesserit, & quomodo ab rege suo in patriam sit reuocatus, Conimbricensis Scholæ instituendæ gratia, quæ similis esset Burdigalēsi, in præfatione Busini, in epistolas Gelidæ cognosci potest. Theologus hic erat, sacerdos, concionator, tum liberalis, & eruditorum hominum fautor: sed nihil scripsit. Mortuus est in Lusitania, Conimbricæ Gymnasiarcha egregius. quinto Id. Iunii, quum ageretur annus à Christo nato M. D. XLVIII. quinquagenario maior, vt existimo.

Antonius natu minimus plus ingenii & doctrinæ habuit. Burdigalæ, fratre ludimagistro, litteras ante professus est, quam ego: qui veni An. Chr. M. D. XXXIX: quo tempore Tolosæ iam operam iuri dabat. Quum autem aduersa valetudo Burdigala me abegisset, ac inde in patriam, & postea me Lutetiam contulissem, illic Antonium Goueanum vidi primum, An. à Christo nato M. D. XLII; quum doceret apud patruum. Illum postea hic vidi apud fratrem, qui me ad se reuocauerat: ipsumque postea Burdigalæ reliquimus, quando in Lusitaniam eodem duce fratre sumus profecti. Cadurci ius ciuile summa cum laude professum audio, & à Cuiacio laudatum: qui Taurinis decessisse fertur, libellorum suppplicum magister apud

Sabaudiæ Regulum & Consiliarius, annos natus vix sexaginta, vt coniicio. De scriptis eius, hæc Tigurina bibliotheca recenset. Scripsit epigrammata & epistolas 4.

Virgilii & Terentii opera castigauit.

Porphyrii Isagogen eleganter transtulit.

Dedit enarrationem in Ciceronis orationem in Vatiniũ, in Topica, & criticam logices partem: & in 2. priores libros ad Atticum: & libros de Legibus.

Respondit ad Pet. Rami calumnias pro Aristotele.

In Jure scripsit.

Libros Variarum lectionem, de Substitutionibus ad legem Falcidiã: ad L. Gallus In lib. digesti, vel in titulo de iurisdictione omnium iudicum.

ANT. PINVS PORTODOMÆVS.

Hic propter ingenium & artes liberales, quibus est institutus, & illud suum cõmentandi genus, quo librum Fabii Quinctiliani tertium perdifficilem sane enarrauit, philologis, & eloquentiæ studiosis non improbandus: ferturque Homilias edidisse. Sic Alfonsus Matamorus qui tamen Bartholomæum nominat. De se vero ipse præfatione in Scholia ad Fabiũ Quinct. lib. 3. Iacobum Goueanum a Ioanne III. Lusitaniæ Rege impetrasse, vt eius voluntate copiisque sustentarentur Lutetiæ, qui & Lusitanos Concionibus formarent, & ad exteras barbarasq; gentes Christi fidem diffunderent. Cum igitur legerentur nonnulli qui Regio sumptu cultum ingenii, Lutetiæ caperent in hunc ordinem cooptatus Antonius Pinus, litterisq; expolitus, Rhetori singulari iudicio & doctrina in disciplinam traditus, fel citerq; Rhetoricis imbutus scripsit Commentarium in ter- Quinctiliani libũ: reliquos daturus ni mors aut curæ impedissent. Dehinc triennium Philosophiæ incubuit; post iuuentutem erudit labore induit iaque singulari. Postea etiam ad Episcopatum euectum audire memini.

PETRVS NONIVS SALACIENSIS MATHEMATICUS.

TVlit Lusitania si quem alium Mathematicum egregiũ Petrum Noniũ oppido oriundũ, quod populari sermone Alcasar de Sal ab indigenis appellatur, antiquitus Salacia, à salis fortasse, qui colligitur, copia. Conimbricensi in Academia viguit, Mathemata professus

fessus, regibus etiam ac regiis hoc nomine carus acceptusq;, qui iam in Orientis Indiam, nauigationibus apertam, Lusitanorum colonias militaresque manus deducebant. Composuit itaq; *De nauigandi arte, regulis, & instrumentis*, quibus & *Problemata varia*, in his & *Aristotelis Mechanicum* de motu nauigii ex remis subtiliter disputantur, ac figuris erudito in puluere ductis illustrãtur. *Annotationes* item *in Theoricas planetarum Purbachii* acutas simul & perspicuas dedit, quibus vel aliis intacta, vel certe perperam intellecta explanat: quæ vno Basilienses volumine typis euulgarunt, vt & Conimbricenses. quæ *de crepusculis* est cõmentatus, ad Ioannẽ III. Lusitaniæ Regem vna cum Allacen Arabis de causis crepusculorum libello anno 1542. Reprehendit & in plerisque Orontii Finii Galli in Mathematicis errores.

IOANNES MENESIVS ALIAS *Amadeus.*

AMADEVS alias AMATOR, vel IOAN. MENESIVS Didaci Syluæ Ducis Portalegrii frater, nobili Comitum Villæ Regiæ familia satus, S. Francisci institutum amplexus, collectissimo animo diuinis & cælestibus contemplationibus ex integro cum se cõsecrasset; miris reuelationibus illustrari meruit. Quas cum scripto redegisset, talia de futuro Ecclesiæ statu & Imperiorum trãslatione prędixit, vt idem quod Danieli Hieronymus tribuit epitheton, illi congruere, totiusque mundi Philoistor appellari possit. Scripsit & Homilias de B. Maria: eiusque auctoritas magni apud Petrum Canisium, & Ioannem Benedicti habetur, quod vterque imitatur: ille in suo Mariali frequentius; hic in sua summa, quam vernacule edidit, non raro. Claruit Paulo II. eiusque successore Sixto IIII. cui etiam à secretis conscientiæ fuit an. 1482. Prophetiæ dono, quo anno viuis ereptus, cælis est redditus. De eius vita Gaspar Varerius Lusitanus Chorographiæ Lusitanæ scripta pag. 245.

GASPAR VARRERIVS.

LAtine & omnis antiquitatis egregie doctus, præcipue Geographię *iter suum Pace Iulia Mediolanũ* vsq; loca Hispaniæ omnia accurate lustrans origines, appellationes situs aliaq; erudire narratione

Universidad de Deusto
Biblioteca

chorographica Lusitanice euulgauit. Vsus est familiariter And. Resendio à quo adiutus fuit; & Georgio Cœlio Lusitanis: ab Henrico Portugalliæ infante Card. Romam missus, vt suo nomine gratulationem pro adoptione in sacrum purpuratorum collegium haberet. Vbi Petro Bembo, & Iacobo Sadoleto, eloquentissimis ea tempestate viris vsus est. Audiui & B. Franciſci familiam secutum, vt & Resendium D. Dominici: & certo pollicetur ille eius Diui se vitam scripturum. Edidit & Latine de Ophyra regione, in sacris litteris commemorata commentarium. Censuram item de Berosо, quem Latine & copiosius Lusitanice editum, And. Schottus Latina ciuitate donauit. De Metasthene, item Q. Fabio Pictore, & M. Porcio Catone suppositiis auctoribus à Ioan. Viterbiensi Lusitane editis, quibus plerosque fefellit originum Scriptores Italiæ, Galliæ & Hispaniæ: Leonem Albertum in Italia; & Florianum de Campo, Ant. Beutetum, Ant. Nebrissens. nonnunquam Augustinum Eugubinum, & Ioannē Driedonem ceterosq; : de quibus ψευδεπιγράφους elegans quoque Iudicium leges Ioan. Goropii Becani in originibus Antuerp. Benedicti Pererii in Danielem, & Ioā. Marianæ lib. 1. cap. VII. Annalium Hispaniæ. Tametsi tueri conatur Antonius Gueuara Commentario editionis secundæ in Habacuc prophetam.

GARCIAS MENESIVS ORATOR, ET *Alfonsus*.

DVarti Menesii Comitis Tarronensis F. Eborensis Episc. quum Alfonsi V. Lusitaniæ regis inclyti legatus, & regiæ classis Hydruntem in Apulia præsidio tenentis præfectus ad vrbem Romam accederet, in templo D. Pauli publice exceptus apud Xistum IV. Pontif. Max. ad sacrumq; Cardinalium senatum orationem habuit disertam, vt illis temporibus plenamq; affectuum, ad bellum fortiter infidelibus indicendum adhortatus, vehementerque vt Pomponius Latus stupens, exteri hominis eloquentiam actionisque venustatem vim & maiestatem Pontifici in aurem insusurrarit, *Pater Sancte, quis est ille Sanctus qui tam diserte loquitur*? eius hoc initium est: *Si ita ab immortali Deo constitutum erat Beatissime Pater*. edita Romæ an. 1481 quo habita est Kal. Septembr. Pontificatus Xisti IV. an. XI. & post Conimbricæ à Gaspare Varreira anno 1561. Alphonsus quidam

quidam Meneses Viatorium scripsit Hispaniæ, legitque, & citat Abrahamus Ortelius, in parergo Theatri orbis terrarum.

IACOBVS TEVIVS BRACARENSIS.

LVtetiæ Parisiorum litteris operam patria relicta adolescens dedit, eosque breui in eloquentię studiis progressus fecit, vt non æquales modo vicerit, sed & doctoris personam sustinere sit ausus. Burdigalam itaque in Aquitanicam scholam ad profitendi munus à Goueanis Lusitanis euocatus, post etiam Conimbricam veluti in coloniam deductus, prima quoque Academiæ fundamenta iecit. Edidit, vt Poeta, *Poemata* partim Latina, partim Lusitanica: vt Rhetor, *Orationes* aliquot in Regem Sebastianum Salmanticæ: vt Historiæ peritus, Diensem in India obsidionem à Turcis, sed frustra factam, an. 1546. longe disertius, quam Damianus à Goes popularis eius conscripsit: legiturque ab eruditis hominibus non sine laudis commendatione.

IACOBVS PAIVA DE ANDRADA.

THeologus in Synodo Tridentina perdisertus. Scripsit explicationes omnium fere de religione capitum, quæ controuertuntur.

IOANNES BICLARENSIS.

HIc Scalabi in Lusitania natus decem & septem ętatis annos studiorum gratia iunior consumpserat. Inde, vtriusq; linguæ aliarumque artium cognitione instructus in patriam ex longinqua peregrinatione redux. Inde communi Ecclesiæ tempestate Barcinonem exilii caussa missus, ad Pyrenæi montis radices, vbi hodie eodem nomine visitur, Biclarense monasterium constituit, optimis legibus, atque institutis ad Benedicti regulam, conformatum. Vnde Reccaredo quidem Rege, ad Gerundensis Ecclesiæ procurationem: Suinthilæ autem ætate ad cœlum morte migrauit, meritis debitum præmium Nonito successore. Sui temporis Chronica scripsit, adiecitque ad Victoris Tunnunensis in Africa Episcopi Chronicon supplementum, perduxitque ad annum fere Christi DXC. stylo non pœnitendo: exiit vtrumque opus nuper Ingolstadii, opera

Henrici Canisii Neomagensis Iureconsulti allatum ex Iberia & erutum è tenebris ab And. Schotto Antuerpiano. De illo Io. Mariana hæc obseruabat libro 5. Annalium Hisp. Cap. XI II. & XV.

ANDREAS RESENDIVS.

L. ANDREAS RESENDIVS, Eboræ in Lusitania, honestis parentibus natus, poeta fuit, & orator, & Theologus egregius. Adolescens liberalib. supra ætatē artib⁹ perpolitus, çquales vicit, ea tempestate, cū è tenebris primū existere ku maniores litteræ cœperunt: quæ ceteris splendorem, lucemq; adferunt disciplinis. Dominicanorum iā sese sodaliū familiæ, pietatis studio, addixerat, cū Emmanuel Lusitanorū Rex, liberis domesticum doctorem serio quærens, Pontificis bona cū venia, Resendium ob singularē coniūctam cum pietate, doctrinā, in aulam traduxit: vixit q; extra cœnobii septa sacerdos, summa vitæ continentia, & integritate, studiis optimarū artium, quę à vitiis mentē auocant, ad humanitatemq; informant, impense deditus. Laudāt certe vno omnes ore Io. Vasæus, Ambr. Moralis, ceteriq; æquales summā eius humanitatē in iis quæ recte meditata, diligēterq; obseruata penes se haberet: nihil amicos eruditos celare, quin etiā obtrudere spōte solitus, quę publice profutura existimaret. Sacerdotio tandē Eborensis Ecclesiæ à Principibus cohonestatus, Regibus, & Hērico Cardinali: Ecclesiasten annos aliquot se præbuit, vt erat populari lingua, non secus atq; Latina disertus. Horis vero subsecisiuis quas otio nōnulli, vino, iocis, intempestiuisq; cōuiuiis, & aleę tribuūt, easartes tractauit quas puer didicerat; & adolescēs adamauerat; Poeticā nimirū, & historiā rerū præsertim Hispanicarū, sacrarumq; litterarum: item lapidum, & marmorum inscriptorum inspectione impensius delectatū ferunt. Louanii Gradiorum, quod Galliæ Belgicæ celeberrimum Gymnasiū disciplinis florebat & ingeniis, Damiano Goes, ciue suo, & Indicarū rerum scriptore, vsus est pertamiliari: qui Musica, quæq; illi altera ex parte respondit, Poetica, mirifice capiebatur. Lusitanū enim (vt olim apud Græcos, si Polybio credimus, Arcades) has artes ad reliquas adferunt disciplinas, ornamento simul, & leuamēto. *Vincentium* itaq; *Leuitam & Martyrem*, patriæ tutelarē, heroico carmine libris duobus, in cælum laudibus extulit, in Belgio etiam tum versans: imitatus, credo, Prudentium sacrum poetā, qui huius, & ceterorū Martyrum coronas vario carminum genere celebrauit. Huic Poematio, quoniam grandiloquum

quum, obscurumq;, rerum Hispanicarum imperitis, fore videbatur, scholiis ipse illustrans lucem attulit: Antiquitatis quoq; patriæ, præcipue vero sacræ, perit⁹ in paucis fuit, vt omnis æui memoriā animo comprehensam haberet, ferreturq; in oculis, & quasi oraculum esset ciuitatū. Consultus itaq; frequenter Hispanicis de reb. & antiquitate à doctissimis hominib. qui fasces illi subiicerent, Vaseo, Kebedo, Toletano Brugēsi, & Morali Cordubēsi: quorū hic in Cōplutēsi, ille in Salmāticēsem Academia Rhetorū principes haberētur, respondit, vt erat ingenio cādido phumaniter iis quas in manib. habem⁹ Epistolis historicis: rarus, q, res est, Musarū fores apertas esse opottere, bonūq; quod ad plures manat lōgi⁹, eo esse prętabili⁹. Conim. Eloquēt. personā sustinuisse cōiectura addu c⁹ suspicor orationib. illic habitis cū Ioānes III Rex, suo sumptu Academiā instaurasset, euocatis è media Gallia, Lutetia Parisiorū, atq; Burdigala Aquitanię doctissimis artium omniū doctor. b. Vixisse cōperi ad annū Christi CIↃ.IↃ.LXXVII. quo tēpore Eborensiū Antiqtates, Hērico Card. Eboræ Archiepisc. inscripsit: cuius etiam iussu, Diuorū eius Ecclesiæ certamina descripsit, & in Canonicarū horarū, vt appellant Breuiarium, reculit.

Genus illi dicēdi floridum, graue, & venustū. Character in Epicis versib. Horatiano, quē expressit, non dissimilis. Orthographia vero vt litteratores nominant, paullo à cōmuni diuersa, qualis & Achillis Statii Lusitani, dū citra ætatū delectum, lapidū inscriptionib. nimiū quantū tribuunt. At scribendi rationē, vt & voces ipsas, tēporib. sępe variasse, quemadmodom & vsu nummi valent, auctor est Fabius. Plura vero q̄ diligenter inuestigādo nanciscipotui Resendii scripta apud heredē latere arbitror: atq; vtinā posteritati ea & cōmodo publico, nō inuideat. *De aquæ ductib.* libros duos ad Sebastianū regē, nominat lib. Antiquitatū Eborę: & post nō lōge, *De Municipiis & Coloniis* Cōmentariū: *Apologiā* item ad Epist. *Vicenum*: *Conciliū* quoq; *Eborēse* vetus an. CIↃ IↃ CLXV habitū, editurū se pollicetur. In scholiis ad Vincētiū Martyrē, orationē à se editā affirmat, quā Olisipone ꝓ rostris olim habuerit. *Antiquit. quoq; Lusitaniæ* libros exspectari à posteris iussit. Aliū vero à Resendio fuisse opinor *Andreā Eborēsem*, (ne quē, vt fit eiusdē nominis amphibolia fallat) qui veterū sentētias sciteq; dicta in gratiā eorū q, stylū exercēt collegit, forasq; dedit. Elogiū hic, & iudicium Nicolai Clenardi, viri eruditissimi attexere libet. ANDREAS RESENDIVS, poeta insignis, tanta carminis maiestate, tam neruosis inuentionibus donatus ab Apolline, vt in studio poetico perduraret, tam nobilem vatem haberet Ebora, quā genuit olim Corduba.

Cap. 3. 4. & 6.

Plura de eius vita legas licet, auctore Iacobo Moenetio in eius operibus tum prosa, tum carmine scriptis partim Romę editis, partim Coloniæ Agrippinæ. Obiit iam octogenarius anno CIↃ IↃ LXXIII. Statura fuit procera, prægrandibus oculis, crispo capillo, colore subfusco, sed hilari minimeque contracta fronte: in domesticos discipulosque seuerior: è cuius ludo tanquam ex equo Troiano viri docti prodierunt.

INDEX SCRIPTORVM AND. RESENDII.

POEMATA SACRA.

VINCENTIVS *Leuita & Martyr, poema heroicũ libris duobus comprehensum: cum Scholiis eiusdem. Quibus subiicitur de Verborum Latinorum coniugatione, Commentarius Resendii.*

Ad Deum patrem ob calamitatem sectarum, Oda.

Ad Christum confessio: & ad Cruci affixum.

Ad Casparem Casalem, Episc. Leirenensem, de Pastoris officio.

Epigrammata varia ad Damianum à Goes, ac Desiderium Erasmũ: Conradum Goclenium, & alios.

In obitum Ioannis III. *Lusitaniæ regis Conquestio.*

Ad Mariam Ioannis III. *Sororem, Heroinam eruditiss.*

Ad Sebastianum Regem creatum: & in eius effigiem: Hendecasyllabon ad eundem.

Ad Philippum II. *Catholicum, Regem Hispaniæ, vt arma in Mauros conuertat.*

Epistolæ duæ carmine, ad Lupum Scintillam I. C. & tertia, ad Petreium Sanctium poetam.

EPISTOLAE V. HISTORICAE.

1 *Ad Ioannem Vasæum Brugensem duæ: prior*
2 *De Aera Hispanorum: altera de Colonia Pacensi*
3 *Ad Barthol. Kebedum, Toletanum sacerdotem, de Sanctis Eborensis Ecclesiæ.*
4 *Ad Ambrosium Moralem Cordubensem Historicum Regium, de Traiani pontis inscriptione, aliisque.*
5 *Vna item de Rebus Indicis Epistola bene longa.*

ORATIONES.

ORatio Latine habita Conimbricæ in Gymnasio regio, anniuersario dedicationis eius die, anno CIↃ.IↃ.LI.

Oratio de Synodis in Synodo Eborensi Lusitaniæ habita, & Latine ab A. S. conuersa.

HISTORICA.

ANtiquitatum Lusitaniæ libri IIII.

De Eboræ antiquitatibus, è Lusitanico interprete And. Schotto. de iisdem Iacobus Mœnetius.

ACHILLES STATIVS LVSITANVS.

POeta simul & Philologus, inter æquales præstans *Achilles* fuit. Natus in Lusitania, vt ipse epistola ad Paulum Melissum testatur, pridie Idus Iunias, anno salutis humanæ CIↃ.IↃ.XXIV.

Patria illi *Vitigeria*, oppidum à vitium copia sic dictum; riuis duobus, iisque perennibus aquis irriguum: & quidem in ea Lusitaniæ parte situm, quam à Tagi fluminis situ *Transtaganam* hodie incolæ nominant: fœcundissimo solo, agroque frumenti, pecoris, olei, vinique feracissimo. Nomen illi à parentibus forte inditum, commune cum *Achille Statio* Alexandrino: quo de in collectaneis Suidas: & Pellæ Episcopus fuisse putatur; cuius exstant hodieque erudita in Arati Φαινόμενα Scholia; item Leucippes & Clitophontis ἐρωτικά) qualia & Heliodorus Triccæ Episcopus, teste Socrate & Nicephoro lusit αἰθιοπικά, aliique complures Iamblichus, Antonius Diogenes, Parthenius. Huius de nominis communi gentilitate, lusit adolescens carmen Achilles, cuius hoc principium.

Quis me adeo clari socium tibi nominis esse
Magne pater voluit?

Quos in Bibliotheca Photius patriarcha celebrat.

Quin & *Statii Papinii* nominis similitudo, seu naturæ impetus, ad artem poeticam æmulatione quadam rapuit. Certe exemplo illius *Syluam* inscripsit carmine, quæ adolescens effudit, sine omni tamen (in quo fere poetæ peccant) obscœnitate, atque lasciuia. A pa-

rente, qui regi tum militabat in Indiam Orientis ductus, vt & ipse labores tolerando stipendia natu grandior faceret. Quod vero corporis imbecillitate militiæ non satis idoneus esset, verisque artibus ad decus grassari ingenii potius, quam corporis cultu vellet, facile, vt armis positis, in Lusitaniam reuerti liceret, impetrauit. Iactis hic non infeliciter litterarum fundamentis, Eboræ doctore vsus Ioanne Barro, cui & in Cicer. de opt. genere orat. comment. inscribit, Belgicam Galliam, quæ disciplinis tum, & ingeniis atque doctoribus floreret, adnauigauit. Louanii Grudiorum Petro Nannio, disertissimo eius ætatis Eloquentiæ doctori operam dedit: mox etiam Theologiæ doctoribus: & sacras litteras auide arripuit. Vexare ea tempestate armis cœperat Belgium Martinus Rossemius, Geldrus, Regis Gallorum auspiciis: quamobrem Celticam lustrare placuit, & tanquam in mercatum, Lutetiam Parisiorum profectus, magnos breui progressus fecit, ediditque *Poematum Syluam*, de multis vnam. Mox reuertit anno eius seculi quincto & quinquagesimo, ætatis vno & tricesimo, in Belgium: vbi antea plures annos commoratus, doctissimis hominibus Theologis potissimum vsus erat: cumque à pueritia litteras illas summo studio coluisset, à quibus petenda est omnis dicendi venustas, & orationis elegantia comparanda; ad eas quoque, vbi se à grauioribus studiis recrearet, subsecius temporibus, libenter animum referebat. Igitur vel interpretabatur domi familiaribus suis veterem scriptorem M. Tullium in primis, ad cuius se imitationem componebat: aut commentabatur aliquid in eo genere. Quo tempore dedit *Annotationes* non contemnendas in Ciceronis *Topica*, exemplorum vi obscura, (in quæ etiam est præfatus:) *de Fato, & optimo genere oratorum*: quas notas & appendicibus, quod dies diem doceat, auxit. Libellum quoque *Obseruationum* in varios scriptorum locos foras emisit, Louanii; Antuerpiæ vero in *Artem poeticam Flacci*, commentarium, è Græcis fontibus: & Dionysii potissimum Halicarnassæi Rhetoricis, quo Critico impensius delectatum video. In Italia vero integrum illum Lyricum illustrandum sibi putauit: quæ in Horatium vigiliæ Romæ adhuc latent, cum notis in Virgilium, in Bibliotheca Achillis: quam moriens testamento, sodalibus Congregationis Oratoriæ legauit. Hinc Patauium profectus vsus doctissimis viris est, Manutio, Robortello, atque Mureto: quem quinquennio post in Catullo & Tibullo venustis poe-

Poemata am. 1549. 1555.

poetis explanandis æmulari non dubitauit. Certe in Tibullo, disertior est Mureto, & copiosior. Romam vbi commigrauit, vt in vrbium dominam, ingeniorumque theatrum amplissimum, simul atque innotuit, à Sfortia Cardinali Bibliothecæ optimis libris calamo exaratis abundanti, præfectus accitur: cum sitim famemque librorum helluo explere potuit. Mox Pius. V. Pont. Max. in suis esse voluit: libellis Latine scribendis, & epistolis præfecit. Pontifice vere Pio è viuis sublato, sibi Achilles vixit & Musis, paruo tenuique victu contentus; Sacerdotia tametsi opima afferrentur, repudians. Sacris, initiatus non fuit: cælebs tamen perpetuo continensque vixit. A studiis grauioribus senex Diuorum templa, sepulcraque Martyrum quibus referta Roma est, obibat. Pomeridianis horis, amicis sui potestatem faciebat. In his vnice *Ioſephum Caſtalionem* Anconitanum Iureconsultum, & Musarum alumnum dilexit: veteresque marmorum inscriptiones scrutari earumque vsum in his interioribus litteris docuit.

Fulvio quoque Vrsino carus, & aliis Romæ doctis hominibus exstitit. In Lusitania vero adolescens, Hieronymum Osorium Oratorem, & Georgium Cœlium Poetam ciues suos coluit. Paulus quoque Melissus in Poeti apis quædam Germanica, & Romana ciuitate donatus Achillem senem obseruabat. taceo reliquos. Ne otio langueſceret, effoeta iam ætate, editis tot ingenii monumentis, veterum quoque Græcorum, Latinorumque præsertim sacrorum scripta è Bibliothecis eruta, publici iuris fecit, Latinitateque donauit: Chrysostomi inquam, Cyrilli, Athanasii, Gregorii, & Amphilochii Conciones. *Callimachi* item *hymnos duos*: nam & Græce interdum carmen pangebat, Græce peritus, iuxta atque Latine. Ferrandi quoque & *Gregorii Bætici de Trinitate & Fide*, sacra opuscula edidit: quanquam in huius titulo deceptus est, quantum ex Gennadio colligo, qui Faustini est Episcopi: vt nos in Bibliotheca Sanctorum Patrum, & copiosiorem quidem editum obseruauimus. Illud tamen mirantes, Parisienses Theologos in vltima editione cum in eundem tomum 4. tum vtrumque coniecerint, id minus animaduertisse. Dicendi character illi grauis fuit, siue numeris vincta, siue soluta oratione scriberet. Bis enim iussus est pro Sebastiano Lusitaniæ Rege ad Pium IV. &

V. & Gregorium XIII. summos Pontifices verba facere: quas quidem orationes *obedientiales*, (sic enim ille audacter appellat) edendas curauit. Scribendi ratio paululum à vulgi consuetudine diuersa vt lapides inscriptos cupide nimis sectaretur in, *Tempto, hiemps, inlustris, adfectus*, similibusque. Matura ætate annos natus LVII. vita Romæ decessit, anno domini x v. Kal. Octob. CIↃ. IↃ. LXXXI. Elatus honorifice, conditusque in templo sodalium Oratorii in habitu S. Dominici; sic enim testamenti tabulis iusserat: magno bonis omnibus sui relicto desiderio, quos lucubrando iuuit, læsit vero neminem.

Scriptorum syllabum adscribere non pigebit.

INDEX SCRIPTORVM ACHILLIS STATII LVSITANI.

I. COMMENTARII IN VETERVM. *scripta.*

IN M. Tullii Topica De Fato, & de optimo genere Oratorum: cum appendicibus. Louanii. 1552 & 1553.

Obseruationum in varios Latinorum scriptorum locos, *lib.* I.

In Suetonii illustres Grammaticos, & claros Rhetores Scholia.

In Horatii artem poeticam Commentarius Antuerpiæ.

In Catullum & Tibullum. Comment. Venetiis Manut.

Sylua carminum, & Callimachi Hymni duo, in Iouem & Apollinem Latine redditi. Parisiis an. 1549.

Oratio in Topica Ciceronis: & *altera quodlibetica de animorum immortalitate.* 1547.

Orationes tres, vt vocant, *Obedientiales*: duæ pro Sebastiano Lusitaniæ rege ad Pium IV. Pium V. & Gregorium XIII.

Epistola ad Martinum Azpilcuetam Doctorem Nauarrum, *de Ecclesiasticis redditibus*, Epistolis aliquot recens additis.

QVÆ

QVÆ E TENEBRIS ERVIT LATINA.

S. *Ferrandi* Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi *opuscula* pia.

Gregorii Bætici Illiberitani Episc. De Trinitate & fide: verum ψευδεπιγραφοι; est enim Faustini Episc.

E GRÆCO LATINE CONVERSA SS. PATRVM *Homeliæ XII.*

S. *Chrysostomi* Orationes IV.
1. Dominicæ orationis explanatio.
2. In Natalem Domini.
3. In Sancta Thoophanica.
4. De Dauid Propheta.
5. *Gregorii Nysseni, de Abraham & Isaac.*
6. *Athanasii in magnam Parasceuen.*
7. *Amphilochii, in Sabbathi S. diem.*
8. *Gregorii Antiocheni Episcopi in Sepulturam & Resurrectionem Domini.*
9. *Sophronii in exaltationem S. Crucis, & Resurrectionem.*
10. *Cyrilli, in parabolam vineæ.*
11. *Anastasii Sonaitæ de sacra Synaxi, & de iniuriis remittendis.*
12. *Martiani Bethlemitæ fragmentum.*

Nili Abbatis epistolæ tres.

Eiusdem *Statii Tabula Chorographica* Lusitaniæ; exstat in Theatro orbis terrarum Abrahami Ortelii.

Typi epistolici seu epistolarum figuræ αἰωνύμως & Libanii Sophistæ, ac Demetrii Phalerei de epistolis locus Louanii. 1551.

ACHILLES STATIVS LVSITANVS

AD COGNOMINEM SIBI ACHILLEM STATIVM, Episcopum Pellæ: cuius exstant Commentarii Græci in Arati φαινόμενα, de amorib. Leucippæ, & Clitophontis; aliaque.

QVIS me adeo clari socium tibi nominis esse
Magne pater, voluit? nam me non nominis vna
Littera, non vnum tibi me, sed nomen vtrunque
Iungit: & haud tenui superas me voce, sed vnus
Statius, atq; ambo pariter sumus vnus Achilles.
Num quia cognato sequitur te sidere noster
Vultus, & ingenium, naturaq; prouida vires
Fudit vtraq; pares, mentesq; effecit iisdem
Ignibus, & simili spirare è corpore fecit?
Forsitan hic aliquis superum, quia corpore vidit
Atque animo similes, ne res discrimina parua
Vlla daret, totidem verbis tum nomina nostris
Dictauit quondam pius ille parentibus, ac te
In me alio functum voluit Deus ille renasci.
Aſt heu me miserum, nec enim sic credulus, aut sic
Insanus paria humanis diuina putabo,
Improba sinceris, puris obscœna, Deosque
Sic hominum similes. Nam me licet integra tecum
Nomina contingant; tenuis nec syllaba tantum
Dissimilem faciat: certe procul imperat esse
Imparitas vitæ. Nam te diuina beatum
Conditio iungit superis, vnde arduus omnes
Prospectas medius nitida inter sidera terras:
Atque animo fortasse notas vrbesque, locosque
In quibus acta pio quondam tibi vita tenore
Aeternæ meruit cœlestia munera sortis.
Adde quod humanas olim fœlicius artes
Ingeniumque laborque tibi peperere: tuumque
Nomen habet, scriptisq; olim procul audiit orbis
Leucippenq; tuam vidit felicior ætas,

Et Clitophonta tuum, quosq; olim doctus amores
Lusisti, scripto tantum lasciuus amator.
Quinetiam voces rerumque vocabula quonam
Fonte cadant, verbisq; vnde est aut spiritus, aut vis
Monstrasti, patuitq; tuæ mox artis origo.
Idem magnorum clarissima facta virorum
Nominibus signata suis, & bella, ducesque
Scripsisti varios, perituraque nomina per te
Illuxere aliis, iam non ingloria per te.
Axis vterque poli nihil hinc transmittit, & inde
Moliturq; nihil subitum, quin ante futuros
Prodideris motus. Idem vaga sidera toto
Seruasti cœlo, terrasq; emensus & altum
Late animo pelagus, tractusq; situsque locorum
Diceris illustri monstrasse volumine, quæ nunc
Forte latent alibi, tenebrisq; immersa, nitenti
Luce carent. Aut vt iam olim solet inuida nobis
Hæc rapuit, longaque diu nocte obruit ætas.
Sed neque summus honos summo tibi defuit: aut hos
Ingenium aut pietas terra inhonora reliquit.
Cingitur ecce tibi sacra sublime tiara,
Ac gemmis illustre caput. datur ecce bacillus
Quem dextra teneas, auro argentoque nitentem;
Quemq; geras Christiq; greges moderere verendus
Antistes, colat Aegyptus: veneretur & illa
Imprimis vrbs, quæ titulis clarissima gaudet
Pellæi ducis. Hæc etenim tibi seruat, habetque
Vrbs patrios manes: hic te felicibus ortum
Auspiciis læti tum nutriuere parentes:
Atque rudem lucis cœlo vitæque gementem
Inseruere nouæ: ac Nili labentia late
Flumina monstrarunt; auidis quippe omnia parum
Lustrabas oculis, longoque potentia tractu
Arua superfuso, sed quæ sacer alueus amne
Ac sparsis beat altus aquis, raroque cadentes
De cœlo pluuias vndanti gurgite supplet.
Felix quem sequitur tantarum gloria rerum.

Qui meritus totas vnus comprendere laudes.
Vixisti terris gratus, cælog, receptus
Illustri, meritis viuis viuacior astris.
Nec solidæ decessit honos pater alme coronæ,
Sed melius circum radiantibus emicat astris,
Assurgitq, caput nitido gemmantius orbe.
At tu seu Boream spectas sublimior, aut si
In mediis habitas potius regionibus austri,
Siue pius gaudes orientem cernere solem,
Longius aut mauis nitidus supereſſe cadenti
Quæ te cunque tenet magni plaga lucida cæli,
Inde tuos, inde oro oculos, huc flecte, tuumque
Aspice, nec pigeat Stati, pius aspice Achillem:
Et tua, qui terris bis nomina tota relictis
Reddit, in hoc similes placeat tibi fingere mores,
Ac plane tueare tuum, sic tu esse videbor
Sic alius, sic in me iterum credere renatus.

DAMIANVS A GOES LVSITANVS.

DAMIANVS A GOES in oppido Alanquer quod, vt sentit Resendius, prisca secula Gerabrigam appellabãt, nobili apud suos genere natus, Lusitanus fuit, quales in Hispania Hidalgos hodie nominant, siue Italici iuris, vt quidam volunt, siue quod patrem vt bene nati, ciere possint: quomodo olim & *Patritii* Romæ dicti: Lusitanus, inquam, non Belga fuit. Fallit itaque nos Cornelius Callidius Batauus, qui in Belgicorum scriptorum censum nuper hunc retulit; deceptus, credo, nominis ambiguitate, in scriptura quidem: pronunciatione enim satis distinguuntur. Zelandum fuisse putat ex Goesa Zelandorum insula frumenti satis ferace. Accidit nimirum Damiano, quod Homero ob præstantiam ingenii olim: cuius de patria certabant:

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ. vt & Christophorum Longolium, eloquentiæ nomine (quæ tum exsistere primum atque è tenebris emergere cœperat) Parisienses suum esse dicebant, Romani sibi vindicabant, Batani vero repetunt. Puer igitur DAMIANVS optimæ indolis fuit, Emanueli Lusitaniæ Regi à cubiculis, ætateq; prouectior in frugem optimam euasit. Fratrem habuit,

buit, Fructum à Goes nomine, eiusdem Regis cubicularium hominem probum, & amicis vtilem. Ille lustrandi orbis iam inde à puero cupiditate flagrabat, ne obscurus domi atque inglorius (quod in patria fere quisque neglectus iaceat) consenescceret. Per Germaniam itaque & Belgicam Galliam, Lusitanorum Regum negotia gerens, per annos amplius quatuordecim, terra marique iactatus, honorificas obiuit legationes ad ipsum etiam Sarmatiæ Regem, quæ Poloniæ hodie dicta est. Senex tandem fama clarus, litterisque diues, & prudentia instructus reuertit. Primum igitur in Belgium nauigio delatus, iactis iam vel in grandiore ætate fundamentis, Italiæ visendæ, vt scientiarum parentis, percupidus, eruditorum hominum commendatione Patauium se contulit, anno eius sæculi CIↃ. IↃ. XXXIIII. Hic in Petri Bembi hominis ea ætate disertissimi, & Patricii Veneti, qui post à Paulo III. virtutis ergo anno 1539. in Purpuratorum Patrum collegium est adlectus, amicitiam se insinuauit. Hic hominis elegantia, morumque suauitate vehementer delectatus, sponte, quod aiunt, currentem incitauit, studiisque calcar addidit. Quattuor ipsos annos Patauii commoratus, vsus quoque Doctore est Lazaro Bonamico, Professorum disertissimo. Æstate vero dum vindemialibus feriæ cessationesque dari solent, vltro citroque peregrinari, gruum more, consueuit: siue quod ingenio esset Mercuriali, & profectione adsueuisset, siue quod capitis vertigine assidue conflictaretur, cui malo vectationem præsens adferre remedium medicorum filii affirmarent. Vsus & amicitia est crebris litteris Iac. Sadoleti, & Christoph. Madrucii Cardinalium: quorum hic Tridenti; Carpentoracti ille Præsulem agebat. Anno vero eius sæculi XXXVIII. Louanium postliminio rediit, & Conradum Goclenium, quique illi succenturiatus fuit, Petrum Nannium, Latiæ doctores linguæ, vt disertos homines & eruditos inprimis coluit. Musicæ autem à pueritia deditus, vsque eo Lusitanicæ gentis ritu excelluit, vt ea componeret, quæ in templis alii modularentur. Sic & Athenienses Musicam litteris, ac gymnasticæ, natationique coniunxisse accepimus: pro quibus, è palliata Comœdia in Togatam retulit Terentius Venationem, & Philosophiam, ad quam libero dignæ homine artes, & Musica referantur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Vt animum ad aliquod studium adiungant: aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philosophos.

Musicam autem Damiani, popularis eius andreas Resendius, poeta eius æui non ignobilis, celebrauit hoc Epigrammate:

Elige vtro mauis horum te nomine dici:
An Phœbi an Orphei; dulcis vterq; modis:
Aut si non spernis genus, à quo Musica primum
Inuenta est, nobis sis, Damiane, Tubal.

Huic altera ex parte respondere Poeticam non ignorans, quod hæc rythmis, illa sonis, vtraque numeris constans: & licet grandis iam natu esset, discere non erubuit: Latinæq; sese eloquentiæ addixit, M. Catonis exemplo: qui iam septuagenarius Græcas litteras (quas cum gente ipsa cane peius & angue ad eam diem oderat) tam auide arripuit, quasi diuturnam sitim explere vellet. Sed quo vsus Damianus magistro, poeta ipse dixerit:

Quis docuit? suus ipse Grapheus. quis duxit in alti
Pimplæi montis culmina sacra? Grapheus.
Quis pinxit? suus ille Grapheus, Cornelius idem
Nouit qui & versu, & pingere periculo.

Cornelius autem hic à Secretis fuit Reip. Antuerpiensis, vt & Ioachimus Polites, Goesa Zelandiæ oriundus, Poeta egregius, & ab actis Reip. (Graphiarios ibi nominant,) qui & carmine Damianum prædicauit. Hic animum ad matrimonium appulit, duxitque Hagæ Comitis (quod oppidum Batauorum curia est) nobilem virginem Ioannam ab Hargen, liberaliter educatam. Quemadmodum in epithalamio, Alardus Amstelredamus cecinit.

Sustulit ex ea filium, cui Emanueli nomen à Rege illo Portugalliæ inuicto. De quo nomine & omine in pueri recens nati Genethliacum lusit Petrus Namius.

Ab aula ac palatina seruitute animum pridem abduxerat, vt studiis se daret commodius, posteritatique subseruiret: memor illius Marci Varronis sententiæ, *quæ legendo scribendoque procudi vitam* iubet, hortante eodem & stimulos addente versibus, Andrea Resendio

sendio Eborensi, vate insigni, & aulicæ iam vitæ pertæso: vt veteris illud* Poetæ, identidem vterq; memoria repeteret.

* Lucan. lib. 8.

—— exeat aula, Qui volet esse pius.

Igitur domicilium Louanii post tot tantasque peregrinationes, veluti in sede Musarum collocarat. cum ecce tanquam Dauus, Comœdiam turbans, interuenit bellum, quieti eius inuidens. Etenim anno CIↃ.ↃↃ.XLII. obsessa vrbs Louaniensis à Martino Rossemio duce non impigro, qui Geldrorum copias, Regis Gallorum auspiciis in Babantinum agrum, Caroli Cæsaris vexandi caussa, ductabat: & propius factum nihil quam vt vrbem occuparet, nisi Scholasticorum vis obstitisset, instruente copias, animosque addente Damiano; qui cum Senatus populique nomine durantibus induciis ad hostes exiuisset, & ab ipsis in vincula coniectus esset, violatas inducias causantibus, cum socio suo Metero duobus aureorum liliorum millibus redemptus est; vt terga tandem hostis verterit, & in fugam se dederit. Cuius etiam virtutis nomine, gratias publice studiosis Namius Rhetor egit ea oratione, quæ in manibus est: descripsitque eam ipsam obsidionem Damianus Olysipone. Vt & Gelrogallicam illam coniurationem, obsidionemque Antuerpiensem Ioan. Seruilius, & Pontus Heuterus Delphius, verius sane copiosiusque narrantes, quam in sui temporis Annalibus Paulus Iouius. Ceterum de variis Damiani opusculis, quæ senior Louanii edidit, approbante Academia vniuersa hæc fere leguntur. *Diensis in India oppugnatio*, qua Lusitanorum ea vis enituit, vt profligatis Turcarum copiis victoria sint potiti; vt & Iacobus Teuius Lusitanus alter descripsit. *Lippiæ descriptio ac deploratio.* Laudatio item *Hispaniæ*, quam Nannio, vt victoriam illam Bembo, inscripsit, qui tum Venetam meditabatur historiam. *Sebastiani* autem *Munsteri calumnias* refellit, qui Hispanos famelicos, de alieno semper saturos & peregrinos homines, duros, feroces, immanes, imperitos, ingenio infelices, inelegantes, in sua Cosmographia venenis referta vocasset. ÆTHIOPICA quoque LEGATIO magnam legenti voluptatem adfert: vt & *Olysiponensis* vrbis descriptio. Igitur hisce ingenii monumentis, & morum suauitate, facilitate, & erga doctos liberalitate non modo apud suos clarus, exstitit, sed & exteris hominibus carus acceptusque vsque eo fuit, vt vel inuisum, absentemque vnice diligerent. Nam & in Germania (de Italia enim & Belgio iam commemorauimus) obserua-

batur ab eruditis hominibus: Henrico Glareano, Bonifacio Amerbachio, & Sigismundo Gelenio, quorum hic suas in C. Plinii Naturalem historiam Obseruationes doctas, Iupiter, & laboriosas Damiano lubens dedicauit: Glareanus libris de Musica honorifice predicauit. Senex in patriam honoris gratia à Rege accitus, vt patriam scribere historiam regia auctoritate, pergeret, calumniis æmulorum circumuentus (Virtutis enim comes inuidia est) in vinculis causſam dicere coactus est. Tandem in libera custodia domus atque vrbis versans, domi suæ mortuus repertus est, siue apoplectico correptus morbo, siue à furacibus suffocatus famulis, incertum. Illud certum, meliori dignum exitu fuisse. Viuent tamen perpetuo ingenii monumenta. Imagini eius à Philippo Gallæo Antuerpiæ in æs incisæ, Benedictus Arias Montanus Elogium hoc adscripsit.

Gentis Thucydides enarrat gesta Pelasgæ,
Romana claret Liuius historia:
Hic alia vt taceam sera date scripta senecta,
Aethiopum accepit nomen ab historia.

VITA

VITA

GONDISALVI PINARII

EPISCOPI VISENSIS.

IACOBO MENOETIO VASCONCELLO Auctore.

GONDISALVVS Pinarius Cetobricæ, quæ Lusitaniæ vrbs est, ex claris, & piis parentibus ortus, in prima statim pueritia, litteras humaniores didicit, & mox ineunte adolescentia, iuri Pontificio operam dedit, primum in Academia Olysipponensi, quæ eo tempore florebat, deinde in Salmanticensi, vbi sub clarissimis professoribus, breui in litteris magnos progressus fecit, & apud reliquos studiosos non vulgarem sibi virtutis & eruditionis famam comparauit. Itaque in Sancti Bartholomæi collegium admissus, & deinde ad Doctoris gradum prouectus, adeo celebri nomine apud Salmanticenses esse cœpit vt à nonnullis amicis ad Senatoriam dignitatem, ex Pintiana curia inuitatus fuerit. Qua conditione repudiata in Lusitaniam rediit, accersitus à clarissimo principe Iacobo Brigantii duce, regis Emmanuelis ex sorore nepote, cuius familiæ addictus erat, cui operam suam in grauioribus negotiis obeundis biennio nauauit. Quo exacto, ad ecclesias, in quibus sacerdotia obtinebat, ab eodem duce sibi collata, secedere decreuit: quæ in ea regione sitæ sunt, quam vulgo Lusitani vltramontanam vocant. Erat Dux eo tempore Conimbricæ, quo pestilentiæ vitandæ causſa confugerat. Obtenta igitur ab eo proficiscendi licentia, in otio tranquillo, & honesto vitam traducere decreuerat in illa regni parte, à strepitu, & aulico ambitu longe remotissima. Distat enim ea regio Olysipone octuaginta circiter Hispanis leucis. Sed longe aliter res accidit. nam vix elapso semestri, cum ex amicorum litteris

intellexisset, Canonicatum Eborensis Ecclesiæ, qui paulo ante vacarat, alicui ex iurisperitis conferendum fore, qui in litteris optimum ingenii specimen dedisset, Eborum se contulit. Qua vrbe Ioannes Rex, eius nominis tertius, eo tempore moram trahebat. Quo peruenit ineunte Iunii mense, anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio. Ac facto virium periculo in legali, & canonica scientia cum aliis candidatis, Alphonsi Cardinalis regis fratris, qui Eborensi Ecclesiæ præerat, omniumque canonicorum, qui certamini interfuerant, suffragiis victor declaratus, Canonicatum adeptus est. Vnde illi mox ingens eruditionis fama accreuit. Qua Rex permotus, senatoriam dignitatem ei sponte obtulit, nec multo post, Episcopum Zafiensem iam designatum, vna secum Olysipponem proficisci voluit. Vnde post susceptum consecrationis munus, illum confestim in Galliam misit, vt Baionæ, quæ ciuitas est Aquitaniæ, vna cum quibusdam aliis collegis, ardua quædam & difficiliora negotia obiret, quæ inter ipsum, & Franciscum Gallorum Regem inciderant, propter nostrorum hominum querimonias qui se à Gallis fortunis suis spoliatos, & multis affectos iniuriis, assidue querebantur. Nec deerant apud Gallos, qui se à Lusitanis male mulctatos, & pro piratis, atque hostibus immerito habitos dicerent. Cumque eo iam res deuenisset, vt ad arma, & belli incommoda spectare videretur, placuit prudentissimis Regibus, vt commune quoddam tribunal constitueretur, pari iudicum numero, totidemque aduocatis, ac scribis ex vtroque regno, vbi res suas iure repetere possent, qui se vim passos, & iniuria aliqua affectos, legitimis probationibus ostenderent. Qua in obeunda prouincia, cum ipse inter Lusitanos præcipuum locum obtineret, inter Gallos Camagnus secundus præses senatus Burdigalensis, tanta ab eo diligentia est adhibita, vt sedatis simultatibus, ac mutua inter vtrosque beneuolentia contracta difficillima negotia vtrinque paracta, ac molestissimæ lites sopitæ sint: confluente eo quasi per integrum quadriennium, tamquam ad commune quoddam iustitiæ, & æquitatis asylum, magna hominum multitudine. Qua in vrbe, incredibilem sibi, virtutis, & pietatis famam, tam apud Gallos, quam apud Lusitanos comparauit. Nullum enim beneficentiæ genus prætermittebat, quo sibi omnium animos, non deuincire studeret. Nam quod ad Lusitanos attinet, eos, qui

qui ad res repetendas quotidie Baionam ventitabant, perhumaniter exceptos, domi suæ, propriis expensis alebat. Collegas vero suos & aduocatos regios, frequenter mensæ adhibebat, & omni humanitatis genere prosequebatur. Quam etiam in clarissimum præsidem Burdigalensem, ceterosque Galliæ regis ministros, tanta beneuolentia, ac sollicitudine exercuit, vt ex æquo ab omnibus diligeret, obseruaretur. Iam vero populus Baionensis, & præsertim ecclesiæ Cathedralis canonici, illum, vt charissimum Episcopum, non extraneum, sed suum, summo amore, atque obseruantia sunt prosecuti, idque adeo ex animo, vt nihil prætermitterent, quod ad illum venerandum, demerendumque, tam publice, quam priuatim pertinere videretur. Populus enim præter alia multa amoris, & beneuolentiæ signa, quæ quotidie, non solum erga ipsum, sed etiam in comites, & familiares ipsius proferebat. Quoties in publicum prodeuntem conspexisset, lætis acclamationibus omnia illi fausta optando, precandoque, patriæ patrem, & communem omnium ciuium parentem consalutabat. At canonici sepissime eum obnixis precibus rogarunt, vt Baionensis Episcopi vices susciperet, & ecclesiæ gubernandæ munere fungi vellet. Quam prouinciam cum sæpius recusasset, occupationum suarum magnitudinem obtendens, victus tandem assiduis illorum postulationibus, eam suscepit, verum in ea tantum parte, quæ ad spiritualium munerum curam, & administrationem pertinet. Quod compertum haberet ea in re operam suam ecclesiæ Baionensi esse perneceſſariam, quæ ob diutinam Episcopi sui absentiam, longo iam tempore eo bono caruerat. Suscepto igitur totius populi incredibili applausu, ecclesiæ gubernandæ facultate, eam in his præcipue exercuit, quæ ad Pontificis ordinem attinet, nihil imminuens de eorum iure & potestate, quos Episcopus exercendæ iurisdictioni, & controuersiis definiendis præfecerat. Verum hos quoque auctoritate, & consilio ita iuuabat, vt quæuis negotia magni momẽti, ac ponderis, ad illũ referrent, nihilq; nisi ex ipsius nutu, & sententia decernerent. Ceterũ, quæ ad pontificale officium, & sacras ceremonias pertinerent, maxima cura, & religiose peragebat. Diuina officia in illa insigni, & sacrosancta ecclesia, adstãte sibi grauissimo Canonicorũ cœtu, prꝯipuis, & valde solemni-

bus festis celebrare nunquam destitit, quam diu ibi mansit. Confirmationis sacramentum, non solum pueris, sed etiam prouectæ ætatis hominibus assidue contulit. Ad sacros ordines, cum delectu, multos promouit. Ecclesias complures, tam intra ciuitatis ambitum, quam in vicinis oppidulis, consecrauit. Nihil denique prætermisit integro ferme quinquennio, quod in ea vrbe transegit ab anno salutis millesimo quingentesimo trigesimo septimo, vsque ad quadragesimum secundum, quod ad vigilantissimi Pastoris munus pertineret. Hinc illi apud omnes summa veneratio, amor, obseruantia. Cumque omnibus charus esset, ab illis præcipue colebatur, qui morum integritate ceteris præstabant. Viris autem religiosis omnium ordinum, quorum ea tempestate ingens in Gallia florebat multitudo, ita deditus erat, tanquam arcta familiaritate coniunctus, vt illum non secus ac indulgentissimum parentem diligerent. Quorum inopiæ promptam & spontaneam opem libenter afferebat. Eandem curam gerens monialium, viduarum, ac pupillorum, omnium denique, quos egestate laborantes, pudor mendicare non sineret. Reliquos vero egenos, quotidie intra ædium suarum vestibulum benigne admissos, partim pecunia iuuabat, partim mensæ reliquiis alebat. Domesticos autem suos & familiares, tanta cura, ac sollicitudine in officio continere perpetuo studuit, vt apud Baionenses non mediocrem inde laudem reportauerit. Vnde contigit vt ciuitas populari quodam erga ipsum studio incensa, episcopum suum & diceret, & ab omnibus ita nominari vellet. Nec deerant, qui affirmarent minime passuros se, vt ab eo vllo vmquam tempore desererentur. Complura alia amoris & beneuolentiæ signa, atque argumenta in illum quotidie edentes. At cum anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, accepto à rege Lusitaniæ nuncio, in oppidum, quod vulgo sancti Sebastiani dicitur, in proximis Cantabriæ finibus situm secedere decreuisset, maxima populum mæstitia, & luctus occupauit, vociferantibus cunctis, eripi sibi pastorem suum, inopum parentem, Sacerdotum decus, & egregia pietate insignem antistitem. Nulla erat domus, nullus vicus, nullum forum, nulla basilica, vbi hæ voces permixtæ lacrymis, & singultibus non exaudirentur, adeo vt cum iam profectionis tempus adesset, deducente illum regis præfecto Buria, qui officii caussa, ad duo passuum millia exeuntem prosequutus est, vniuersa po-

populi multitudo portis effusa, ingenti edito clamore, patriæ patentem a se diuelli lugubri eiulatu quererentur. Quos ille benigne salutatos, blanda voce, & sedato vultu, bene omnes, valere iubens, tandem non sine magna difficultate, à se demisit retinens secum aliquot ex canonicorum numero, quos passus est vna proficisci, vsque ad proximum oppidulum, quod sancti Ioannis à Luce vulgo dicitur. Vnde paulo post, illi in vrbem redierunt, ipse vero ad pagum Irunium peruenit, traiecto Aldunia fluuio, qui Gallias ab Hispaniis ibi disterminat, paucis ex domesticis suis secum adductis, quia ceteros ex Biarnensi portu, cum omni supellectile, mari præmiserat. Postera die Easonem adiens (vulgo Fonterabiam dicunt) vt ex itinere Sanctium Leiuam salutaret, eius prouinciæ præsidem, copiarumque præfectum, ante solis occasum, ad oppidum sancti Sebastiani peruenit. vbi trimestre tempus exegit, dum ex Lusitania regis nuncium & proficiscendi licentiam expectat. Nec interim à consuetudine sua recessit, reipublicæ iuuandæ. Accepta enim à Pampelonensi Episcopo facultate, ibi quoque spirituale Pontificis munus exercuit, magnamque gratiam tam ab vniuerso Clero, quam à reliquis ciuibus iniuit. Quo tempore iam ad Tingensem episcopatum, ex Zaphiensi, translatus fuerat. Acceptis deinde à rege litteris, quibus redeundi in Lusitaniam spes certa ostendabatur, magno est affectus gaudio, id namque valde concupiuerat, tum vt consanguineos, & amicos post tam diuturnam absentiam inuiseret, tum etiam quia episcopatus cura eum non parum anxium, & sollicitum habebat, licet eo tempore vbique ea consuetudo perperam inualuisset, vt Episcopi raro ecclesias suas inuiserent, præsertim in transmarinis regionibus sitas. Itaque per Vardulorum tractum, qui vulgo *Lebuzcua* dicitur, iter faciens superato sancti Adriani monte, Medinam Campi ineunte mēse Decembris peruenit, vbi eum insperatus à Lusitania tabellarius assequitur litteras ferens, quibus iterum in Galliam proficisci iubetur, vt apud Franciscum regem oratoris, ac legati munus gerat. Paucis igitur ibi consumptis mensibus, in adornando itineris apparatu, rebusque necessariis comparandis, missitandisque in Lusitaniam nunciis, ac litteris, quibus cum rege, de rerum suarum statu, & conditionibus agere necesse fuit: initio veris, anno millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Medina excedens, perque eadem vestigia

viam ingressus, aucta domesticorum turba, & magnificentius re familiari instructa, non sine ingenti gaudio, & gratulatione populorum, per quos nuper iter habuerat, Baionam peruenit, vbi tanta repente exorta est ob illius reditum lætitia, vt vix sibi ciues temperarent, quominus ei ad multa passuum millia, obuiam prodirent. Matronæ vero, & reliqua multitudo gratulabundis, faustisque acclamationibus omnia complere, certatim ex mœnibus egredi, vias & loca muris vicina insidere, vnde eum conspicere, & salutare possent, dicere, ac pro certo credere, suis lacrymis, suis precibus ad DEVM optimum maximum effusius effectum, vt communem omnium parentem, & piissimum Episcopum iterum in vrbe sua incolumem cernerent. Iam vero tectis appropinquantem, maximo applausu, ac incredibili amoris, & beneuolentiæ significatione vniuersa ciuitas domum vsque deduxit: petentes obtestantesque per suam, erga ipsum, obseruantiam, amorem, pietatem, ne charissimos ciues, immo obsequentissimos filios desereret, neque ab eis vllo vmquam tempore abesse vellet. Misereretur viduarum, pupillorum, egenorum, ac denique omnium ciuium, quibus vt antea eius discessus acerbissimus fuerat, ita modo optatissimus aduentus maximam lætitiam, gaudiumque afferebat. Quorum studium, & egregiam erga se voluntatem magnopere collaudans, eis tam publice, quam priuatim gratias egit. Deinde expositis profectionis suæ causis, cupere se dixit vrbis sibi amantissimæ conspectu, & ciuium charissimorum familiaritate diutissime frui; sed id in sua minime esse potestate, quia longius iter suum differre nequeat, immo vero illud maturare, atque accelerare necesse habeat. Triduo igitur quieti, & vobis desiderio concesso, omnibus operam suam, & studium pollicitus, si quid apud Regem, aut ipsum Baionensem Episcopum agi cuperent (qui Regis aulam sequebatur) Burdegalam proficiscitur. Vnde mox Lutitiam Parisiorum, per Pictauos, & Aurelianenses petens, ad Regem peruenit. Apud quem oratoris munere fungebantur Franciscus Noronius, vir summo loco natus, qui postea Linatii comes fuit, cui in legatione succedens, illico apud Regem, & reliquos principes, quos eo tempore Gallia & potentissimos, & clarissimos habebat, magnam virtutis, & integritatis famam adeptus est, adeo vt rex illum, quoties venientem ad se conspexisset, bonum & pium Episcopum, coram multis,

tis, & diceret, & prædicaret. Quod sapientissimi Regis testimonium, magnam ei apud omnes auctoritatem conciliauit. Erat in primis Leonoræ reginæ charus, tum propter singularem eius in Lusitanos omnes voluntatem, quorum Regi antea nupta fuerat, tum etiam ob inculpatissimos illius mores, summamque vitæ integritatem, cuius fama Regis quoque filios & præsertim Henricum, qui postea patri in regno successit ad ipsum summopere amandum suspiciendumque inuitauit. Libet hic obiter exponere certissimam eius coniecturam, quam de eodem ipso Henrico fecerat, aliquot annis antequam ad regnum capessendum accederet: variis enim de eius indole, & futurorum euentu sparsis, vt fieri solet, vulgus rumoribus, & scissis in contrarias partes hominum studiis, dum aliqui Aurelianensi duci magis fauerent, ipse vt erat acerrimo iudicio, & magna rerum experientia præditus, nonnumquam ab amicis rogatus, quid de eius moribus, & imperandi artibus in posterum præsagiret, constantissime semper asseruit, Henricum magni, inuictique animi principem, si quando ad regni gubernacula tractanda peruenisset, in Regem maximum clarissimumque euasurum. Nec illum sua fefellit opinio. Nam inter fortissimos, potentissimosque Galliæ Reges, vix vnum, aut alterum reperire licet, qui sit cum illo comparandus, siue animi magnitudinem, & rerum gestarum gloriam, seu pietatem, & Christianæ religionis studium spectes. Cum igitur erga Henricum sic esset animatus, seque ab illo non mediocriter amari perspexisset, frequenter ad ipsum, viuente adhuc patre, ventitare solebat, nullam occasionem prætermittens, tanti sibi principis conciliandi. Coniiciens id, quod euentu comprobatum est, fore, vt Francisco Rege vita functo, magnum sibi ea res adiumentum aliquando afferre posset ad difficiliora quædam legationis suæ capita facilius pertractanda. In quo etiam singulari studio Annæ Momorantii præfecti prætorio adiutus fuit, qui apud Henricum, gratia, & auctoritate, primum locum obtinuit. Quem virum enixe semper coluit, & officii genere sibi deuincire numquam destitit, præsertim eo tempore, quo ipse Momorantius, ob alienatam à se propter leues quasdam suspiciones, Francisci voluntatem, ab aula excedens, in oppida quædam suæ ditionis, Lutetiæ vicina, se recepit. Vbi postquam aliquot annos, in otio honesto, cum magna animi tranquillitate vi-

tam egisset, ab Henrico confestim post susceptа regni gubernacula, accersitus, & reipublicæ administrationi adhibitus fuit. In qua ita se gessit, vt nihil dici possit tam magnificum, quod eius laudes, & immortalem nominis gloriam vlla ex parte æquare possit. Tanti itaque viri amicitia, & opera subnixus, cum primum Henricus insignia regni susceperit, res maximas difficillimasque confecit, quas antea, iniquitate temporum impeditus, ad exitum perducere nequiuerat. Cum igitur apud Franciscum, & Henricum legati munere cum summa laude functus esset, in Lusitaniam redire statuit, consumpto in Gallia integro decennio: quo tempore ingens pondus æris alieni contraxit: erat enim à sordibus, & ab omni auaritiæ specie valde alienus: & quamquam mediocritatem maxime probaret, & suapte natura ad frugalitatem esset propensus, in publico tamen oratoris munere obeundo, magnam, & ornatam domesticorum turbam alere, & splendida, lautaque mensa vti necesse erat, quæ optimo cuique semper patuit: Lusitanis præsertim, quorum ea tempestate Lutetiæ non mediocris erit numerus. Multi præterea nobiles, & insignes viri, tam ex Gallis, quam ex Hispanis Leonoræ Regiæ familiæ addicti, ad illum assidue commessatum veniebant. Aderant etiam ex Lusitania non pauci magnates, qui legatione regia fungentes, vel in Belgium ad Carolum Imperatorem, vel in Germaniam ad Ferdinandum Romanorum Regem, vel in Angliam, aut Italiam, ceteraſque Galliæ vicinas gentes illac iter habebant. Quos omnes magnifice hospitio exceptos, omni officiorum genere prosequebatur. Ad hæc præcipuam curam semper adhibuit, in subleuendis oppressis, & egenis hominibus, qui ex Lusitania in Galliam perpetuo confluebant, à piratis capti, & fortunis omnibus spoliati, quibus opem promptissime afferebat: adeo, vt etiam mensæ suæ supellectile argentea, nummulariis, pignoris nomine assignata, nonnullos ex ergastuli, & tritemium vinculis, vbi iniuste detinebantur, liberaucrit. Non deerat viris studiosis, & piis, qui in Parisiensi Academia versabantur, quorum consuetudine assidue vtebatur, modo hos, modo illos mensæ adhibens, atque aliis beneficiis sibi deuinctos reddens. Religiosorum cœnobia libenter inuisebat, & peculiari quodam amore, Carthusianos fratres amplectebatur. nec abs re puto paucis exponere, quam ardenti studio, quamque assidua cura, per omnem ætatem litteris

ris deditus fuerit. Atque, vt Iurisprudentiam omittam, qua inter insignes Iurisconsultos sui temporis in primis floruit. Græcas litteras Baionæ prope iam senex discere cœpit. Nec erubescebat, cum ea esset ætate, & auctoritate discentis personam assumere. Quinimmo vt ceteros suo exemplo ad virtutis, & bonarum artium amorem excitaret, palam & adhibitis nonnunquam amicis, ac familiaribus, præceptiunculas, & minutias illas grammaticæ artis sibi perlegi, & incalcari volebat, tantumque breui tempore in eius linguæ cognitione profecit, vt eam exacte, & ad vnguem calleret, & omne genus auctorum inoffense, summa cum voluptate animi euoluerit. Nec ea re contentus, vt erat otii impatiens, & discendi cupidus, linguæ quoque Hebrææ cognitionem sibi comparauit, in qua multum studii, & laboris insumpsit, dum per eam faciliorem sibi aditum parat, ad sacræ Scripturæ lectionem, quam semper ceteris studiis adeo anteposuit, vt diceret nihil magis decere viros bonos ac pios, præsertim sacerdotio addictos, quam vt ceteris omnibus studiis omissis, penitus se sacrorum librorum lectioni traderent: quod ipse, quoad eius fieri potuit efficere conatus est. Nam quamuis plurimis, grauissimisque occupationibus districtus, numquam noui, & veteris testamenti libros legere, & tam Græcos, quàm Latinos interpretes euoluere destitit. Adhibitis etiam Hebraicæ linguæ commentariis, quibus tamquam subsidiaria ope adiutum ad diuinarum litterarum pleniorem cognitionem se peruenire posse sperabat: cuius linguæ addiscendæ occasionem illi Parisiensis Academiæ opportunitas obtulit. Ad Græcas etiam litteras exactius perdiscendas vsus est ibi opera Ioannis Cheredami viri doctissimi, ex ipsa Græcia oriundi, cuius nonnulla extant opuscula. Adiecit & Astronomiæ, & Geographiæ studium. Denique nulla est ars, aut liberalis, & digna ingenuo, & pio viro disciplina, quam non attingere, & delibare voluerit. Vt autem tanquam ex diuerticulo ad eius in Lusitaniam profectionem redeamus, sub finem mensis Iunii anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, iter est ingressus, vna cum Francisco Noronio, cuius antea memini, qui ad salutandum Henricum, iterum in Galliam missus fuerat. Itaque à Lutetia per Aurelianenses, Pictauos, Burdigalensesque Baianam peruenit ad vigesimumquintum Kalendas Augusti, vbi & à Regio præside Capellio, qui tunc vi bi præ-

erat, & ab vniuerso populo honorifice exceptus, & aliquot dies commoratus, vt vrbis desiderio satis faceret, iterum se itineri accinxit. Deinde per Pyrenei iuga, perque Victorienses, Burgenses, Pintianos, Salmanticenses, eam Lusitaniæ regionem petiit, quæ Interamnensis dicitur, quod inter Durium, & Minium amnes sita sit, vt monasteria sibi paulo ante à rege collata inuiseret. In quibus reliquam ætatis partem transegit, & ineunte Octobri mense, Olysipponem se c ntulit, ac statim in numerum Senatorum, qui Palatini dicuntur, cooptatus est. In quo munere, vt in ceteris magistratibus, quos gessit, singularem apud omnes fidei, & integritatis famam est adeptus. Ea autem erat in omnes humanitate, & comitate, vt certatim libellos suos supplices ad illum reiici, ab ipso rege contenderent: & (quod raro accidere solet) etiam repulsam passi, æquis animis discederent, tanta, ac tam constans erat, de eius virtute, & singulari doctrina vulgo concepta opinio. Cum igitur aliquot annos in aula non sine magna nominis celebritate versatus, nec minus regi, reliquisque principibus, quam populo charus, strenuam, fidamque operam reipublicæ nauasset: anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, Visensem vrbem, cuius Episcopatum adeptus fuerat, inuisere decreuit, sexagesimum tertium ætatis suæ annum agens. Longum vero esset dicere, ac commemorare, quanta cum laude pontificium munus ibi administrauerit: nec exspectandum à me est, vt singula eius facta egregia, & pio Episcopo digna, referre aggrediar: id enim longiorem narrationem requirit, qua lectorem defatigare mihi non est in animo: sed summatim, ea tantum attingere, quæ insigniora mihi visa sunt, ex quibus quiuis cetera coniicere, ac diiudicare valeat. Ad Visensem igitur Ecclesiam, tam à canonicorum collegio, quam à reliquis ciuibus valde expetitus, ac desideratus peruenit, ad quos cum animum benevolum, & vere paternum attulisset, multa ac præclara opera statim edidit, quibus illorum exspectationem non solum non fefellit, sed etiam longe superauit. Synodum enim paucis interiectis mensibus coegit, in qua nihil prætermisit, quod ad communem totius diœceseos curam, vtilitatemque pertinere videretur. Nec multo post, constitutiones editas ab anterioribus Episcopis, quæ propter temporum, rerumque vicissitudines fere in desuetudinem abierant, in optimam formam redactas typis excudendas curauit.

uit. Diuino cultui, sacrisque cæremoniis rite, solemniterque peragendis inprimis studuit, templorum ædificiis reficiendis, nouisque ecclesiis ædificandis, sicubi id necessitas exigebat maximam operam adhibuit, prouinciam suam assidue peragrauit, cauens non mediocri sollicitudine, ne cui oneri, aut sumptui esset. Quinimo ab aliquo hospitio exceptus, aut munusculis donatus, illico cumulatiori munere, aut alio beneficentiæ genere, gratiam referre satagebat. Erat enim vt diximus, minime tenax, & ab omni auaritia, ac sordium specie abhorrens, idque per omne vitæ tempus, tam verbis, quam factis aperte declarauit, sed præcipue in Pontificio munere exercendo, in quo sibi egenorum, & pauperum curam præcipue delegit: adeo, vt in illis subleuandis, alendis, iuuandisque non solum opes, & facultates suas, sed etiam omne studium, operamque consumeret. Accidit autem, non raro vt fame, in ea regione ob agrorum sterilitatem eius tempore inopes laborarent, quorum inopiæ promptissime subuenit, non sine magna hominum admiratione, qui non solum Lusitaniam, sed vicinas etiam prouincias, miris præconiis, & laudibus, ob eas, ac ceteras eius virtutes compleuerunt: tantaque apud omnes pietatis fama floruit, vt ad illum tamquam ad communem egenorum parentem, inopes vndique confluerent. In vrbe Visensi omnium viduarum, & pupillorum, qui egestate laborarent, curam gerebat: idque ita occulte, vt excepto quodam Canonico, vitæ integritate insigni, qui eius confessiones audiebat, nemo id rescire ante eius obitum potuerit. Eiusdem vero canonici opera vtebatur in ceteris piis operibus, quæ occultare satagebat: ne ob inanes hominum rumusculos, cælesti præmio, & proposita a Deo optim. Max. bonorum operum mercede, fraudaretur. Ciuium nobilium liberos, præsertim eorum, quibus tenuiores essent facultates, in familiam suam admissos, liberaliter educauit, & bonis moribus, ac litteris imbui, etudirique curauit, ex quibus complures ad sacerdotia promouit. In hospitibus excipiendis, colendisq; adeo comis, ac liberalis fuit, vt eius domus non propria ipsius, sed commune quoddam omnium hospitiū esse videretur. Cumque plurimis gratus, & charus esset, vix vlla dies præteriit, qua non ab aliquo externo hospite adiretur, præter quotidianam Canonicorū, & reliquorū ciuium turbā, qui ab eo frequēter mensæ

adhibebantur. Vt vero in iis, quæ ad humanitatis officia pertinent, leni, & pacato erat ingenio, moribusque suauissimis, ita in corrigendis, castigandisque vitiis seuerus, & vehemens, citra vllam tamen iracundiæ & maleuolentiæ notam. Cumque omnes sibi persuasum haberent, non illi homines, sed vitia, & crimina displicere, tanta animi æquitate, eius admonitiones, & saluberrima consilia admittebant, vt etiam seueriſſime correpti, illum parentem indulgentissimum, & benignissimum prædicarent. Multos etiam certum est ipsius auctoritate, & grauitate, qua plurimum pollebat, impulsos, ad meliorem frugem peruenisse. Quodque alii nonnumquam, vinculis, carceribus, & exilio vix assequuntur, ille solo exemplo, & naturæ bonitate effecit. Hinc communis erga illum omnium amor, incredibilisque beneuolentia: hinc miræ laudes, mira præconia, adeo vt certatim omnes illius nomen ad cœlum attollere conarentur. Quæ hominum studia, & amoris argumenta, aduersa eius valetudo, ita accendit, vt in eius vita omnium salus, & fortunæ periclitari viderentur. Morbum autem grauem, & molestum contraxit ex renum calculo, & stomachi imbecillitate, quæ tandem in cibi tædium & virium defectum conuersa, mortem denique illi attulit: quam æquo, ac sedato animo agnoscens, ex hac caduca vita, ad illam æternam, felicemque discessit, non sine ingenti, ac prope incredibili omnium luctu, qui eius funeri interfuerunt. Nec solum qui aderant, sed omnia Visensis prouinciæ oppida, illum vt communem parentem, & pium Pontificem diu luxerunt. Nec minori prope dolore affecti sunt, audito illius obitu, qui procul, magno terrarum interuallo disiuncti, eius virtutes & vitæ sanctimoniam magnis laudibus efferri, semper audierant. Quorum omnium communis fuit, & iusta querimonia, indignantium eripi reipub. talem, tantumque virum, præsertim tempore, quo & ob teneram Sebastiani Regis ætatem, & propter impendentia quædam pericula, quæ bonorum animi iamdiu præsagitabant, magni omnium intererat, illum, & omnes illius similes, quam diutissime viuere. Obiit mense Nouembris anno 1567. ætatis vero suæ septuagesimo septimo. Statura fuit procera, & recta, corpore aliquantulum obeso, sed agili, & compacto, atque omnium membrorum æqua proportione conspicuo, latis humeris, extento pectore, firmis lateribus, necnon brachiis, cruribus,

bus, manibus, pedibusque, quam insita vi, ac venusto motu, decentibus. Iam vero in vultu, orisque lineamentis, tanta inerat grauitas, blanda quadam lenitate, & hilaritate condita, vt omnes quantumuis extraneos, & ignotos, ad se amandum, suspiciendumque solo aspectu alliceret. Oculi pro modo capitis & faciei, aliquantulum exigui, sed viuidi, & præfulgentes. Veneranda omnino, atque etiam in maxima hominum turba, conspicua, & decora facies, cuique canities plurimum auctoritatis adderet. Valetudine vsus est prospera, toto fere vitæ cursu, exceptis aliquot leuioribus morbis, & oculorum agritudine, qua in Gallia aliquandiu laborauit. Sed temperantia, & cura, omnia naturæ incommoda facile vincebat. Erat etiam supra modum medicorum consiliis addictus, idque illi mortem aliquantulum accelerasse affirmant. Dum enim se omnino renum vitiis mederi posse confidit, medicis ita se tradidit, vt medicamentorum copia, & vehementia stomacho debilitato, letalem illum morbum contraxerit. Vir fuit constantia, & humanarum rerum despicientia admirabilis, & cuius vultum neque secundæ, neque aduersæ fortunæ vicissitudo facile mutaret. Vix vnquam, etiam cum ætas vigeret, illum aliquis subiratum esse sensit, etiam cum in domesticos suos animaduerteret, quod seuere, sed sedato animo facere solebat. Nemo ipsum vmquam iurantem, nemo alicui detrahentem audiuit. Inter cetera, verborum iactantiam, & inanem ostentationem ita vitauit, vt cum plurima negotia apud regem, tam in Lusitania, quam in Gallia semper habuerit, nemo vnquam aliquid eorum, quæ gessisset commemorantem audierit. Quod morum asperitati minime adscribi debet: fuit enim humanissimus, & amicorum consuetudine in primis delectabatur, sed potius constantiæ, & singulari cuidam taciturnitati, qua res serias, & magni momenti, penitus occultandas esse iudicauit. Campo, & deambulationibus præcipue oblectari, & vires reficere solebat, existimans exercitationibus moderatis bonam valetudinem plurimum conseruari. Quod illi abunde præstitit suburbana villa, quæ à mœnibus Visensis ciuitatis, quingentis circiter passibus distans, episcopis satis commodum, & amœnum hospitium præbet, quam ille magnis sumptibus, ad meliorem culturam redactam, ecclesiæ valde frugiferam, atque vtilem effecit. Sunt

ibi compſures aquarum fontes, à quibus etiam nomen traxit, Fontellium enim vulgo dicitur. Hæc illi villa tutiſſimus portus, hæc requies, hæc curarum, laborumque medela: hic quicquid à publicis, ſeriisque negotiis, temporis ſupererat, inſumebatur. Hic ab amicis ſalutabatur. Hic ad illum omnes ſemper faciles aditus habebant, vtpote in publico, & ſub dio ſemper deambulantem, & temporis tædium, ſenectutisque moleſtias, iucundiſſimi loci amœnitate fallentem. Nuſquam aberant libri ſacri, quinimmo in omnibus fere manſiunculis, quas in diuerſis villæ diuerticulis, ad quietem captandam diſpoſitas habebat, quoties deambulando laſſitudinem contraxiſſet, aut Sancti Baſilii, aut Hieronymi, aut alterius eiusdem claſſis auctoris volumen aliquod promptum & paratum ſemper habebat, & iuxta librum ſedilia, in quibus non tantum requieſceret, & corporis vires reficere, ſed etiam legendo animum oblectare, & ad cœleſtium rerum ſpem erigere poſſet.

VITA

VITA
CLARISSIMI VIRI
MICHAELIS CABEDII SENATORIS REGII,
ET OLYSIPPONENSIS CIVITATIS Gubernandæ, triumuiri.

IN Luſitaniæ ora maritima, iuxta radices Barbarii Promontorii, ſitum eſt nobile quoddam, & opulentum Oppidum, quod vulgo, *Cetuual* dicitur, olim verò à Geographis Cetobrica, & Cetobrix dicebatur, vt conſtat ex Pomponio Mela, Ptolomæo, & itinerario Antonini.

Tanta autem eius ſitus eſt amœnitas, ac pulchritudo, vt illum natura ipſa velut penicillo depinxiſſe videatur. nam ab Occidentali plaga mare habet Oceanum nobilium piſcium omnis generis, & præcipue Mullorum, Solearumque copia redundans. Ab Orientali autem, Callipodem fluuium, *Sadenum* hodie dictum, non ſolum lintrium, ſed etiam nauigiorum vſque ad quinquaginta fere millia paſſuum capacem: quo fertiliſſimus ager irrigatur, optimi tritici, & omnium, quas terra producit, frugum feraciſſimus: præterea incredibili Salinarum prouentu celebris, ex quibus ingens candidi ſalis copia, onerariis Belgicis, ac Germanicis in Septentrionales regiones quotannis aſportari ſolet.

Oppidum ipſum flumine iam mari permixto, & oſtio vicino alluitur à Meridionali parte, vbi æſtu recedente ſpatioſum, & iucundum aſpectu littus efficitur, arena tenui, & ſolida, nec veſtigio cedente, ita firmum, vt & pediti, & equiti commodiſſima, ac gratiſſima exiſtat deambulatio.

Ex oppoſita vero mœnium parte, oppido egredientibus occurrit pratum amœniſſimum, octingentis circiter paſſibus in longitudinem, ac totidem in latitudinem patens irriguis aquarum alueis innumeris præterea hortis, pomariis, ſiluis, vineis vndique cinctum.

Ager autem altissimis montibus clauditur, in quorum vertice Palmella conspicitur, oppidum haud contemnendum, quod à copia mellis Polymellam olim dictum fuisse suspicor. Horum montium aspectus suauissimus est, & maris prospectui æquiparari potest. distant enim à muris sex tantummodo passuum millibus: multis villarum ædificiis, & amœnissimis hortis, fontiumque multitudine nobiles, præterea pinetis atque aliis arboribus consiti. Arbuti etiam genus quoddam passim producunt, ex quo coccus colligitur ad tingendam purpuram, Emeritensi, quem Plinius laudat, non inferior. Vnde non mediocre lucrum tenuioribus obuenire solet.

Cæduntur etiam in omnibus illius promontorii iugis lapides quos vulgus propter admirabilem pulchritudinem, colorumque varietatem, iaspides appellat, ex quibus muri ipsius vrbis maiori ex parte constant: quorum ambitus quadrata forma, tria fere passuum millia amplectitur, præter duo suburbia, in quibus non exigua hominum multitudo degit.

Vrbis ædificia tam vrbana, quam suburbana pulchra, ac solida structura constant, inter quæ multæ sunt potentiorum ædes magnifice extructæ: sed peculiari quodam splendore eminet nobilis, & antiqua Cabediorum domus, versus septentrionem, iuxta vrbis murum, & in ipsis mœnibus sumptuose ædificata.

In hac domo natus est Michael Cabedius, anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo quinto. Patrem habuit Georgium Cabedium virum nobilissimum filium Iacobi Cabedii, ex nobilissima Cabediorum familia.

Matrem vero Teresiam Pinariam, sororem clarissimi viri Gondiçalui Pinarii Episcopi Visensis, matronam omnium virtutum genere ornatam, sub cuius tutela mansit, cum patrem amisisset annos natus plus minus decem.

Literas humaniores discere cœpit Olysippone, quæ Cetobrica distat viginti quattuor passuum millibus, id est sex nostratibus leucis, quæ quadrant eum numero ab Antonino assignato.

Cum vero annum ageret decimum tertium, vna cum Ioanne Pinario fratre suo (qui postea diui Dominici religionem ingressus, cum magnus Theologus esset, missus ad Concilium Tridentinum à Rege Sebastiano, Romæ obiit) in Galliam ab auunculo accersitus, Bayonam Aquitaniæ vrbem, & deinde Burdigalam peruenit: vbi biennii spatio in politioribus litteris multum profecit. Post ea vero in

in Academia Tolosana Ioannem Corasium, Ferdinandum Berengarium, Ferrerium, Monsabracum, & complures alios insignes vtriusque iuris interpretes summo studio coluit, quibus ob ingenii acumen & morum probitatem, charus, & gratus inprimis extitit.

Deinde in Lusitaniam reuersus anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Conimbricæ, Antonium Soarium Olysipponensem, & Martinum Azpilcuetam Nauarrum, & nonnullos alios Pontificii, & ciuilis iuris professores diligenter audiuit.

Cumque iterum in Galliam rediisset, Aurelianensem Academiam, ac deinde celebre illud Parisiense Gymnasium omnium scientiarum domicilium adiit; ibique cum vigesimum secundum ætatis annum vix attigisset Comœdiam primam Aristophanis, quæ Plutus inscribitur, è græca in latinã linguam eleganter conuersam, in lucem edidit, auunculo nuncupatam, qui eo tempore apud Franciscum Gallorum Regem legatione fungebatur. Ad ea tandem properemus, quæ gessit in magistratibus obeundis, quos fere omnes gradatim ac summa cum omnium bonorum propensione, & applausu consequutus est.

Primum igitur ad senatoriam dignitatem admissus in suprema illa curia, quæ Supplicationis vulgo dicitur, magnam apud omnes integritatis, & doctrinæ famam sibi comparauit. Nec multo post Criminum auditor (vt vocant) creatus, incredibili animi moderatione, & æquitate, munus illud, & reliqua omnia, quę gessit, administrauit.

Permotus itaq; Serenissimus Rex Sebastianus eius virtutum, & eruditionis fama, cum per diuersas Lusitaniæ prouincias certum Senatorum numerum cum suprema potestate mittere decreuisset, illum honorificentissimo munere ornatũ ad Cistagenam regionem delegauit, cui præerat Petrus à Cugna vir summo loco natus, quo post paucos menses à Rege, ad quædam belli munia subeunda reuocato, ipse in eius locum suffectus est, & Præsidis officium suscepit. In quo ita se gessit, vt purgata malefícis hominibus prouincia, & optime vbique ordinato reipublicæ statu, maximum decus & celebrem nominis famam inde reportauerit.

Mox vero cum Regi visum è Republica fuisset, tres grauissimos viros ex Senatorio ordine, Olysipponensi ciuitati gubernandæ præficere, ipse inter primos nominatus est, qui ad eum triumuiratum assumeretur, in quo munere tanta nominis celebritate floruit,

vt audito obitus eius nuntio, populus Olysipponensis illum publice lugeret, vt communem parentem, & egregium libertatis suæ defensorem.

Idque Christophorus Tauoræ vir nobilissimus, qui tunc gratia apud Regem plurimum poterat, se vidisse narrauit, cum ob conceptum ex illius obitu mœrorem filios consolaretur. Quinetiam cum post luctus tempus, ipsi Regem adiissent, deque eius meritis verba facerent benignissimus Princeps vix lacrymas comprimens, & ingemiscens, in eius laudes prorupit.

Quod etiam illis contigit apud piissimam, atque sapientissimam Reginam Catharinam Regis auiam, & apud Henricum Cardinalē, qui Sebastiano in Regno successit, & apud reliquos principes. Omnes. n. illum vt virū pium & doctū, & optime de Repub. meritum, præterea singulari eruditione præditum, & vehementer amabant, & tam integra adhuc ætate è vita decedere ægre ferebant.

Nam quinquagesimum secundum annum agebat, cum graui morbo correptus, intra paucos dies obiit, compositis prius omnibus rebus, tam quæ ad animæ salutem, cuius illi semper præcipua cura fuit, quam ad sepulturæ locum, liberorumque tutelam, & bonorum successionem pertinebant. Quæ omnia aliquot annis antea, in tabulas testamenti redacta, occulteque semper apud se asseruata reliquit.

Tam manifesta autem signa pietatis dedit, vsque ad vltimum vitæ spiritum, vt & religiosi, qui aderant & reliqui amici, qui funeri interfuerunt, magnopere illius animi constantiam admirarentur.

Obiit Olysippone mense Aprilis anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, in ea vrbis regione, vbi arx editissima sita est. Corpus suum in vicina Sanctæ Crucis Ecclesia deponi voluit, vnde postea Cetobricam translatum, & in sepulchro auito collocatum fuit, in celebri & magnifico sacratissimæ Virginis Mariæ templo, in capella maiori, in cuius parœcia domus Cabedia sita est.

Vxorem vnicam habuit Leonoram Pinariam de Vasconcellos, consanguineam suam, ex qua septem liberos superstites reliquit, quinque videlicet filios, & filias duas.

Ex filiis natu maximus Georgius Cabedius de Vasconcellos, variis amoris, & pietatis argumentis, erga Patris memoriam editis, tam in eius exequiis procurandis, quam in transferendo corpore, & legatis adimplendis, eandem etiam pietatem ergo matrem & re-

& reliquos fratres exercens, magnam apud omnes virtutis, & probitatis famam consequutus est: ac paterna vestigia ingressus, in senatoris munere obeundo, atque aliis arduis negotiis ab inuictissimo Rege nostro Philippo, & à Serenissimo Principe Alberto ipsius fideicommissis, cum summa integritatis, & doctrinæ laude versatur. Qui tandem ad consilium status Lusitaniæ, quod apud Regem Madriti residet, euocatus est. Filium secundo genitum habuit Gonçallum Mendez de Vasconcellos, is sacris insignitus in Collegium Sancti Pauli Academiæ Conimbricensis cooptatus est: in quo ex mandato Regis per aliquot annos publice legit. Quem munere Inquisitorio functum, & ad Senatum supplicationis enectum, Rex noster Philippus Romam misit, vt apud Summum Pontificem negotia ipsius tanquam Regis Lusitaniæ ageret; vbi Sanctissimi D. N. Clementis VIII. Referendarius vtriusque signaturæ creatus est. Quo tempore adeptus occasionem, in lucem edidit aliquot sua opera, quæ ad ius canonicum & ciuile pertinebant, scilicet tres libros diuersorum iuris argumentorum, ac tractatum de sententiis Inquisitionis recognouit, & emendauit. Librum de antiquitatibus Lusitaniæ & alia opuscula optimi & doctissimi parentis, & consanguineorum, quæ Typis Vaticanis magna industria, & suis sumptibus mandare curauit.

Supereſt vt de eius scriptis, deque studiorum ratione aliquid dicamus. Et quod ad iuris ciuilis disciplinam attinet multa scribere, & in lucem edere potuisset, nisi persuasum haberet, parum ex ea re vtilitatis reipublicæ prouenire, propter innumerabilem prope librorū copiam, ex quibus tantū abest, vt aliqua lux legum obscuritati afferatur, vt potius maiores indies ex illis tenebras, atq; ambages oriri videamus; vt nō immerito Imperator Iustinianus celeberrimo vetuerit edicto, ne quis in posterū commentarios in ius ciuile scribere auderet, idq; etiam Summis Pontificibus curæ fuit: sed auida hominū mens ad ea semper audenda, quæ vetita & prohibita sibi, aut indignatur, aut dolet, effecit, vt hodie collidentibus se inuicem Doctorum opinionibus, difficilimū sit, quicquam certi in iure asserere: cum sententiæ non pondere, aut æquitate, sed numero præualeant. His ergo rationibus adductus, cum plurima in libris Iurisconsultorū diligenter obseruasset, quæ acute, & copiosè interpretari potuisset, omnino sibi ab ea scriptione abstinendum iudicauit.

Animum igitur appulit ad ea tantū conscribenda, quibus grauiora studia remittere, & cum musis in gratiā redire posset, quæ me-

ditari solebat, cum à seriis negotiis aliquid temporis supererat, vel cum iter faceret, aut ruri esset. nunquam enim minus erat otiosus, quam cum otium nactus fuerat.

Scripsit libenter heroica carmina, quibus Ioannis Principis Epithalamion, deinde Sebastiani Regis Genethliacon celebrauit: cum vero idem Rex vigesimum tertium ætatis annum ageret, cum eius natali die ciuitas Olysipponensis publicum votum pro eius incolumitate susceptum, solenni supplicatione exoluisset, ipse pro iuncto sibi munere (nam triumuiratum gerebat) vt erat in Regem & in eius laudes propensissimus communem lætitiam, peculiari quoque amoris, & obseruantiæ argumento cumulare cupiens, poema illud composuit quod inscribitur (vota vigesima tertia) idque paucis horis, & quasi ex tempore, vt ciuitatis nomine pro natalitio munere Regi offerri posset.

Circa stemma suum, & insignia gentilitia in aulæis, duo elogia scripta gerebat, alterum Græce, quod ad verbum sic habet. Hoc speculum progenitores nostri posteris suis reliquerunt, honoris & virtutis ergo. Alterum latine in hunc modum: Gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ.

Græcis litteris assiduam operam semper impendit, in quibus adeo profecit vt eas non minus exacte, quam latinas calleret, & felicissime plurima ex Græcis auctoribus in latinum sermonem conuerteret, quæ in lucem edere minime curauit: nisi quod adolescenti Parisiis in studiis versanti excidit Latina interpretatio Pluti Aristophanis Comici lepidissimi, typis Michaelis Vascosani an. M. D. XLVII. Villas suas & ædes versiculis, & ingeniosis inscriptionibus decorare studuit.

Prudentia fuit singulari, memoria tenaci, peracuto ingenio, acri iudicio, & suapte natura ad re res difficiles, & obscuras in antiquorum libris perue stigandas, valde propensus. Opera Sidonii Apollinaris, quæ librariorum incuria penitus corrupta, ac deprauata circumferuntur, nacto Parisiis, in Bibliotheca Victoriana, codice manuscripto, restituere conatus est. Nec minorem diligentiam adhibuit in elucidandis variis veterum auctorum locis difficilioribus. Statura fuit nec breui, nec nimis procera, flauo capillo, hilari vultu, sed innata quadam grauitate decoro, & cuius aspectum, tam domestici, quam extranei non minus amabant, quam reuerebantur.

CLA-

CLARISSIMI VIRI MICHAELIS CABEDII EPITAPHIVM PER IGNATIUM de Moraes.

OSSA *Michaelis sunt hic tumulata Cabedi,*
Quem legum, & iuris docta caterua gemit.
Florentem studiis genere, haud ætate labantem
Mors tulit humanis inuidiosa bonis.
Causarum iudex, inter quos Regia honorat
Curia, præclarum nomen adeptus erat.
Cingebat gemina (quod rarum est) tempora lauro,
Inque forum Phœbum, Castalidasq; tulit.
Gloria sed maior morum est, & vita probata,
Quæ numquam à recto deuia iure fuit.
Ergo cadauer humo requiescit, astra volauit
Mens iusta, & iusti iudicis ora videt.

IN LAVDEM MICHAELIS CABEDII REGII QVONDAM SENATORIS, AVCTORIS patris.

Emanuel Pimenta societatis IESV.

SEdes Vlyßis, qui lauit aureas
Tagus fluentis aurifer aureis
Fuluosq; thesauros profundit
Gemmifera pretiosus vrna:
Fuluo decorus tegmine sustulit
Aurata fuluo tempora gurgite,
Interque Nympharum caterua
Ora suo lita soluit auro.
Heroa nostis nobilis ingeni,
Qui nos Hydaspi prætulit Indico,
Niloque, famosoque Gangi,
Eridano, latioque Tibri:
Nymphæ superbi gloria fluminis
Non vsitatis tollite laudibus

Insigne Kebedi per ortus
Nomen, Hyperboreosque campos.
Virtute inerti pressa silentio
Patrum sepultæ distat inertiæ,
Heroes à musis sepulti
Ad superas reuocantur auras.
Obliuiones non ego liuidas
Sinam labores carpere, maximi
Et facta Kebedi superba
Ingenuis cumulata palmis.
Æquum merenti reddere gratias,
Quo glorioſus ciue ſuperbio,
Dum frænat inſignem per annum
Iure domos Ithaci beatas
Præſes ſeueræ iure potentiæ
Dum regna luſtrat proxima Duriæ
Vel flore, vel Lympha fugaci
Elyſias imitata ſyluas,
Seu conſulentis Regia Curiæ
Conſulta, lingua prouehit aurea
Prudens futuri, vel per vſus
Dotibus ingenii ſuperbus:
Seu clara profert lumina patriæ,
Claros decoro nomine liberos:
Queis ardor in morem leonum
Enſe ſacro lacerare Turcas,
Queis ſacra cordi, queis bene Principis
Commiſſa magni cura negotii,
Queis cura nuptarum decus, vel
Virgineam capere ante palmam.
Heroa Nymphæ dicite, plauſibus
Permiſta lætis carmina: non volo
Ceſſent per Europam, per Afros,
Perque Aſiæ locupletis oras:
Donec decoris parta laboribus
Connexa mundi gloria tranſuolet,
Noritque præclaros honores
Poſteritas venientis ævi.

Sic fatus vndis mergitur aureis,
Nymphæ coronas vertice detrahunt,
Ex hiſque Kebedo coronam
Flore parant pretioſiorem.
Cui nec procellæ, nec fuga temporum,
Maiorſque, vel mors Marte potentior,
Non iræ cæli fulminantis
Excutient meritos honores.

EPIGRAMMA AD EVNDEM MICHAELEM CABEDIVM.

Stirps genus egregium dedit inclyta, docta Minerua
Iura tibi, linguam gratia, Muſa chelin.
Vtiliter patriæ vixiſti, mortuus illi,
Vtilis es natis, poſt tua fata tuis.
Non moritur moriens, qui pignora clara relinquit:
Clara ſibi, patriæ non minus illa ſuæ.
Te natæ coluere duæ: nam ætate trophæis
Illuſtri in campis maxima iuncta viro eſt.
Altera dulce iugum mundanæ neſcia vitæ
Suſtinet: hanc refouet religionis amor.
Proque fide ſacro præbes duo fulmina Marti
Diſſimiles fratres tempore, Marte pares.
Hic ſacri Antiſtes iuris, ſacer additus aris,
Et mundum ſacris, ingenioque iuuat.
Alter ius callens auguſta negotia curat,
Iuſtitiæ Regi gratus honore ſuæ.
Mortuus in natis viuis poſt fata, tibique
Longior efficitur, quam data vita fuit.
Non habet ætatem, ſed numinis æmula virtus
Omnia tranſcendens ſecula fine caret.

Universidad de Deusto Biblioteca

VITA IACOBI MOENETII VASCONCELLI, I. C. LVSITANI.

EX EIVS SCRIPTIS COLLECTA.

IACOBO ex optimis & piissimis parentibus nasci contigit. Nam parens illi Gondisaluus Mœnetius Vasconcellus, ex antiqua Vasconcellorum familia originem trahens, vir fuit inculpatissimis moribus, & magna ergo Deum pietate, vitæque integritate memorabilis. Præterea singulari animi fortitudine præditus, qua aduersus fidei hostes, tam in Africa, quam in India strenuam operam Reipublicæ impendit. Mater vero faustum Beatricis nomen sortita, soror fuit clarissimi viri D. Gundisalui Pinarii Visensium Episcopi: cuius etiam vitam, & res gestas Iacobus posteritati tradidit. Cum vero pater ex India, vbi septennio militauerat, in Lusitaniam rediisset, anno salutis millesimo quingentesimo vicesimo secundo, pestilentiæ vitandæ causa, Cetobrica, hodie Cetunal, proficiscens, in oppidum inde viginti leucis distans secessit, quod vulgo Alter dicitur, & olim Elteri à Romanis vocatum fuisse constat, ex Itinerario Antonini, vbi veteres clientelas, & amicos, atque consanguineos habebat: à quibus perhumaniter exceptus, & loci amœnitate captus, ibi ædes ædificauit, in quibus natus Iacobus Kal. Maii, anno vigesimo tertio supra sesquimillesimum.

Nata est etiam in eodem oppido soror Leonora Pinaria, quæ nupsit Michaeli Cabedio Senatori Regio, & triumuiro ciuitatis Olysipponensis gubernandæ, cui arcta sanguinis necessitudine coniuncta erat. Fuit enim Michael Cabedius filius Therasiæ Pinariæ, matris Iacobi sororis: quem ille fraterno amore prosecutus, & ab ineunte adolescentia, socium semper habuit & participem omnium consiliorum, & studiorum. Cum ergo in eo amœnissimo secessu, parentes quinquennii spatium, cum summa animi tranquillitate, felici rerum successu, transegissent, dum pater à labore diutinæ militiæ, & longinquæ nauigationis molestiis conquiesce-

quiescere cupit: Callipolin (quæ vulgo Ciuitas amœna, seu Vizosa dicitur) sedes transtulit, euocatus humanissimis litteris præstantissimi Ducis Brigantii Iacobi, cuius cliens erat. Quo etiam venit auunculus ipse Gondisaluus Pinarius eiusdem familiæ addictus. Qui aliquot annos domo Iacobi vtens, incredibili amore, & beneuolentia, præterea omnibus humanitatis officiis à charissima sorore exceptus, atque excultus, in maxima concordia cum parentibus vixit, vsque ad annum M D.XXX. quo grassante in eo tractu pestilentia, auunculus in vicinam oppido villam, vna cum Iacobi matre, & reliqua familia secessit, pater autem domi remansit. Nec multo post auunculus Conimbricam profectus, inde ad ecclesias inuisendas recessit, quas in Vltramontana regione obtinebat, vt in eius vita diffusius narratur. Cessante vero ea lue, quæ complura Lusitaniæ oppida afflixit, transactis ruri quindecim circiter mensibus, Callipolin reuersi sunt. Rediit quoque dux ipse, qui Conimbricam confugerat. Nec diu postea vixit.

Mater etiam ex puerperio vita excessit, summum dolorem marito, liberis miserandam orbitatem, maximum vero reliquens sui desiderium, non solum fratribus, sororibus, ceterisque propinquis, sed etiam Illustrissimę Ioannæ Ducis vxori, & Isabellæ filiæ, quæ postea Eduardo, Regis Emmanuelis filio, nupsit, reliquisque principibus feminis, cum quibus illi arctissima interceserat familiaritas. Fuit enim inter nobiles matronas sui temporis, incomparabili virtute, singulari prudentia, & incredibili morum grauitate conspicua. Quas egregias animi dotes ornabat staturæ proceritas, cum decora vultus venustate coniuncta. decessit autem ætatis suæ anno quadragesimo quinto. Nec pater diu concepto ex charissimæ coniugis obitu dolori obsistere potuit. Anno itaque millesimo quingentesimo trigesimo quinto, mense Februarii graui ægritudine correptus, mortem obiit, cum prius Iacobi fratrem natu maximum Ioannem Menœtium Vasconcellum in Indiam misisset, Iacobum autem auunculo tradidisset, sub cuius tutela receptus, & liberaliter educatus, Eboræ primum, deinde Olysippone in eius familia permansit, vsque ad annum millesimum quingentesimum trigesimum septimum, quo auunculus iam Zaphiensis Episcopus creatus, in Galliam cum amplissima legatione missus est. Nec statim eum secum ille abduxit, sed cum Bato-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam Aquitaniæ vrbem peruenissent, in qua ei diutius erat immorandum, litteris accersitum ad se proficisci iussit, vna cum consobrinis illius Ioanne Pinatio, & Michaele Cabedio fratribus, sub Pædagogo Aluaro Bernardo Cetobricensi, pio, & graui viro, sacerdotii sacris initiato. Erat Pinarius biennio Iacobo maior, & Cabedium eodem temporis spatio anteibat, qui tunc decimumquintum
1538. annum attigerat. Igitur anno 1538. Octobri mense ineunte, rebus necessariis ad iter oppurtune instructi, Cetobricaque profecti, Baionam perueniunt. vnde paucis interiectis diebus, ab auunculo Burdigalam missi, ad capiendum ingenii cultum, in celebri Gymnasio, quod ibi eo tempore florebat, sub moderamine Andreæ Goueani Lusitani, ex Pace Iulia oriundi, viri grauissimi. Vbi in litteris humanioribus biennii tempore versati quas iam in Lusitania addiscere incœperant, Baionam ad auunculum ab eodem Goueano perducti sunt. Nec multo post Tolosam adeunt, ad Iurisprudentiæ studia capessenda in illa nobili Academia, in qua insignes Iurisconsulti, tunc ius Ciuile, & pontificium interpretabantur. Inter quos Corasius, Monsabracus, Ferrerius, & Ferdinandus Berengarius præcipui habebantur. Illic ergo aliquandiu morati,
1542. anno 1542. mense Maio, ab auunculo rursus accersiti Baionam reuertunt Iacobus & Cabedius. Nam Pinarius Tolosæ sancti Dominici religionem fuerat amplexus: in qua postea doctor Theologus Parisiis creatus, summam eruditionis, & virtutis famam adeptus est: sed immatura morte præuentus, cum ad Tridentinam Synodum à Lusitaniæ rege missus esset, Romæ vltimum vitæ diem obiit, ætatis suæ anno trigesimo nono. Imminente autem bello, quo rex Franciscus Perpinianum per duces suos obsedit, summum imperium in exercitu obtinente Henrico filio, qui ei postea in regno successit: auunculus è Gallia profectus, & in oppido Cantabriæ, quod vulgo *Sancti Sebastiani* dicitur, trimestre tempus moratus, inde in Lusitaniam iter direxit. Sed cum in vrbem, quæ Methina Campestris cognominatur, peruenisset, & a rege iterum in Galliam redire, & apud Franciscum oratoris munere fungi iuberetur: Mœnetium & Cabedium in patriam proficisci voluit, vt desiderio Therasiæ sororis satisfaceret, quæ filiorum diuturna absentia, & viduitatis ærumnis afflicta, id ab eo summis precibus efflagitauerat. Cetobricam igitur perueniunt
1543. decimoquinto Kalendas Ianuarii, anno 1543. vnde ineunte Martio,

Martio Conimbricam profecti, ad Legalis scientiæ curriculum peragendum: vbi Martinum Aspilcuetam Cantabrum, & Antonium Soarium Olysipponensem, hunc ciuile, illum vero ius canonicum publice interpretantes, integro triennio audierunt. Anno autem 1545. mense Iunio, iterum ambo in Galliam ab a- 1545.
uunculo accersiti; quem Rothomagi inueniunt. inde vero Aurelianensem Academiam inuisunt: in qua Pamelii Belgæ, Iurisconsulti magni nominis, familiaritate vsi sunt. Deinde Lutetiam, regiam vrbem, totius Galliæ caput adire iussi, (vbi eo tempore & Catholico religio, & litterarum cultus magnopere florebant) ibi Petrum Rebuffum ius Canonicum prælegentem audire, & eius singulari doctrina frui contigit. Postea in Lusitaniam auunculum sunt secuti anno 1548. sub finem mensis Iunii, quo per- 1548.
ueniunt, ante initium Septembris, & aliquandiu morati in regione Interanensi, quæ vulgo inter Durium & Minium dicitur, vbi auunculus monasteria quædam obtinebat: tandem mense Octobris ad regem Olysipponem peruenerunt. A quo Iacobus Tridentum missus, ad Concilium sub Iulio III. Pontifice maximo redintegratum, vna cum Iacobo Siluio, viro nobilissimo legationis Principe, & Iohanne Paez Iurisconsulto; ac Iacobo Goueano Theologo. Itaque è Lusitania profecti & felici vsi itineris successu, superatis hyberno tempore, in Hispania Pyrenæis, in Gallia Alpinis montibus, Tridentum perueniunt, die quinta Martii, 1552. Vnde 1552.
post intermissionem Synodi, quæ contigit die XVIII. Aprilis, Venetias secesserunt, vt ibi regium nuntium expectare, & vrbem totius Europæ pulcherrimam per otium inspicere possent. Vbi æstate consumpta, Siluius, & Goueanus iterum in Lusitaniam redierunt: nam Paccius Patauii decesserat: Mœnetius vero discedens Verona, ex ædibus clarissimi Antistitis Aloysii Lipomani, qui hospitio omnes exceperat, Romam per Ferrariam, Rauennam, Ariminum, Vrbinumque petens, eo peruenit die decimatertia Septembris, anno 1552. Quam florentem & aureo quodam 1552.
seculo fruentem comperit sub Iulio Sanctissimo, & Sapientissimo Pontifice, quo regnante, sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Senatus viris, & vitæ integritate conspicuis, & omnium disciplinarum cognitione claris, ac generis splendore admirandis abundauit. Inter quos commemorare libet nonnullos, vt ipse ex illius temporis memoria, aliquam voluptatem animo percipere possim,

& si quis hæc legent, eis tam clara reipublicæ Cbristianæ lumina innotescant. Princeps tunc erat Senatus, & vt vulgo dicitur, Collegii Decanus, Ioannes Petrus Carafa. Aderant Iacobus Mediceus, & Marcellus Cerutus, qui postmodum, omnes tres Summi Pontifices fuerunt. Præterea Alexander, & Rainutius Farnesii. Ferrariensis, Mantuanus, Carpensis, Moronus, Cæsius, Truchses Germanus, Crispus, Sarracenus, Puteus, Cicada, Montis Politiani, Sanctæ Floræ, Cornelius, Sabellus, Verallus, Polus Anglus, duo Galli, Bellaius, & Armeniacus. Hispani quattuor, Sancti Iacobi, Paciecus, Gueua, Mendocius. Vnus Lusitanus, Michael Siluius illustrissimo genere ortus, & bonarum litterarum scientia clarus. Erat prorsus suaue in tanta rerum tranquillitate, & in ea hominum luce viuere, atque in tot principum singulari humanitate conquiescere. Sed inuidit tunc fortuna Romanis rebus. Nam mortuo Iulio Pontifice summo, ac mox Marcello, qui paucos vixit dies, è vita sublato, cum ad summum Pontificatum peruenisset Paulus quartus, antea vt diximus, Petrus Carafa dictus ea tempora, iique tumultus, & bellorum semina extiterunt, vt qui rempublicam florentem viderant, eam perturbatam, afflictam videre minime sustinerent. Anno itaque 1556. die vigesima tertia Septembris vrbe egressus Mœnetius magnis itineribus, vna cum Illustrissimo viro Dionysio Alencastrio, cuius pater Alphonsus Lusitaniæ Regis apud summum Pontificem Orator erat. Cumque Senas peruenissent, excepti hospitio à Marchione Sarriæ Dionysii patruo, ipse in Galliam Cisalpinam, quo iter habebat, inde profectus est: Iacobus vero Florentiam, & Pisas, ac mox Genuam peruenit. Vnde conscensis triremibus duce Iohanne Mendocio, Barchinonem appulit sub exitum mensis Octobris. Ex qua vrbe, terrestri itinere, per Celtiberos, & Vacæos, Pintiam, clarum in primis Hispaniæ Tarraconensis oppidum peruenit: ac inde per Methinenses, & Salmanticenses, eam Lusitaniæ partem petiit, quæ à Castellæ Regno apud ciuitatem Rodericiam disiungitur: vt auunculum suum tunc Visensium Episcopum conueniret, qui trium dierum itinere, ab eo tractu aberat. Apud quem duos fere menses commoratus, Olysipponem est profectus: vbi à prestantissimo Rege Iohanne, benigne exceptus (quæ ipsius fuit humanitas incredibilis) ac de itineris causa, deque Romanarum rerum successu, familiariter interrogatus, cum ei exposuisset, Eboram sibi esse adeundam, ad capiendam Canonicatus possessionem, qui ex auunculi resignatione, annuente Summo Pontifice, Romæ obtigerat. Gratum id sibi esse dicens, suumque fauorem rebus illius minime defuturum pollicitus, illum honorifice dimisit. Ebora igitur, pueritiæ Moenetii altrix, & altera patria, veluti iure quodam suo, fructum studiorum, laborumque sibi vindicans, operamque, & industriam, pro collato in eum prioris educationis munere repetens, Deo optimo maximo ita disponente, Roma aduenientem excepit anno 1557. mense Martii, quo tempore Eborensis Archiepiscopus erat Henricus Cardinalis, qui postea Rex fuit. Agebat tunc Iacobus ætatis annum trigesimumquartum: integra vigebat valetudo: quam etiam Trãstagani cæli natura non parũ iuuare visa est: sub quo nempe nat°, & educatus fuerat. Itaq; vsq; ad annũ ætatis sexagesimũoctauum, quo hæc memoriæ prodita sunt, vnum tantũ ancipitem morbũ pati in ea vrbe contigit, cũ iam in ea triginta quattuor annos permanserit. Quo tẽpore non solũ Canonicatus munera obiuit, sed etiam Inquisitor fidei cum esset ab Henrico Principe creatus, anno 1563. integro decennio in ea functione Reipublicę operam nauauit. In qua collegas habuit vicissim quattuor (nam à duumuiris apud Lusitanos is magistratus vt plurimum geritur) quibus cum summa concordia comes fuit, & socius in eo munere obeundo. Collegas vero ipsos hic nominare liceat, propter summã Iacobi in illos, dum viuerent beneuolentiam. Primus fuit Doctor Antonius à Castro, qui ipsius Henrici Vicarius generalis fuerat, iuris vtriusque scientia, & forensis exercitationis vsu clarus. Cui successit Petrus Aluarez Paredes omnium Inquisitorum Lusitaniæ antiquissimus, & de sacrosancto fidei negotio optime meritus. Quo mortuo, cum octuagenarius fere decessisset, in eius locum successit Frater Emmanuel Veiga, ordinis sancti Dominici, insignis Theologus.

Postremum, & quartum collegam nactus est, doctorem Hieronymum Sausam, iurisprudentiæ cognitione, generis nobilitate, & virtutum omnium ornamentis præstantem. Cum igitur hos quattuor collegas habuisset, ac multo etiam tempore, solus tantum munus obiuisset, & incredibiles exhausisset labores, nec illi successor à principe daretur: cœpit ab illo summis precibus contendere, sibi vt liceret, onus illud tam graue, tandem aliquando deponere. Quod illi demum quãuis renitens, ac veluti coactus concessit, ea tamen con-

1557.

1563.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditione, vt assessoris nomine, Inquisitoribus in posterum adesse, & definiendis fidei caussis interesse vellet, assignato ad vitam eodem
1557. salario, quod cum esset Inquisitor habuerat, sed libero, & sine aliquo prorsus onere, nisi tantũ spontaneo. Iacobus vero ab anno 1573. quo ab ordinaria illa functione se abdicauit nunquam destitit pro virili parte, fidei negotia apud tribunal sanctæ Inquisitionis iuuare nec desinere voluit, quamdiu id vires ferre potuerũt. Anno deinde 1577 cum Ebora discedens Olysipponem peruenisset, à Sereniſſimo Rege Sebastiano humanissime exceptus, & ad capessendam iterum Rempublicã, ac grauissima obeũda negotia inuitatus: quæ cum ipse recusasset, tantum abest, vt magnanimus Rex, aliquã ex eo offensionis ansam arripuerit, vt etiam nouum quoddam honestissimæ functionis genus excogitauerit, cuius occasione Mœnitium retinere, & opera eius vti posset.

Quæ omnia eius immatura mors, & rerum omnium cõmutatio postea secuta turbauit. Nam eo mortuo, iam in senium vergẽs Mœnetius, & natura ipsa, magis ad honestum, & tranquillum otium, quam ad negotium propensus, iterum Eboram sibi repetendam, & in ea vrbe sedem stabilem fingendam esse decreuit. Sed paulo post, Henrico Rege è viuis sublato, & pestilẽtia non solum apud Eborenses, sed fere per vniuersam Lusitaniam grassante, in villam amœnissimam Silueriam, Ebora sex M. P. fere distantẽ, secessit mense Maii, anno 1580. vbi sub finem Augusti, grauissimo morbo correptus, parum abfuit ab extremo vitæ periculo. Valetudine autem aliquantulum recuperata, sed nondum plane confirmata, natalis soli, & patriæ desiderio affectus, eo iter intõdit. Scripsit de patrio Eborensi municipio vnacum And. Resendii antiquitatum Lusitaniæ lib. 5. Romæ & Coloniæ euulgatum.

HECTOR PINTVS EVSITANVS.

HECTOR PINTVS Lusitanus in Conimbricensi Academia publicus sacrarum litterarũ Professor, disertus admodũ exstitit, & Hieronymianorum sodalis, qui Monachi in Hispania duntaxat opima monasteria à Regibus fere condita habent & cantui in Deo nouem ipsis horis plurimum temporis tribuunt. Reliquit ingenii sui monumenta accurate conscripta, potissimum *in Prophetas*: nam & S. linguæ nõ ignarus fuit, neq; Græcarũ litterarum rudis: latino vero sermone

sermone supra Theologum facundus. Quæ quidem eius opera ab optimo quoque Theologiæ studioso hodieque tanto pere expetuntur, vt carere iis nemo bibliothecam suam æquo animo sustineat. atque hunc Lugdunenses typographi vno volumine omnia anno salutis nonagesimo supra sesquimillesimum bono publico coniungenda putarunt: sed mendis scatent. Leguntur autem hæc fere illius *Commentaria in Esaiam: in Hieremiæ Threnos: in Ezechielem: in Danielem: denique in Nahum Prophetas*. Scripsit & sed vernacule, moxque ab erudito Gallo latina donatos ciuitate *Dialogorum Tomũ vnum, & item alterum*. De Religionis bono, vitæque solitariæ vtilitate. *Causarum* item *responsa* seu Αιτια, qualia Callimachum scripsisse ferunt, exstantque Plutarchi causæ, seu quæstiones, & Aristotelis problemata. Verum Pintus noster Iustinũ martyrem, Basilium magnum, Anastasium, & de Latinis, Augustinum, Iulianum Toletanum Archiepiscopum *in Αντιχειμένους*, ceterosque sacros scriptores in re sacra sacris ipse initiatus æmulando expressit. Suscepta autẽ à Castelle Rege Catholico Philippo II. in Lusitaniam expeditione, vt auitum sibi regnum, iureque debitum, extincto in Africa legitimo Rege Sebastiano, vindicaret, ortaque Lusitanos inter factione, in Carpetanos proficiscitur Pintus: inque Isolę, non procul Toleto, monasterio Sodalium consenuit, diemque clausit extremum. Ostenditur in Peristylio tumulus lapisque exiguus his tantum notis inscriptus:

FR. HECTOR PINTVS.

VErum vt vita longiore ad bene de aliis merendum; sic & Epitaphio longiore, ad posteritatis memoriam sempiternam, doctis hominibus dignus esse videbatur.

Nos ad sepulcrum hæc coram protulimus:

Lusiadum te, Pinte, decus quin Hectora dicam?
Non ferro, at verbi fortis es eloquio.
Iliacos circum muros rapit Hectora Achilles
Te fidei traxit Zelus, amorque DEI

Vixit vsq; ad annum CIↃIↃ LXXXIV. quo & vita migrauit.

ANTONIVS SENENSIS LVSITANVS.

A B. Virginis Catharinæ Senensis studio sic cognominatur: cætera Lusitanus patria Vimanarensis, dioecesis Bracarensis. Cū Theologiæ, bonisq; artibus operam aliquamdiu in Conimbricensis gymnasii Dominicanorum collegio nauasset, profitendique munus Olisipone sustineret, Louanium mittitur, vt Doctoris ibi laurea cohonestetur, anno Christi 1578. Primus autē eius labor exstitit in locis SS. Patrū, qui à B. Thoma tribus summæ partibus citantur, indicandis; veluti digitum, quod aiunt, in fontes intendendo. Quod opus Herculei plane laboris atque industriæ, Plantinianis est typis Antuerpiæ euulgatum, vna cum Augustini Hunnæi Theologi Louanienſis notis, magno & Theologorum, & concionatorum commodo. Idem in Cathena eiusdem Thomæ quattuor Euangelistarum præstitit. *Humberti* quoque *Romani* natione Burgundi, quincti Generalis ordinis libros sex, *de Religiosorum eruditione* inuisos antea bono litterarum, Louanii typis euulgandos curauit, & Gulielmo Paraltæ falso adscriptos auctori vindicauit. *Vitas* item *Sanctorum, Ordinis Prædicatorum*, è Laurentii Surii Carthusiani Tomis selectas publicauit. Chronologiam adhęc per Centurias ac Decadas digestam à primordiis nascentis familiæ S. Dominici, ad sua vsque tempora pertexuit. Scripsit & hæc:

Bibliothecam variorum eiusdem ordinis in omni genere Scriptorum. Parisiis.

Quæstiones Theologicas non paucas.

De quinque hominum statibus.

Chronicon item generale.

Virtutum denique *Vitiorumq; collationes: aliaque promisit.*

Eruit è tenebris *Cæsarii Arelatensis Episc. Homilias* XVII. *ad Monachos.*

Item B. Thomæ Aquinatis in Genesim Commentarium; alterum in Machabæos.

Item in 4. Euangelia B. Thomam, qua emendauit, qua locorum indicationibus illustrauit, typis Plantinianis.

MI-

MICHAEL SYLVIVS CARD.

MICHAEL SILVIVS Portugalensis, vir insigniter doctus, vt & carmen pangeret non infeliciter: quale illud quod in Capitolio hodieque in Fastorum commendationem visitur, iuxta marmora Magistratuum ac triumphorum Romanorum, beneficio Alexandri Farnesii Card. Paulii III. Pont. Max. nepotis eruta, in lucemque & aspectum prolata. Legationem gessit Emanuelis Lusitaniæ Regis nomine apud Leonem X. Hadrianum, vt & Clementem VII. & à Ioanne III. Emanuelis F. Visensis Episcopus postulatus, presb. est Card. renunciatus Basilicæ Apostolorum, publicatusque IV. Non. Decembris, anno M D XLI: Paulo post Marchiæ Legatus creatus: deinde titt. S. Praxedis ac demum S. Mariæ trans Tiberim. Verū raptus ante diē fato, magnum sui reliquit desiderium. Obiit Romæ Nonis Iunii M. D. LVI. & in Ecclesia sui posterioris tituli conditus est. Epitaphium tamen non reperi: verum carmen Fastis appositum, quod non ibi solum legi dignum sic adscribere placuit, vt ex vngue, quod aiunt; leonem æstimare liceat.

MICHAEL SYLVIVS AD VRBEM Romam.

Marmora præclaros testantia fronte triumphos,
Atque Magistratus inclyta Roma tuos,
In medio mansere foro dum Roma manebas,
Postque Deos orbi iura secunda dabas.
At vbi te indignis fregit fortuna ruinis
Obruerat titulos alta ruina tuos:
Tamque diu in tenebris tantis latuisse videntur,
His veluti fato debita temporibus,
Qua modo Alexander patria te dignus, auoque
Paulo inuenta tibi marmora restituit.
Tu Capitolinam meliori in sede reponis,
Et legeris magni munere Farnesii.

HIERONYMVS OSORIVS
SILVENSIS EPISC.

Ex vita ab Hieron. Osorio Fratris F. conscripta.

PAtrem Olysipone habuit Ioannem Osorium Afonsecam, virum singulari pietate præditum, qui domi bellique floruit: matrem Franciscam Gilliam Goueanam, ex nobili Goueanorũ familia. Frater illi Bernardus. Puer etiam-num in litteris perdiscendis tanta fuit ingenii vi, vt ludimagister Latine loquentem admiraretur: decimo tertio ætatis anno Salmanticam missus, egregiam ibi operam tum Latinis, tum Græcis litteris nauauit. Mox Iuri Ciuili parentis iussu sic studuit, vt optimos quosque auctores Græcos & Latinos è manibus nunquam dimitteret. Ad militiam quoque multa excitabant: maiorum scilicet exempla, animi magnitudo singularis, & exi mia totius corporis constitutio. Corpore enim fuit mediocri, lato pectore, manibus ad arma tractanda aptissimis, aspectu graui, aperta fronte, magnis & cæruleis oculis. In S. Stephani Dominicanorum æde sacra rei diuinæ dum interesset, sollemni assumptæ Virginis festo, perpetuam corporis & animi castimoniam vouit seruauitque. Lutetiam inde Patisiorum se contulit, decimum & nonum ætatis annum agens, vbi Aristotelis Dialecticam, & naturalem Philosophiam summa cũ ingenii laude didicit. Hic Petri Fabri, vnius ex decem B. Ignatii Loiolæ primis Sociis, familiaritate est vsus, adeoque dilexit, vt cum Ioannes tertius eius nominis Rex Lusitaniæ de Societatis IESV recens nata percunctaretur, multis eam laudib. ornarit, ac pro virili persuaserit, vt aliquot ex his in Portugaliam euocaret. Parisiis Bononiam se cõtulit: Sacras hic litteras, & Hebræam linguam auide arripuit. Platonem scientiæ, M. Tullium, sermonis Latini gratia, vtrumque ob eloquentiam assidue lectitabat. Vbi ante tricesimum ætatis annum, cœpit libros de *Nobilitate ciuili* & *Christiana* commentari, quos Ludouico principi, Emmanuelis F. dedicauit. Bononia in Lusitaniam reuersus, quia Ioanni Regi Portugalensi id gratum erat Conimbricam se contulit: ibi *Isaiam & Pauli Epistolam ad Romanos* scriptam singulari cum laude explicuit. Cum vero in

vero in sermonis Latini elegantia non mediocriter excelleret, totis viribus in eo sibi laborandum statuit, vt damnum illud, quod ex Ciceronis de *Gloria*, de *Repub.* & de *Consolatione*, libris iam pridem temporum iniuria amissis fuerat acceptum, resarciret. Quamobrem de *Gloria* Conimbricæ, multos vero post annos de *Regis Institutione* libros scripsit: de *Consolatione* autem nihil posse à se vel amplius, vel subtilius excogitari, quam esset facer ille Liber Job, tot sententiarum obscuritatibus inuolutus, existimauit: quare eum eleganti sane Paraphasi explicauit. Illum *de Gloria* simul ac nactus esset Ant. Augustinus vir elarissimus, & Osorius Bononiæ familiares sic ludebat.

GLORIA, *Nobilitas scriptis celebrata diserti,*
Clarescent sæculis innumerabilibus.

Tauaræ (quam nonnulli *Balsam* fuisse existimant) Ecclesiam Ludouici principis beneficio sacris initiatus regebat. Rogatus ab amicis aulam cur fugeret, vbi plerique emergendo rem facerent: Viles, inquit, merces habeo, quas in aulam mecum deducam; *Veritatem* & *Fidem* innuebat, quæ ab aulis vt inuisæ exsularent, fraudem contra & Adulationem infinitis partibus præponi. Integritatis eius summa fuit etiam apud Catharinam Lusitaniæ reginam, Caroli V. sororem, opinio. Hinc ab Henrico Card. Archidiaconus Eborensis creatus, Ecclesiam Tauarensem alteri tradidit, vt à cupiditatis suspicione in sacerdotiis cumulandis, longe ante Concilium Tridentinum fuerit alienus. Paullo post Episcopus Siluensis creatur. Est regio illa à Lusitanis *Algarbium* dicta, quæ à sacro promontorio versus Austrum ad Anam vsq; fluuium extenditur. Osorius onus illud detrectans, nihilominus ob Christianę Religionis studiũ, & hominum salutis eximiam caritatem, prouinciam suscepit. Rem diuinam pie faciebat. Doctos iuxta, ac probos domi alebat: in his Antonium Lupium, & Eduardum Simonem. In mensa, scriptorum S. Bernardi lectione maxime delectabatur: qua finita, omnibus licebat, si quod dubium occurrebat, proponere. Decumas vero, quæ ab his, qui sub illius moderatione viuebant, more Christiano ei reddebantur, ita inter pauperes, viduas, pupillos sacras ędes farciendas, & suos diuidebat, vt peracto anno, illæ quoq; consumerentur. Argenteos nummos secum deferebat, ne sibi deesset petenti ho-

mini egeno, quod tribueret. Iudicia ita exercuit, vt æquabilitatem erga omnes summo studio seruaret. quam vt facilius retineret, illud diligenter curauit, vt omnibus ad se aditus pateret. adeo vt dum cibum caperet pauperes & humiles homines satis benigne audiret, nemoque ausus foras pellere. Dioecesin suam tertio quoque anno peragrabat, & probis sacerdotibus per vices lustrare mandabat. Multos hic insolentioris vitæ ad meliorem frugem monendo reuocauit. Duo in iure administrando ante oculos habebat: alterum erat Episcopi officium à D. Paullo ad Titum, & Timotheum luculenter descriptum; alterum vero, dignitatis, ac nominis famæ præsertim sacerdotum, seruandæ cura. Sebastianus interim pubertatis annum XIV. agens, regni est gubernaculis admotus. Osorius illum, vt ad imperandum immaturum, non raro officii admonuit. Olysipone quoque suam *aduersus Gualterum Haddonum*, Britannum, qui Reginæ causam susceperat, *Apologiam* excudendam curabat. Cum in Tingin in Africam Sebastianus traiiceret, litteris eum, vt in patriam redeat, vehementer est Osorius cohortatus; & à bello Africo, quod ab incunabulis eius in animo infixum erat, antequam prolem haberet, quæ, si aliquid ei acerbius accideret, in regni hereditatem succederet, deterruit. Romam, quod nihil admonendo proficeret. & à paucorum hominum imperio Rex penderet, cogitare cœpit, profectusque est, vt voti reus limina Apostolorum Petri & Pauli veneraretur. Hispali & Barcinone in Italiam traiecit, & Parma, Bononiam venit: quam vrbem veluti patriam semper dilexit: *vbi Pharaphrasin in Isaiam* in lucem edidit, & Henrico Emmanuelis Regis F. eam dicauit. Bononiam venit; Beatorum Apostolorum limina inuisit, Gregorio XIII. Pontifici Maximo gratus: reuocatus mox à Rege in patriam, festinandum ratus, quod annum iam à dioecesi affuisset, & quorundam hominum sermone per vrbem fama percrebuerat, Gregorio Summo Pont. esse in animo eum in Collegium Cardinalium adscribere. Mox in Portugaliam opinione citiº delato, litteras Regis Poloniæ Stephani nomine misit, Ioan. Zamoscius homo Sarmata, & politiori litteratura ornatissimus. Scripsit enim *De Senatu Rom.* egregium Commentarium. Soluit Rex Olysipone in Africam versus, infelici susceptæ expeditione: & interim Osorius libros, *de vera Sapientia* in lucem emisit, eosque summo Pontifici Gregorio inscripsit. Secuta hinc calamitas, cæso ad internecionem cum Rege exercitu Lusitanorũ: qui Regis acerbissimus

bissimus casus tanto Osorium doloris sensu affecit, vt eius valetudinem debilitarit. In Algarbiam statim abiit, miseram patriæ vicem vehementer dolens, & ea mala animo diuinans, quæ postea illam oppresserunt. Hic nihil duxit antiquius, quam Algarbiensium animos ab omni seditionis excitandæ studio abducere, dum alii ad libertatem armaque capessenda incenduntur. Igitur Osorius, vt Antonium Ludouici principis F. à proposito regni affectandi depelleret, in oppidum Almerinum, in quo Henricus Card. agebat, se contulit; Antonium hortatur, vt patris vestigia sectetur, regnum concitata multitudine occupare desinat, Philippum Regem fratrem patruelem ne à se alienum reddat. Verum Antonius præcepta contempsit; pessumque iuit. Non multo post Henricus iam surdaster obit. Tumultuante hinc, & arma plebe induente, vt Philippum Regem, si possent, arcerent; in toto tamen Algarbio, Osorii opera, nullus inuentus sacris initiatus, qui, vt alibi, seditionis sit nomine accusatus. Tauaram ad seditionem sedandam dum properat, vlcus paruum in crure intumuit, nec diutius doloris magnitudine, quem ex patriæ exitio acceperat, potuit resistere. Pridie igitur Cal. Augusti præter morem, vt paulisper quiesceret, in lectulum adscendit in Franciscanorũ cœnobio: vbi eum arctior solito est somnus complexus, à quo nullis vocibus poterat excitari. Somni deinde vi liberatus, in illa ad seditiosos verba prorupit: *Quo insani homines ruitis?* Febris mox subsecuta est, quæ illum intra viginti dies confecit atq; consumpsit. Mox diuino corporis Dominici pabulo, junctis manibus, & pectore dextera percusso, animum confirmauit. Cum desperata iam valetudine familiaris quidam nunciaret: *Scito*, Præsul, *te mori*: *Valde mihi placet*, respondit, *Deoque perpetuo sit laus & gloria.* Statuit moriens testamento, vt corpus suum in D. Francisci æde deponeretur, postea vero ad Faronensem Ecclesiam, quæ dioecesis est caput, deferretur. Domini Crucem sæpius exosculatus, animam efflauit, Augusti mensis die vicesima, anni CIↃ. IↃ. XXC. ætatis septuagesimo quarto. qui etsi paruo conditus tumulo iaceat, tamen obegregia ingenii monumenta nulla vnquã ætas, de eius laudibus conticescet: teretur illorum manibus, qui sapientiam recte cum eloquentia coniugendam existimarint. Seriem itaque scriptorum, vt Romæ foras data anno CIↃ. IↃ. XCII. leguntur, recensere non pigebit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERIES OPERVM

HIERONYMI OSORII
EPISC. SYLVENSIS.

DE Nobilitate Ciuili. Lib. II.
De Nobilitate Christiana, Lib III.
De Gloria, Lib. V.
De Regis institutione, & disciplina, Lib. VIII.
De rebus Emmanuelis Regis Lusitaniæ inuictissimi virtute; & auspicio gestis, Lib. XII.
Defensio sui nominis.
Epistolæ.
Admonitio in Epistolam ad Elisabetham Angliæ.
Epistola ad Elisabetham Angliæ.
In Gualterum Haddonum Lib. III.
De Iustitia, Lib. X.
De Sapientia lib. V.
In epistolam B. Pauli ad Romanos, Lib. IV.
Paraphrasis in Iob, Lib. III.
Paraphrasis in Psalmos.
Notationes in Paraphrasin in Psalmos.

HIERON. OSORIVS CANONICVS *Eborensis.*

EDucationis hic liberalis gratiam patruo retulit, qui domi Hieronymi Osorii Syluensis Episc. recte à pueritia institutus, vt à senis latere nunquam nisi doctior discederet; iisdemq; insistens vestigiis M. Tullii scripta noctes dieisq;, post etiam sacras litteras assidue terendo, & illius scripta Romæ an. CIↃ. IↃ. XCII. vindicauit publicauitque, & sua, veluti ederam palmæ, appendit. Quin & vitam eius luculente à diserte conscripsit: hoc ingenue professus, se ab ipso interdum priuatim eruditum; paterna adhæc caritate adamatum, & si quæ essent dignitatis ornamenta, accepta illi esse referen da. Reliquit autem hæc ingenii monumenta.

Commen-

Commentarium in Parabolas Solomonis.
Paraphrasin in Sapientiam Solomonis.
Paraphrasin & notationes in Cantica Canticorum.
In Esaiam Paraphrasin.
Commentarium in { *Oseam Prophetam.* / *Zachariam.*
Orationem in laudem B. Catharinæ.
In Euangelium Ioannis Orationes XXI.

ANTONIVS LVPIVS.

HVnc & domi suæ alebat, vt eruditis vti libẽter solebat, Hieron. Osorius Algarbiorum Præsul. Scripsit carmine elegãti bellum, quo Mauri Mazaganum in Africa oppidum obsederunt; & *Crucis mysterium*, opus præclarum, lectuque dignum.

Contubernalis huic *Eduardus Simon*, vir nõ mediocri eloquentia præditus, & scriptorum antiquorum litterate peritus: cuius scripta propediem in lucem proditura, è quibus illius singularis ingenii vis cognosci poterit, promittit Hieron. Osorius iunior.

TERTIA CLASSIS CASTELLANORVM SEV CARPETANORUM.

AEGIDIVS Carillus Albornotius, Cõchensis Card.
Iacobus Simãcas Episc. Pacensis.
Petrus Garsias Episc.
Inicus Mẽdosa Dux.
Ferdinandus Mendosa.
Didacus Hurtadas Mendosa.
Francisc. Bobadilla Card. Mendosius.
Bernardinus Sandonalius.
Leo Castrius.
Fredenandus Nonius Pintian⁹; & Alfonsus Cardona.
Ioan. & Frãc. Vergera Toletani.
Petrus Ciacconius.
Aluarus Gometius Eulalius.
Aluarus Gometius alter.
Caspar Villalpãdeus Segobiensis.
Petrus Rhua Numantinus.
Garcias Loaysa Tolet. Archiep.
Petrus Fontidonius Segobiensis.
Franciscus Salinas Burgensis.
Laurentius Balbus Lilienſis.
Hoereræ pater & filii.
Ioan. Mart. Siliceus Archiep. Tolet.
Ioannes, Michael, Bartholomæus } Medinæ.
Cyprianus Cistercienſis Monachus.
Ioan. Roias Sarmientus.
Alexius Vanegris Toletanus.
Petrus Ximenius Episc. Caurienſis.
Ioan. Petreius Toletanus.
Franciſc. Sanctius Brocenſis.
Garcias Lasſus Tolet.
Iacobus Stunica.
Antonius Houcala Zanguenſis.

AEGI-

AEGIDIVS ALBORNOTIVS CARD.

Ex Io. Geneſii Sepulucdæ libro 1. Rerum geſtarum Aegidij Albornotij.

AEGIDIVS Albornotius natione Hiſpanus, patria Conchenſis, ex clariſſima Albornotiorum familia: patrem habuit Garciam Aluarum Albornotium principem verum, & multis populis dominantem: qui genus ab Alfonſo quinto Legionenſium rege perpetua ſtemmatis claritate repetebat: matrem Tereſam de Luna, quæ eadem ſummo loco nata genus ducebat à Iaimo rege Aragonum. Is cum iam inde ab ineuntibus annis litterarum ſtudio deditus, magna futuri profectus præbuiſſet documenta, ætate adultior in Toloſanum, florentiſſimum id temporis gymnaſium, à patre, optima ſpe concepta, mittitur: vbi ingenii felicitate, pertinaci erga litteras ſtudio, eò proceſſit eruditionis, vt breui inter paucos iuris pontificii peritiſſimos, nec extremo loco numeraretur. Quã doctrinam, cum eximia morum ſanctitate & ſingulari religionis obſeruantia illuſtraſſet, in patriam reuocatus, nactusque familiaritatem Alphonſi Caſtellanorum regis, qui Algeziras vrbes, quondam nobiliſſimas, haud procul ſitas a freto Herculeo, à Mauris recepit, ſummis virtutibus hominum de ſe vicit opinionem. Regi adeo charus, & ſanctimonia venerandus, vt interfuturus ille ſacrificiis, à nemine mallet, quam ab Aegidio iam ſacris initiato rem diuinam parari. Quibus artibus cum à Rege ſummam gratiam inuiiſſet, haud ita non longo interiecto tempore, Archiepiſcopatu Toletano, ampliſſima dignitate, ab eodem auctus eſt. Cui abſenti & res in Italia gerenti, ſucceſſit Blaſius Archiep. Toletanus num. LX. ait Steph. Garibai. lib XIIII. cap. 29. & 35. nõ multo ante prælium illud nobiliſſimum, quo ab hoc Alphonſo victus eſt, & fugatus Benamarinus rex Maurorum potentiſſimus, qui bellum Hiſpanis illaturus innumerabilem pæne exercitum in Beticam traiecerat. Quod prælium initurus Rex, Aegidio rem diuinam faciente, religioſiſſime interfuit. Et cum Chriſti corpus adoraſſet, & venerabũdus ab eius manibus aſſumpſiſſet, ab eodem ſeſe arma indui popoſcit. Cui ille precatus vt res feliciter euenirct, non modo corpus ferro, ſed & animum ſumma ſpe ac ingenti

fiducia armauit; dum fortiter gestorum inuictæque ipsius maiorum virtutis admonet, & multa nō inultæ impietatis in Deum Christum exempla commemorat. Et cōmisso certamine regem alios hortantem, ipse lateri proximus adhortationibus incendebat. Sed parta victoria, receptisq; Algeziris, quæ fugato Benamarino: paruo negotio victori cesserunt, dū Gibraltare obsideret, morbo correptus Alfonsus diem suum obiit. Regnūq; dissimillimus filius, Petr⁹ ille excepit, cui crudelis cognomen additū. Hic initio rerū, nondum ferina fæuitia sese efferēte, Aegidiū vt par erat, eodē familiaritatis loco recepit, quē apud Alfonsum obtinuerat, eiusq; adhortationes & monita admittere visus est. Adeo, vt hoc magistro morum non paruā spem de se hominibus principio rerū exhiberet. Sed cum se paulatim ingeniumq; detexisset, cū virtutib. cœpit odisse magistrum. Nam cum primum castigationis dolorem animo repugnante, tamen altius suppressisset, paulo post victus insita feritate, iusta consilia detrectabat; & cum cetera grauissime pateretur, illud ferre nō potuit, ab Aegidio sibi toties exprobrari, quod fastidita Blanca vxore pudicissima, cuidā Marię de Padilla effrenata libidine assuescceret. Erat enim Aegidius cū omnis generis vitiorum insectator, tū libidinis vel maxime: à qua tantū abhorruit, vt fama constet, nunquā eum hoc crimine, quoad vixit, fuisse pollutū. Rex ergo dissimillimū hominem suaspōte palā exosus, pellicis quoq;, quæ grauē censorem capitaliter oderat, precib. incensus, necē Aegidio molitur. Ille vero cognitis insidiis, quę gratiosum in primis hominē diu latere nequiuerūt, caussa simulata, missionē efflagitat; quā cum vix ad tēpus impetrasset, Conchā vrbem patriā peruenit: vbi parūper commoratus, comparataq; profectione, ad Clementē Sextū Pontificē Maximū Auenionem, sedē id temporis Ecclesię Romanæ, cōtendit. A quo libētissime exceptus summoq; in honore habitus, paruo interiecto tēpore Cardinalis factus est Tit. S. Clemētis Episcopus Sabinensis. Clemēti successit in Pontificatu Innocētius VI. vir integerrim⁹, singularis constantiæ, & seueritatis. Apud hūc Aegidius sanctitate & morib. per-similis, multo etiā magis gratia & auctoritate valuit. Quandoquidem iā non sapientia tantū, & pacis artib. censebatur: sed magnis etiā virtutis indiciis spē concitauerat, nō minus præsenti se animo ad bella gerenda futurū, quā acri ingenio fuisset ad litteras capessendas. Opprimebatur eo tēpore à tyrānis magna pars Italiæ, quæ Ecclesiasticæ ditionis erat. Instimulabatur ad id, nō modò fauente, Ludouico Bauaro

uaro Imperatore, quē Innocentius quoq; post superiores Pōtifices Anathemate reuinxerat. Occuparat enim cū multis aliis oppidis Viterbiū Io. Vicus Ariminū, Pisaurū, Fanum, Malatesta de Malatestis: Vrbinū, Anton⁹ Philaretus; ac ne singulos persequar, quota pars erat imperii Ecclesiastici, quæ ab aliis non teneretur? Has omnes armis, partim consilio, Albornotius, & totā fere Italiam Ecclesiæ Ro. restituit, & Pontifices velut exsulantes Auenione, Romam reduxit. Cardinalis creatus à Clemente VI. vel potius ab Innocētio VI. & Legatus, vt vocant, totius Italiæ à latere, dum vixit, strenuus & consilio plurimū valēs. Leges etiā cōdidit quib. Picena regio hodie Marcha Anconitana hodieq; administratur, edente Rod. Pio Card. Carpensi qui tunc eidem præerat, auctoritate Pauli III. anno fere 1543. Sunt ii Italis in manibus, Aegidianæ Constitutiones. Estq; immortali laude digniss. beneficiū, alimēta studiosis Hispanis Bononię reliquisse, qui hac ratione emergūt, magisq; proficiunt, quā si patriis finibus nunquā egressi, vt claudi sutores domi perpetuo desidentes, nunquam mutent iudicium, suaq; sola amēt, & mirentur, exteraq; omnia inepte fastidiāt. &c. Sed de reb. gestis III. libris diserte Sepulueda, & de Collegii æde, ex quibus nos hæc delibauimus. His itaq; debellatis nihil superesse videbatur, q; posset ociū pacemq; sociorū & clientum ecclesiæ sollicitare, præter Perusinos qui quorundā ex primoribus impulsu rebus nouis studebant. Iamq; Assisiū ditionis suæ fecerant. Horū igitur vt motus inhiberet, Aegidius præfecto Blasco nepote, qui Piceni & Flaminiæ curā gereret in Vmbriā proficiscitur: & vbi Assisium peruenit, Perusinorū electo præsidio ciuitatē suæ reddidit libertati. In qua, æde Francisci restaurata sacellū intus iussit ædificari, & in eo monumentum, quo mortuus conderetur, exstrui; tantisque beneficiis Monachorum collegiū prosecut⁹ est, vt se ipsos sanctissimo statuto cōstrinxerint, singulis mensibus quarta & vigesima quaq; die, eius animæ iusta se in perpetuū celebraturos: q; officium pari de caussa Bononiæ anniuersario sacro præstāt eidem, in æde Iohannis in mōte XXV. Augusti religiosę, Monachi, qui Augustini regulam profitentur. Sed dū Assisii Aegidius commoratur, cupido incessisse animum fertur corporis sanctissimi Fracisci visendi, quod cum venerabūdus conspexisset, & impressa Christi vulnera notasset, exclamasse dicitur, *vel solum Franciscum ad confirmandam Christi religionem satis fuisse.* Post hęc Perusium peruenit, acceptusq; in vrbē, cum auctores malorum partim capitali supplicio multasset, partim in exilium misisset, ceteris collaudatis ac liberali ratione confirmatis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Viterbium peruenit. Tunc vero cum vniuersam Italiam sua opera pacatã considerasset, nullũq; nec à Tyrannis nec à latronib. periculũ imminere intelligeret, Gometium cum quattuor nauibus proficisci iubet. Et quo in statu Italia esset nũciare: omnia trãquilla pace frui. Si vellet Romam, quod ante significauerat iuuisse, tuto secureque iã inde licere. Gratissimũ sibi fuisse nuntium aduentumq; Gometii Põtifex nõ verbis tantũ, quib. Aegidii virtute ac industria gratias egit, sed multis etiã beneficiis declarauit. Siquidẽ inter cetera ipsi Gometio Asculi, q; oppidũ est in Piceno, ius & vectigal in decenniũ tribuit. Fratres Aegidii litteris & nũtio ab Hispania iubet accersiri, non aliis professus velle se prẽfectis atq; administratoribus quã his Italiã tueri & gubernare: statimque discessu comparato, in Italiam proficiscitur. Cum ad Viterbium ventum est, vbi Aegidius eius aduentum expectabat, paulisper hic commoratus, quindecim annorum administrationis & vectigalium rationem quorundam inuidia & impulsu reposcenti Pontifici, claues vrbium arciumq; à se receptarum vix capiente curru Aegidius pro ratione obtulisse fertur. Cui Pontifex, admiratus eius animi magnitudinem ac constantiam; &, Hercle inquit, Aegidi tam amissam rem Ecclesiasticã haud magno impendio nobis receptam esse fatemur, & tui parcitati gratias habemus. Paucis post diebus Aegidius ad vrbem Romam Pontificem comitatus longi muneris vacatione impetrata, Viterbium rediit: vbi mortalitatis memor, ac veluti instantem mortem animo prægiens posteritatique consulens testamentum, quod hodieque exstat ratissimi exempli, sanctissime ac religiosissime condidit: & conuocatis amicis, collegii in vrbe Bononia Hispanis condendi, de quo mox separatim dicemus, præcipuam curam delegauit, & trib. mensibus quod Viterbium redierat exactis, vitam cum morte commutauit. Anno gratiæ. Millesimo trecentesimo sexagesimo septimo. Steph. vero Garibai. lib. XIIII. Hisp. Hist. ca. 37. anno 1364. Tanti viri mortem Pontifex tam acerbe tulit, vt accepto nuncio continuum biduum nihil aliud, quam mœrori indulserit; nec sui conueniendi copiam cuiquam fecerit. Corpus eius vt ipse iusserat, Assisium allatum, & in ædẽ S. Francisci depositũ est: inde Toletum; vbi modo ossa iacent in sepulcro marmoreo, cum aliis sanguine iunctis ad D. Ildefonsi, quod sacellũ locupletauit. Templum vero Toletanum multa ei κειμήλια, donaque, & reliquias Sanctorum accepta refert. Summus Pontifex hoc tribuit eius meritis, vt quicunque lectiscam

cam quantulocunque spatio supportaret peccatorum remissionem perinde consequeretur, ac si anno Iubilæi Apostolorum Petri & Pauli ædem inuisisset: quod officium Ægidio cum locupletissimo ipsius meritorum testimonio ab Henrico Rege, qui Petro fratri à se interfecto successerat, suisque purpuratis præstitum accepimus.

COLLEGII BONONIENSIS HISPANORUM *Origo auctore Ioanne Sepulueda.*

CONstat conditum fuisse Hispanorum collegium Bononiense ab Ægidio Albornotio circiter annum à redempto orbe M. CCC. LXV. quod vix dici potest quanto semper vsui, quantoq; ornamento nostris hominibus fuerit. Ex hoc enim viri, quos enumerare longum esset, sapientia clari nulla non memoria prouenere, qui tum singulas ciuitates, tum vniuersam Hispaniam doctrina & consilio summopere iuuarent. Et viuunt hodie haud ita pauci, ne quis putet effœtam huius Collegii feracitatẽ consenuisse, qui partim docendo, partim monumentis litterarum, alii maximarum rerum administratione, secula nostra exornant. Quorum sunt *Antonius Nebrissensis*, qui expugnata, suo marte barbarie, quæ ab Hispania, Latini sermonis exterminato nitore, regnum longe lateq; obtinebat, nunc Regum Hispaniæ historiam felici; & antiquitatem prouocaturo stilo mandat mõumentis.

Fortunius Garsias Cantaber vtriusque iuris peritissimus, Regius post consiliarius, & qui in Regno Nauarræ magistratu fungitur, qui *Regens* appellatur, de cuius doctrina & virtutibus quid sentirẽ iampridem quadam epistola ad Iacobum Atrheagam sodalem meum, virum quoque vtriusque iuris doctissimum testatus sum, quæ (vt video) edita in vulgus est, cum illis Commentariis, quæ ipse in L. Gallus. de lib. & posthm. ff. composuit.

Antonius de Burgis Salmanticensis, cui doctorum consensus primas in iuris Pontificii cognitione defert. Cuius discessum mirum est, quam ægre tulerit Academia Bononiensis, vbi honestissima conditione ius pontificium publice docebat, cum est à Leone Decimo Pontifice Maximo, huiusmodi opinionis fama cõmoto, Romam accersitus: vt eius doctrina ac iudicio in maximis rebus vteretur.

Dignissimus quoque, qui inter præcipuos numeretur, *Ioannes Montesdoca* Hispalensis, qui vt taceam quam in Theologia ad Scoti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

eam subtilitatem quam potissimam æmulatur proxime accedat cum huius memoriæ philosophorum principibus, æquo marte certat de primo loco, quique nunc in celeberrimo gymnasio Patauino philosophorum facile princeps, annuo Sexcentorum ducatorum salario naturalem doctrinam docet.

Noster quoque est vir Theologica doctrina clarus *Martinus Garsias* Episcopus Barcinonensis, qui (vt rei summam complectar) nulla maiorum suorum claritate adiutus, ex fortuna per quam mediocri ad magnos processit honores, & ingenti ac multiplice virtute coniuncta pari sapientiæ id est assecutus, vt Episcopali dignitati quam suis sibi meritis pepererat, non minus decori esse putaretur, quam ab eadem ipse honestaretur, quæ multorum, qui virum familiarius cognouerunt, constanti nobis sermone relata, spem dederunt, posse hunc mihi fama tantum notum præcipuum, inter viuentes sine inuidia nominari. Nam de quibus ante hunc mentionem feci, eos vt nominatim referrem, duæ me causæ potissimum impulere, altera quod alii viri eruditissimi, & memoratu dignissimi quanti sint audiui tantum hos diuersis quidem & locis, & temporibus præsens tamen colui, & iis partim præceptoribus sum vsus. Altera quod iidem tum docendo in celeberrimis Gymnasiis magno publice proposito præmio, tum editis suis operibus singularem suam doctrinam cunctis hominibus notam fecerunt, vt timor non sit, ne, dum horum excellentem doctrinam commemoramus, nostris indulgenter fauisse videamur.

Sed cum ceteros, qui ante hanc memoriam floruere ex industria taceam, ne tot virtutes & præclaram sapientiam tanta breuitate tam iniquis spatiis coercendo in plurimos, eosdemque summos viros iniuriam intulisse, vnum sine flagitio præterire non posse videor, qui non doctrina tantum, & sanctitate viuens excelluit; sed mortuus etiam magnis multisque miraculis excelluit. *Petrus Arbueus* hic est, qui vulgo Magister, Epilæ vsurpatur, quia fuit sacræ doctrinæ Magister & Epilæ, castello id nomen est in agro Cæsaraugustano, natus: qui cum ob sapientiæ opinionem & parem morum sanctitatem in ea ciuitate iudex, vindexque hæreticæ prauitatis factus esset: tam constanter adeo seuere, ita denique religiose crimen hoc scrutabatur, & vindicabat, vt summam in se hæreticorum inuidiam concitauerit. Eumque ipsis timorem iniecerit, vt illi satis sibi persuasissent, hoc viuente nihil sibi esse de sua salute sperandum. Itaque desperatis rebus, insidias ei magnis studiis tendebant. Quod cum esset iidem renunciatum ab amicis, vt parcius ageret, admonentibus, respondisse fertur nihil se, quid ab hominibus sibi posset accidere sollicitum esse, modo Deo immortali & Christianæ religioni suum officium præstaret. Ita cum aliquando intempestate nocte templum esset ingressus, nocturnis sacris interfuturus quo officio sine intermissu Canonicus fungebatur, duo armati, hominem genibus flexis Deo more suo supplicantem, adorti trucidant. Qui, cum in Regno Arragoniæ nullum effugii locum sibi fore satis tutum intelligentes, in Galliam transfugere statuissent, finibus tamẽ Arragoniæ, quo sæpius fugiẽtes peruenerunt, omni studio conantibus excedere non fuit vlla ratione diuinitus concessum: semper, vt ferunt, in ipso regnorum confinio torpentibus, & in vestigio hærentibus: quod ipsi paulo post comprehensi cum crimine fassi sunt, cum ad supplicium traherentur. Multos dies sanguinem interfecti ferbuisse, & plurimos eius aspersu conclamatis morbis fuisse explicitos, constanti voce fertur. Ergo cum hominum opinio in diuos ipsum referre non dubitasset, tumulus ei ex Pario marmore in honoratissimo templi loco, Senatus Populique Cęsarauguſtani consensu, positus est, qui lampadum perpetuo igne illustratur; & magna populi pietate colitur. Ad quod multi plerumque venerabundi accedentes fusis precibus hoc intercessore honesta sua optata a Deo impetrasse crediti sunt. Ne singula prosequar eius miracula, quam plurima Cæsarauguſtana ciuitas testis locupletissima prædicare solet. Et profecto si gratissimus, nec inuide merita libeat interpretari, quod tot collegia splendide ac magnifice in Hispania condita fuerint, in quibus studiosis scholasticis omnia ad præclaram sapientiam gratis, & abunde suppeditantur. Ægidii Albornotii beneficium videri possit, qui primus collegium Bononiense in florentissimo gymnasio condidit, cuius exemplo cetera in Hispania condita fuisse non potest dubitari.

Certe *Io. Lupum de Mitina* virum summum & nunquam satis laudatum, qui in ecclesia Saguntina Archidiaconus fuit de Almazon, hoc spectatu cum legatus à Rege Hispaniæ ad Pontificem Bononiam diuertisset, ad eius formam constat collegium commodissime ter denis scholasticis studia Theologiæ æmulantibus statuisse in suburbano loco ab hominũ cætu omniq; turba vt Philosophos decet, seposito; cuius nos adolescentes aliquam partem fuisse non

modò non pœnitet, sed etiam gloriamur. Iam *Petrum Gonsalum Mendocium*, *Franciscum Simonem* Cardinales, & Archiepiscopos Toletanos, quem, nisi Ægidium æque Archiepiscopum Toletanum, & Cardinalem qua parte vel religionem vel mortalitatem iuuere, imitatos fuisse credimus? quorum alter Vallisoleti, alter nouissime Compluti magnifica collegia ad huius exemplum construxerunt, vt ante hos Salmanticæ vir inclytus Iacobus Anaia Archiepiscopus Hispalensis. Ex quibus complures viri eruditissimi, qui Reipublicæ Hispanæ multifariam prodessent, extitere, cum magna eorum gloria, quorum beneficio, eruditione pariter & auctoritate aucti essent. Quare sic existimo cum multiplex hominibus ad homines cum sua laude demerendos, aliaq; aliis via pateat, nullam esse tamen ad immortalitatem magis compendiariam, ea, quam summi viri ingressi sunt, qui studia litterarum, & mortui, tantopere fouent; si mortui dicendi sunt, & non potius immortalitate donati: quorum vt rectâ famâ doctorum virorum sermo quotidie, & nomine circumsonant aures sapientium, ita nunquam ex eorum animis discedit tantorum virorum recordatio.

PETRVS GARSIAS.

PEtrus Garsias Vrcellensis Episcopus, Scholastica, vt nominant, Theologia illis excellens temporibus, scripsit aduersus Theses cum Philosophicas, tum Theologicas Ioan. Pici Mirandulani Comitis (qui Phœnix æui sui ob singularem doctrinam ingeniique præstantiam est habitus:) acutas illas quidem, sed lubricas ac periculosas. Quod opus Innocentio eius nominis octauo B. Petri cathedram tum tenenti Romæ inscripsit, anno quo floruit potissimum CIↃ. CCCC. XC.

IACOBVS SIMANCAS EPISCOPVS.

HIc Septimanticensis fuit, quæ Simanca populariter appellatur. Ius ciuile & Canonicum annos aliquot Salmanticæ professus post in Vallisoletano prætorio Senator Regius tiaram tandem adeptus, laboris præmium, Pacensis Episcopus renunciatus. Disputat vero alibi vter melius Episcopi munere fungatur Theologus ne, an Iureconsultus. Ille pro se causam dixit. Scripsit varia *Collectanea*, quæ lia sunt

lia sunt Canonistarum: at latinius quam vulgus. Edidit typis Plantinianis *Enchiridion Indicum violatæ religionis*: item semel iterumque *Collectanea de Republ. administranda*. Item *de dignitate Episcopali*, & de *Catholicis institutionibus*, tertio Romæ editum auctius in ædibus pop. Rom. anno Iubilæi, anno 1575. Eiusdem sunt Annotationes in Zanchium: & in Annotationes Camilli Campegi.

INICVS MENDOZA.

INicus seu *Ignatius* Mendoza Infantadi dux, Didaci Ducis tertii F. natu maximus, vir per omnia magnus: qui post operam Reip. nauatam senectam in litterarum studiis transegit ait Aluarus Gometius lib. 5. vitæ Ximenii Card. Scripsit *memorabilium* opus, seu *variarum lectionum* ex historicis variis sua lingua. Item *de templo Salomonis* Quæstiones ad Ioan. Vergaram Toletanum Canonicum, qui accurate respondit: qui libellus Vergaræ Latine redditus à Melchiore Cano. in opus Locorum Theologicorum, lib. 11. inseritur: vt & in Danielem Benedictus Pererius à se obseruatum monuit.

FERDINANDVS MENDOZA.

IVreconsultus, multiiugæ vir lectionis volumen euulgauit Madriti pro Concilio Illiberitano, respondetque eorum calumniis, atque opinionibus, qui, quantum de Hispanicæ gentis laude detrahunt, tantum sibi accedere falso putant.

DIDACVS HVRTADVS MENDOZIVS.

NObili hic stemmate illustris, ad generis splendorem ingenii; acrimoniam, studium quoq;, eruditionemque adhibuit. Nam & rara in nobili viro Poeticæ cognitio popularis præsertim ac rythmica, numerisque Etruscis Petrarchæ æquales omnes, indolis acumine, superauit. Eius etiam esse putatur *Satyricum* illud ac ludicrum *Lazarillo de Tormes*, cum forte Salmanticæ Ciuili Iuri operam daret. Post ætate maturior, legationibus pro Cæsare Carolo functis, viginti ipsos annos apud Senatum Venetum Oratorem egit. Quo tempore in splendida familia, doctorum hominum gregem, quos vndique acciuerat; in his Arnoldum Arlenium Græce peritissimum, liberaliter alebat. Græcis adhæc exemplaribus partim conquirendis in media Græcia, partim è Bessarionis Cardinalis Nicæ-

ni Bibliotheca describendis operam sumptusque impendit. Nauem adhæc Græcis calamo exaratis libris onustam à Turcarum Imperatore obtinuit, quæ tota librorum moles Regi Hispaniarum Catholico Philippo cessit, asseruaturq; ad S. Laurentium Regium Escuriaci monasterium Hieronymianorum sodalium, in septem orbis miraculis merito numerandum.

FRANCISCVS BOVADILLA CARD. MENDOZIVS.

FRanciſc. Syluius Bouadilla è nobiliſſima Mendoziorum familia Comitumque Canetenſium, parentem habuit Didacum Mendozium, & auunculum Franciſc. Bouadillam Salmanticenſium Epiſcopum. Hic adoleſcens admodum Ferdinando Pintiano Salmanticæ in diſciplinam traditus, tantos breui vtraque in lingua proceſſus fecit, vt quantum ceteris nobilitate, tantum & eruditione antecelleret: & 16. atatis annum agens non modo in bonos auctores doctoris exemplo commẽtabatur, verum etiam abſentis eius vices ſumma cum gratia de ſuperiore loco docendo explebat. Hinc Archidiaconus Toletanus & Caurienſis Epiſc. renunciatus non procul Salmantica, mox etiam Burgenſium Præſul creatus, denique Cardinalium ſenatui aggregatus Romę cum eſſet, æmulatione quadam cum Didaco propinquo Cæſaris apud Venetos legato, in Græcis libris vndique colligendis ac deſcribendis operam nauauit, & arcas fere decem expleuit: quæ poſt Garſiæ Loayſæ acre obuenerunt. Alebat & domi doctiſſimos viros, Græce peritiſſimos præter librarios Græculos, Doctorem Pazium, & Bonauenturam Vulcanium Belgam, aliosq;. Scripſiſſe fertur, at ſtudio preſſiſſe, illuſtrium Hiſpaniæ familiarum, quarum ſtudioſus erat, genealogias. Vulcanius eius auſpiciis ac Bibliotheca vſus Latine Toleti & conuertit, & edidit B. Cyrilli Alexandrini Epiſc. lib. 17. *de adoratione in ſpiritu & veritate.* quos & Romæ poſt vertiſſe video ſcholiisq; illuſtraſſe Ant. Agellium Epiſc.

BERNARDINVS SANDOVALIVS.

NObili apud Carpetanos ſtemmate illuſtris non tam genere, ſe, dum vixit, iactabat, quam litteris ac potiſſimum, pietate excellere

lere glorioſum ducebat. Primis itaque hauſtis literis Iuri ſe cum Cæſareo, tum Pontificio conſecrauit, vicitque æquales: vtque erat pietatis in paucis ſtudioſus & ſacerdos raræ virtutis piis ſeſe quotidie operibus, cum ægrotos tum vinctos cõſolando, exercebat: ſcripſitque vt poſteritas omnis exaudeat, ſed Hiſpane volumina duo alterum *de Sacerdotis boni officio*; alterum *de iis, qui in carceris cuſtodia aſſeruantur conſolandis*, anno 1564. Canonicus fuit Toleti, vbi opima admodum ſacerdotia; atque adeo ſcholarcha rexit Academiam à maioribus ſuis excitatam. Poſt inuidia, quæ virtutem plerumque comitatur, laborare cœpit, & generis ac ſtirpis quæſtione mota ad cauſam Romæ dicendam prouocauit. Obiitq; æterna in vrbe magno ſui bonis omnibus relicto deſiderio: facultates enim pauperibus partim dum viueret diſtribuit, partim teſtamẽto legauit, condituſque in æde B. Virginis maiore ad præſepia Domini, vbi titulus inſcriptus legitur.

BERNARDINO SANDOVALI HISPANO.
TOLETANÆ ECCLESIÆ CANONICO, ET SCHOLASTICO,
ACADEMIÆ EIVSDEM VRBIS
A MAIORIB. SVIS INSTITVTÆ, ORNATÆQ. CANCELLARIO:
GENERIS NOBILITATE,
DIVINI ATQ. HVMANI IVRIS SINGVLARI PERITIA
QVAM LIBRIS EDITIS SCRIPTISQ. TESTATVS EST
CLARO:
OB EAMQ. DOCTRINAM,
ET SINGVLAREM VITÆ SANCTIMONIAM
CVM SVMMA HVMANITATE MORVMQ. SVAVITATE
CONIVNCTAM
PIO V. PONT. MAX.
EXTERIS ET MINVS ETIAM NOTIS.
AMABILI,
GEORGIVS FONSECA
FRATRI CARISSIMO PRÆPROPERA MORTE
REB. HVMANIS EXEMPTO
MVLTIS CVM LACR. P.
OBIIT ANNO LXXXIX. V. NON. MAII ANNO DOM. M.D.
LXXII.

LEO CASTRIVS.

THeologus è Professore Græcarum litteratum Salmanticæ, cum Ferdinandum Pintianum attente audisset. Vastum scripsit *commentarium* Salmanticæ è Sanctis Græcorum Patribus *in Esaiam Prophetam*. Canonicus ipse Pintiæ seu Vallisoleti. Simultates exercuit super Bibliis Regis in Belgio editis, cum Benedicto Aria Montano.

FREDEN. NONI PINTIANI VITA:

Andrea Schotto Auctore.

FREDENANDVS Nonius Pintianus, Illustri Gusmannorum gente oriundus, Pintię Vaccæorum, quę vulgo *Vallisoletum*, natus patre nobilisſ. Præfecto ærarii Ferdinandi Hispan. Regis; puer liberaliter ingenueque in literis educatus, genio quodam studioque incredibili in linguam Græcam ferebatur: quæ cum, nullis propositis præmiis, penitus, vt fit, iaceret; in Italiam disciplinarum parentem, tamquam ad mercatum bonarum artium profectus, Bononiæ quæ celebris Academia, substitit; Iouiano Peloponnensi operam dedit, & Phil. Beroaldo, summis in litteris (quæ, quia humaniores efficiunt, sic appellantur) viris: breuique tantos in vtraque lingua progressus fecit ob incredibilem, quo flagrabat, discendi ardorem, nihil vt in auctoribus, quicumque nodus incideret, eum remoraretur. Quare assidua lectione sitim explens; patriæ, cui se natum ex Platone didicerat, misertus, Græcam eo coloniam deducere decreuit, comparatis magno ære Græcis exemplaribus, quæcumque venum adferrentur, plurimis etiam calamo exaratis. Domum igitur à studiorum peregrinatione veterum exemplo instituta reuersus, Ferdin. Regis beneficio, quia pater fidem suam in obeundo munere mirifice illi probasset, nec minorem virtutis spem filius concitasset, quam & eruditio augebat; facile in ordinem militum diui Iacobi, (qui crucem ensis forma rubea in pectore insigniuntur,) adscitus est. Nec hoc honore contentus de omni posteritate, nominisque immortalitate cogitans, non otio, aleæ, aut deliciis, vt nobilium vulgus, se dedidit: sed Herculis Prodicii in biuio constituti exemplo, Virtutem amplexus, studia litterarum, quæ senectutis tædium leuarent, assidue tractare, omnia in se posita putare, suaque secum

secum, Biantis more, ferre existimare. Primum igitur à Franc. Ximenio Card. Toletano Archiepiscopo, qui Complutensem Academiam in Carpetanis recēs excitabat, honorifice euocatus, in Bibliis illis quatuor linguarum, eiusdem auspiciis editis elaborauit; mox Demetrio Lucæ Cretensi ex Italia olim ab eodem honoris gratia accito, in Græcarum litterarum professione successit. Post accepto secundum brachium vulnere ab Alphonso Castella patricio Complutensi in factione, cuius conscius & ipse Pintianus ferebatur, Salmanticam concessit, quæ inter Hispaniæ Academias facile princeps est. Nec erubuit cathedram Græcæ linguæ ambire, vt in tam illustri loco versans omnium in se oculos conuerteret, quęque magno sumptu, periculo, & labore longoque vsu ipse didicisset, gratis & breui compendio cum ciuibus communicaret. Competitores igitur facile discipulorum suffragiis superauit, quorum oculos tam excellens doctrina præstinguebat. Hinc munus Naturalem Plinii historiam publice explicandi Academia mandauit, quod strenue magna sui concitata opinione obiuit. Post & Rhetoricæ professio accessit. Scholas igitur ita partitus est, vt antemeridianis horis linguam Græcam, qua maxime Hispania, quæ hactenus caruerat, indigebat; pomeridianis Latinam profiteretur. Obiectantibus igitur quibusdam nobilibus, quod in familiæ tam illustris decora peccaret, qui in pistrinum literarium se abdidisset: suas sibi res habere iussit, & fumosis imaginibus valere: se immortalia animo ptæcipere, & cum Dionysio Syracusarum tyranno inter discipulos tanquam in regno versari videri. Horis igitur subseciuis animum quoque ad scribendum applicauit, vt non cum præsentibus dumtaxat, sed & cum omni posteritate loqueretur. *Pomponium Melam* cum quod Hispanus scriptor esset, tum quod male à librariis acceptum animaduertisset, in integrum restituere pristinoque nitori reddere tentauit, qua posset à libris Græcisque auctoribus, Herodoto præsertim, quo fonte pleraque hauserat. Quæ alea cum non infeliciter ceeidisset, (nisi quod pauca post retractare, quod est hominis vere humanitate exculti, nō puduit) & omnium plausu *Mela* exciperetur, *C. Plinium*, qui ab illo vicissim accepisset, pari alacritate aggressus est, impeditum opus, tamque varium quam ipsa Natura est: sed cum nullo labore frangi, à recto que nullius calumniis deterreri abducique posset, cum Hermolao Barbaro (bone Deus, quo, & quanto viro!) contendit, pariaque facere tentauit, & perfecit. Sæpe enim, vt fit, in re litteraria dissentire

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab illo cogebatur: modeſte tamen; & veniam præfatus, non reprehendendi id ſtudio facere ſe, ſed omnib. amicitiis veritatẽ præſtare. His enim literariis contentionibus, quæ tamen felle & dentibus carerent, rem literariam creſcere, ſtudiaque augeri didicerat: nec vnius hominis eſſe tam vaſtum illud naturæ opus inſtaurare vſu iam perſpectum habebat. In omnibus igitur libris lectionis veritatẽ conſtituens, loca ex Græcorum copioſiſſimo penu depromta, vt maxime optabat repræſentare non potuit, inopia, quo tum Hiſpania temporis vitio laborabat, Græcorum characterum. Quiuis tamen libris inſtructus facile depromere poteſt, cum ille tanta fide diligentiaque digitos in fontes intenderit. *Senecam* quoque Philoſophum Hiſpanum, poſt Eraſmum multis millibus meliorem fecit. Non igitur vni Herculi, ſibi etiam cum Cerbero tricipiti rem fuiſſe, familiari ſermone vſurpare ſolebat, cui tres omnium deprauatiſſimi auctores in partem laborum veniſſent. Hoc ſane in confeſſo eſt, cum eo Græcas litteras in Hiſpania natas, quas ita feliciter iam propagarat, immenſis partim docendi laboribus quos per annos xx. libens exantlauit, ſcriptiſque ad immortalitatem comparatis: partim etiam Bibliotheca ſua, quam inſtructiſſimam moriens Academiæ Salmanticenſi legauit, quæ publice in archiuis aſſeruatur. Prodierunt certe ex ipſius ludo, tamquam ex equo Troiano, meri heroes Græce Latineque doctiſſimi, Leo Caſtrus, Franc. Mendocius, qui poſt Card. Burgenſis Chriſtoph. Stella, Hieron. Surita, Ioannes & Franciſcus Vergara fratres, quorum hic etiam præceptiones Grammaticas Græcæ linguæ conſcripſit, item Laurentius Balbus Lilienſis quos commemorat Aluarus Gometius Ximen. Card. lib. 4. & 8. qui vel in Republ. doctrinæ laude verſati, vel editis in vulgus ingenii monumentis clari ſunt, & præceptori eruditionem libenter acceptam referunt: pleriquè etiam hodie vigent, quos verum me dicere teſtes appello. Profeſſionis apud Complutẽſes initio, *Moſchum* poetam de excidio Troiæ, de Græco Latinum fecit, *Animaduerſiones in Platonis verſionem Marſilii Ficini*, quas alibi pollicetur, quod nondum affectæ eſſent, periiſſe puto, aut à plagiario interceptas. Scripſit & vernacule iuuenis admodum, in gratiam ciuium Commentarium in Io. Menam Cordubenſem, poetam ingenioſiſſ. &, vt tum erant tempora, principem, Salmanticę & Antuerpię excuſum, quod in manibus omnium eſſet, à paucis tamen intelligeretur: hauſit enim ex Lucano ciue ſuo, & intimis poetarum adytis pleraque. Vernacula quoque Adagia, Refranes

franes Hiſpani vocant, ad tria millia collegit, propoſitis etiam artium ſtudioſis, qui attuliſſent, præmiis, quæ & liberaliter perſoluit, & ſæpe auxit: de Italicis & Gallicis multa mutuatus Hiſpanice reddebat. Commentarium in eadem moliebatur, ſeni iam iucundum laborẽ eſſe ratus, & à ſtudiis honeſtam recreationem. Obiit octogenario maior anno ni fallor c1ↃↃ.LI. relictis fortunis omnibus corpori Salmanticenſi nobilium, qui pauperum in vinculis conflato ære alieno conſeneſcentium pietatis ergo rationem habent, alimentaque ſuppeditant: magna etiam parte ſacrificis egenis. Illi honorifice efferendum nobilium diſcipulorum humeris celebri pompa curarunt: hi anniuerſariis ſacris ſolemni ritu parentant. Sepultus ad Diuæ Suſannæ eſt, humili ſacello (erat enim omnis faſtus & gloriæ contemptor) ad portam Riualem, qua ad Tormim flumen itur. Quatuor etiam, nec plura, verba tumulo inſcribenda curauit. MAXIMVM VITÆ BONVM MORS. Proſpera ſemper ad extremum vſque valetudine vſus, quod temperanter continenterq; viueret, non tamen ſordide. Medicos fortiter contemſit, quos feſtiue aliquando eluſit, & falſe riſit, cum pharmacum præſcripſiſſent: nec vmquam laborans etiam, conſilio eorum vti voluit. Corpore firmo & robuſto, valideq; compacto, firmis lateribus, ſtatura ſupra mediocrẽ, vultu claro & ſereno. Equidẽ riſi, cum in Hieronymum Romanum Hiſpanũ hiſtoricum nuper incidiſſem, qui Reip. Gentilium lib. IX. cap. XI. affirmat, Hermaphroditum ſeu Androgynum fuiſſe Pintianum; verum deceptus Monachus eſt, cum iuueniles illius in Io. Menam poetam Cordubenſem commentarios, aliud agens legiſſet. Hic enim de Lunæ orbe carmine 76. agens, Auſonii illud Epigramma attulit in medium.

Nolo tamen veteris documenta arceſſere famæ,
Ecce ego ſum factus fœmina de puero.

Cõuerterat Hiſpane Pintianus: credidit oſcitãs lector ille de ſe loqui Scholiaſten. Sed quid mirũ cum huiuſmodi ineptiis, referta ſint illa chronica, cenſoria notione digna. Cęlebs & abſtemius ſemper vixit; frigida, iugis potio. Natura in omnes dicaciſſimus, vitiorumq; cenſor acerrimus; ſummæ tamẽ fidei: nemo enim vanũ deprehendit aut large promittentẽ, & poſt tergiuerſantẽ. Habuit & fratres duos ſummi ingenii viros, in Mathematicis Ioannẽ, & Ludouicũ in Muſicis excellentẽ: hic in mari mediterraneo ex Italia rediens, cũ à Gallis bello Italico triremis oppugnaretur, ſtrenue pugnãs, glorioſe periit. Nos piis Pintiani Manibus ſepulchrũ venerãtes bene precabamur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Barbarus Euganeis illuxit lucifer oris,
Barbariem pepulit, Phosphorus vt tenebras:
Pintia diues opum merito se iactat alumno,
Attica Musa etenim, lumen & Hesperiæ.
Hic FREDENANDE *iaces, totus quem vix capit orbis,*
Salue ergo atq; vale: quid mirum? Vallisoletum
In patriam. *Spirant suaue rosæ, molliter ossa cubent.*
Produxit florem beneolentem, ac inter acanthos
Sternuus? omen adest: nares præstinguit vti flos.

Iacobi Saluatoris Murgensis:

Barbara iampridem fuerat Hispania, sed mi
Contigit, vt foret hic Graecia tota tibi:
Vt foret ille decor Latii gratissimus oris,
Et foret in patria gloria prima mihi.
Sed nunc cara vale, nostris ornata triumphis:
Linquo solum, & cupiens astra, volo ad Superos.

IOAN. VERGARA TOLETANVS.

CORTONA Etruriæ oppido, (quod & à Petronio Arbitro, vt antiquissimum laudatum video) originē Vergaræ repetunt, quorum maiores Gibellinorum factionibus, vt Guelfiarum partium studiosi Italia profugi in Hispaniam veluti coloniam duxerunt. Auus Methymnæ Campi emporio celebri sedem fixit, vbi & Cortonæ & Vergaræ passim nominantur. Parens vero Georgius Vergara Toleti ducta domum vxore claruit liberis: quorum tres eruditi admodum fratres exstiterunt: quos & Desiderius in epistolis *Geryones* eo nomine iucunde appellabat. In his IOANNES VERGARA cum puer in Græcis Latinisq; & Philosophia profectum fecit, vt æqualium nulli concesserit. Versus enim fauentibus Musis pangebat, ac Latine de re quaque diserte differebat. His ornamentis instructus, Theologiæ studio se dedidit, in qua lauream apud Complutenses merito tulit. Iam enim disciplinarum illum orbem, quem ἐγκυκλοπαιδείαν Græci vocant, absoluerat. Collega S. Ildephonsi & Complutensis Canonicus Sacerdotio est à Ximenio ingeniorum tunc patrono ornatus, post etiam ab Hadriano VI. Pont. veluti certante, quem eruditionis fama commouerat, cohonestatur. In Bibliis illis Complutensibus trium linguarum Christiano orbi vtilissimis elaborare iussus,

iussus, Solomonis libros & Iesus Syrach, qui illi in partem cesserant, conuertit. Cunq; prodesse Ximenius vellet etiam Academiis omnibus, per Complutēsem recēs à se excitatam, Aristotelem à manuscriptis vndiq; conquisitis & philosophis linguarum peritis, qui summa fide Latineq; redderent, adhibitis, quod barbaricis hactenus sordibus inquinatus multos à sui lectione deterreret, emendatiorem dare decreuerat: sed mors optimi Præsulis conatus præcidit, in cuius vita describenda hæc ferè Aluarus Gometius, lib. 1. commemorat. Vergara certe iussu illius libros *φυσικῶν ἀκροαμάτων περὶ ψυχῆς καὶ μετὰ τὰ φυσικὰ* Latinitate donauerat: quos hodieque manu ipsius scriptos in archiuis Complutensi Bibliothecæ adseruari vidimus. Eiusdem Cardinalis Ximenii Historiam à se inchoatam Aluaro Gometio, in eodem curriculo versanti tanquam lampada tradidit, & quasi rerum ab illo domi forisque gestarum Commentarios; carmine elogium tumulo inscripsisse contentus. Tantus enim popularis auræ gloriæque contemtor exstitit, nihil vt elaboratum ingenio, diligentiaque perfectum edi suo nomine pateretur. Post ad Ioannem Croyum Belgam, cui Carolus post Cæsar Imperator eius nominis quinctus Toletanæ sedis clauum ob parentis erga se educandi officia commendarat, in Belgium profectus vna cum Valdesio, (qui post Hispalensis est Archiepiscopus renunciatus) vt rerum Ecclesiasticarum in Carpetanis probe gnarus de re omni Præsulem designatum docerent. Is animi gratia venatum profectus, & equo delapsus rupta vena, nondum vita Hispania interiit. *Vergara* domum ad suos rediens, suffectoque in Croii locum Alfonso Fonseca reliquum vitæ in studiis consumere, vt optabat, minime potuit. Huic enim vsque eo carus acceptusque fuit, vt ab otio ad negotia vel inuitus traductus, à Secretis etiam fuerit. Toletano hic opimo Sacerdotio ornauit, mensæque frequenter adhibuit; gloriari etiam solitus *Vergaram* se vt doctissimum hominem omnibus opibus & censibus anteferre, qui de laude eloquentiæ cum æqualibus Bembo & Sadoleto, Leoni decimo Pont. ab epistolis, contendere posset. Habebat domi Alphonsum Cortonam patruelem *Vergara* virum Græce apprime doctum, qui & Plutarchi libellum. *Quomodo se quis citra inuidiam laudet*, Latine redditum perpetuo pressit. D. Mendozii Ducis Infantatus quarti, Toparchæ Carracēsis oppidi, sexto à Cōpluto lapide, rogatu, vt erat historiarū ille perstudiosus, Lectiones varias recensuit, qui & paucorum dierum Ver-

garæ Disputationem coram se habitam, *de templi Solomonis instauratione edendam Toleti Hispanice curauit*; qua Esaiæ 44. caput, & Esdræ libros conciliare tentauit, transcripsitque Latine in Theologicos locos Melchior Canus. Cum podagra senex conflictatus est, & familiari doctorum hominum malo, vesicæ dolore extinguitur, bonis omnibus amentium Collegio, quod Toleti institutum visitur, ex testamento relictis. Obitum Aluarus Gometius Ecloga quadam in *Edyllijs Poematum* defleuit. Situs est Toleti in æde sacra Deiparæ Virginis, Sacello D. Petri, vbi hæc inscriptio cum gentiliciis insignibus legitur:

D. O. M. S.

Io. VERGARÆ DOCT. THEOL.
HVIVSCE TEMPLI SACERDOTI CANONICO,
VIRO IN OMNI DISCIPLINARVM
GENERE EXIMIO,
QVO VIVENTE NATVRA DECLARAVIT
SE ADHVC MINIME EFFOETAM ESSE AD PRÆSTANTISS. VIROS
PRODVCENDOS:
DEC. CAPITVL. Q. HONORIS VIRTVTISQ. CAVSA TOLET. SODALI. B. M. L. D. D.
VIXIT ANN. LXIV. MENS. V. DIES XVII.
OBIIT XX. FEBR. M.D.LVII.
IOAN. CERDA CAN. TOLET. PROPIVS SOBRINO DECESSORIQ. SVO INDVLGENTISS. P. C.

Quo & anno Alph. Cortona domesticus eius, vita decessit mense Augusto. Thomas enim frater iuuenis, & ipse litteratus extinguitur: Franciscum quoq; mœstus præmisit.

DIDACI GVEVARRÆ.

IOannes iacet hic sacras VERGARA *Camoenas*
Cui primo humanis iungere posse datum.
Viuens, felicis laus, & noua gaudia secli;
At nunc & luctus, & dolor, & lacryma.

Aluari

ALVARI GOMETII.

EXsul Parnasso mœrens Hispania quondam
Cesserat, armiferis cuncta referta viris.
Tu VERGARA *facis gemino reuocetur honore:*
Aequali Latio Cecropidumque solo.

FRANC. VERGARA.

FRANC. VERGARA Ioan. frater ingenio inferior, studio maior: vt hunc scholis, illum Reip. hunc quieti, illum negotiis disputationibus atque consiliis natum diceres: admirandæ vterque industriæ. Demetrio Cretensi, (quem ex Italia magno præmio excitandis Græcis litteris in Academia Complutensi, illustrandisque Bibliis Ximenius exciuerat) & Freden. Nonio Pintiano, summis viris operam dedit: Græcas vero litteras ita auide arripuit, vt breui earum perfectam cognitionem assecutus viginti ipsos annos ibidem professus sit, collega Laurentio Balbo Lilienſi. Scripsit *Grammaticam Græcam* libris quatuor ex antiquis recentioribusque auctoribus, scholiisque explanauit, tam accurate, nihil vt in eo genere perfectius: & Parisiēses typis suis sæpius bearint. Diui adhæc *Basilii Homilias* IX. breuiores à nemine antea editas, Latinas fecit, & Ioanni fratri inscripsit. *Theonis* quoque *Sophistæ Progymnasmata* conuertit: *Heliodori* denique *Aethiopicam historiam* lepidissimam in gratiam ciuium, quod male conuersa vulgo legeretur, sua lingua de Græcis loquentem fecit, eamque apud Carracam, quæ hodie *Guadalfaiara*, in Bibliotheca Ducis Infantatus, cui dedicauerat, latere audio. Senex scholam Georgii Naueri Theologi sum mi, (qui secundus à Dionysio Vasquio Toletano monacho compluti Biblia variis linguis, quæ Louanii didicerat, explicare cœpit,) qua erat pietate, frequentare non erubuit. Cum tabe contracta mortuus esset, elatus Compluti magna stipante studiosorum nobiliumque caterua, & conditus in æde Diuorum, Iusti & Pastoris, Frater hoc Epitaphio funus est prosecutus:

FRANCISCVS *saxo hoc tegitur* VERGARA *sepultus*
Vnica Graiorum gloria Pieridum.
Flent Charites funus, flent Musæ, deflet Apollo:
Vana hæc. Tu requiem, quæso, precare piam.

Obiit anno salutis M.D.XLV. VI. Ka. Ianuar:
Io. Vergara Doctor Theologus Ecclesiæ Toletanæ & complut. Canonicus fratri amantiss. mœrens P.

Eiusdem.

FRANCISCVS *Pario tegitur* VERGARA *sepulchro*:
Pectus cui hoc ipso marmore candidius.
Excoluit Graias pariter Latiasque Camœnas:
Sed Graiarum illi maxima cura fuit.
Sic animum studiis nimium dum pascit honestis,
Contracta tabe corporis occubuit.
Quid iuuat ô mors, sic te talibus insidiari?
Maxime iniqua vel hoc, æqua quod omnibus es.

PETRVS CIACCONIVS TOLETANVS
auctore And. Schotto.

PETRVS CIACCONIVS Presbyter, Orator, & Theologus, natus, vt accepimus, anno salutis CIↃ.IↃ. XXVII. Toleti: quæ vrbs in Hispania Carpetanorum caput est, auctore Plinio, Tago flumini imposita: fuitque olim, dum Gothi rerum in Hispania potirentur, regia sedes. Ciuitas vero Carpetanorum præstantium semper ingeniorum ferax, siue loci genio, & cæli solique bonitate, siue alimentorum facultate; seu vtraque de caussa id accidat; vt & mentis sollertia, iudiciique constantia polleant Toletani, & corpora habeant ad laborem dura, tolerandæque militiæ apta. Hinc & acumine ingenii, & armorum gloria ceteris facile antecellunt omnibus, suntque vt foris milites strenui, atque adeo duces egregii, sic & domi Philosophi & Theologi insignes. Adhæc Remp. administrandi prudentia Senatoriisque artibus finitimos superant: sermonis præterea natiui elegantia ceteris disertiores: forte quod vt in humani corporis membris vmbilicus, vti Varro censuit, seu potius cor; ita medium & ipsi Hispaniæ teneant: quemadmodum de Delphis Poeta nescio quis:

Pallas Cecropias tuetur arces
Delphos Pythias Orbis vmbilicum.

Natus itaque Toleti mediocris quidem fortunæ, honestis tamen parentibus; ab his in ludum à teneris, quod Græci dicunt, vnguiculis dedu

deductus, litteras summa quadam animi inductione contentioneque arripuit: eumque breui in studiis vna cum ætate progressum fecit, æquales vt longo post se interuallo, præceptorum summa lætitia, atque felicis euentus augurio, reliquerit. Cumque iam ex ephebis egressus, & parentibus esset orbatus, optimates beatioresq; stipendio in patria, vt fieri solet, tẽpus frustra tereret, ad vberiorem ingenii cultum Salmanticam propter summam & doctorum auctoritatem copiamq;, & vrbis studiis omnibus consecratæ amplitudinem cogitauit: quorum illi scientia augere eum possent; hæc exẽplis abundans ad honestatem & laudem informaret. Nam inter Hispaniæ Academias principem sibi locum iure Salmantica vindicat: siue discipulorum copiam, siue opes tuendis tenuioris fortunæ alumnis consideres, studiis florens, ac disciplinis, Iuris præsertim tractatione, & Theologiæ doctrina. Huc etiam ingeniorum & nobilium fere Hispaniæ flos ex omnibus oris cõfluere solet: doctissimorum adhæc hominum maior, hic, quam alibi, concursus, exercitatioq; dicendi ac differendi. Hic iam in Mathematicis Græcisque litteris, quas necessarias esse in quauis disciplina cum laude tractanda, recte iudicabat, & nullo quidem doctore (quod ætate grandior ad ima subsellia dimittere se nec posset, nec deberet) ita per se profecit, vt cum biennium vix abiisset ad artes illas de superiore loco interpretandas, proposito à S. P. Q. Salmanticensi liberali præmio inuitaretur: sed cum diuinæ Philosophiæ, scientiarumque omnium reginæ Theologiæ (cui immori, vt sacris iam initiatus, vellet) se totum consecrasset, nec apud Sirenẽos scopulos adhærescendum sibi, consenescendumque more multorum arbitraretur, conditione illa sibi minime vtendum ratus, totum se sacrarum litterarum studiis addixit: & a populari aura atque ambitione animum auocans in bibliothecam se abdidit. De quibus studiis vere iudicare solitum accepimus: si qua esset in vita mortalium felicitas animique oblectatio, eam in laudandarum artium studiis, nec alibi, quærendam videri: rursus si qua in his ipsis studiis, cum voluptate esset coniuncta vtilitas, animorumque salus, eam in diuinæ scripturæ, quam scrutari nos Deus præcipit, & SS. Patrum orthodoxæ fidei assidua lectione inueniri. Et vero cum illa disciplinarum omnium principe ceteræ artes compositę, vniuersæ vt maxime hominum studio excolantur, atque splendescant, sordere merito videntur. Interiores tamen litteras, quas puer auide imbiberat, interdum quasi relaxandi animi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

studio iam, intentioneque defatigati gratia, respectabat: verum vt pedisequas dominæ ancillari, splendorẽ afferre, & tanquã Aegypti spolia in templi dominici ornamentũ, si his modo externis indigeat, cedere iubebat. Theologus itaq; summ⁹, assidua lectione cõmentationeq; euasit: atq; his quidem Salmãticæ intentus, cũ iam illustrem virum Almeidã Lusitanum disciplinæ suæ traditũ ad summum studii fastigium laureamq; domi foriscq; differendo, docẽdoq; duxisset, hortatu amicorũ: in his Francisci Salinæ Burgẽsis Theoreticę Musicæ doctoris apud Salmanticenses eruditissimi, Romã vrbium Dominam atq; Reginã, immo *Orbis terrarum*, vt iure Polemõ Sophista appellabat, *Compẽdium*, profectus est; quæ vt studiorum religionisq; parens exstitit; sic & ingeniorum theatrũ est amplissimum, vbi virtuti merces in tanto purpuratorum Patrum conuentu proposita esse videatur. Qua in re iudicando minime falsus est Ciacconius. Vix enim salutis Romam aduenerat, consalutatis officii gratia gentis suæ familiaribus, in his Ludouico Castellæ v. CL. quicum summa Salmanticæ necessitudo intercesserat: vbi de doctrinæ præstantia lectionisque varietate rumor in vrbe increbuit, ei Sodalitati innotuit, quæ Pontificum auctoritate, cura, ac vigilantia, instituta est librorum censuræ, sacrisque scriptoribus illustrandis: ne qua hinc labes fidei, institutisque maiorum (vt alibi fere accidisse dolemus) in Rempub. dimanet, dum vel deprauatæ opinionis, vel inepti & immaturi, seu pestiferi potius famosiq; libelli in vulgus impune spargantur ac disseminantur. Mox Gregorius XIII. Pont. Max. vigilantissimus pastor, & iure piorum & eruditorum hominum parens optimus, Ciacconio nec opinanti, ac ne optare quidem auso honestum Hispalensis Ecclesiæ sacerdotium vltro detulit, quo Romæ bono Catholicæ fidei publico in sacris studiis conquiescere, quæque in rem posteritatis essent, elaborare in otio posset. Iuris itaque Pontificii decretis à Gratiano olim, vt illa quidem tempora ferebant, non inepte (vt aduersarii partium studiosi iactant) collectis, eiusdem Pontificis auctoritate, iussuque emendandis incumbens cum Michaele Thomasio Baleari, (quo etiam hortante maxime, susceptum negotium hoc omne, Decreta Ecclesiæ commodo instaurandi) ceterisque sodalitatis collegis, omnes in sui admirationem rapuit: cum quod vnus plura, quã ceteri omnes quotidie conferret; tum quod summa & ingenii, & memoriæ (quibus dotib. mirifice excelluit, vicitq; æquales omnes) felicitate, qui centones, vnde consar-

cinati essent à Gratiano, & quasi stipe viritim collata coaluissent, digitum ad fontes intendendo, vere prõpteq; ostenderet. Quæ quidem castigationum notæ lucem non acceperunt: discissas enim ab ipso paginas illas, quorũdam rumoribus offenso audiui, quasi ad se aleam, laudemq; editionis omnẽ rapere vellet: homo mortalium omnium ab ambitione gloriæq; cupiditate maxime alienus. Idẽ in Diui Isidori Hispalẽsis Episcopi Origines, seu Etymologias (quas Toleti iussu Philippi II. Regis Catholici edolandas susceperat Aluarus Gometius, Græcarum litterarum doctor) rogatu illius cõpositis aliquot Neapolitanæ bibliothecæ codicibus antiquis, obseruationes scripsit; breues illas quidem, vt solet, sed eruditas; quibus ex Seruio Maronis interprete, Festo, Nonio, Diuo Augustino, ceterisq; melioris notæ auctoribus (quorum Gothicis illis temporibus vel nomina audita fuisse, quis non miretur?) ad verbum pleraque transcripsisse ostendit. Nauauit & insignem operam Romæ Ant. Card. Carafæ precibus, in Ioannis Cassiani ascetici illustrandis: quæ in eam diem mendorum vi, à paucis legebantur, à paucioribus intelligebantur: vt & in Belgio Henricus Cuchius, ex Louanienſi Theologo Rurẽmundæ Episc. eadem illustrauit. Post Arnobii aduersus gentes libros septem, Romæ antea mendose editos, ex Clemente Alexandrino, ceterisque, adhibita etiam coniectura, meliores fecit; cũ Minucii Felicis Octauio: qui dialog⁹ falso, octau⁹ Arnobii liber, numerabatur. Sext. item Põpeium: Festũ de verb. significatione, Fuluius Vrsinus singulari Græcarum litterarum, & Romanæ antiquitatis cognitione, foras dedit: cui & de triclinio Romano Ciacconii postremum commentariũ supplemento auctũ acceptum ferimus: quo & veterum Rom. Græcorumq;, lectis discumbentiũ, mos, & ritus ex omni antiquitate, Italicisq; marmoribus, præsertim Patauino, explicatur: tũ vero maxime Christi in vltima cœna cum discipulis recumbentis, eorũq; in fulcris stratorũ pedes lauantis, vt & Mariæ Magdalenæ stantis forma, non humi prostratæ, certis argumẽtis ostẽditur. Cassianus quidem Arnobius, & Festus absq; Ciacconii inscriptione circumferuntur. Sic enim paciſci cum amicis solebat, quod cũ ceteris satisfaceret omnibus, sua sibi vehemẽter displicere, qua erat animi modestia, præseferret. Quamobrem cum eruditis amicis sua libenter cõmunicare consueuerat, non ostentationis, quã etiã in aliis oderat, sed vtilitatis publicæ potissimũ gratia: quin etiã quib. suas vigilias semel condonasset, iisdem acceptas referri constãter vol. bat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Erat enim omnis gloriæ, vt diximus, contemtor egregius, & sui negligens. Indecorum itaque esse in mustaceo laureolam quærere prædicare solebat: tum vero turpissimum aliorum bene-merendi studium reprehendere, iuueniliterque insultando famam quærere: denique in alieno opere ingeniosum videri, & quantum de alterius, eruditione detrahas, tantum in se laudis alienę deriuare velle, id demum legibus, poenisque esse vindicandum. Itaque differebat virtutem seipsa esse contentam, nec in terris laborum mercedem, laudationibus, coronis cito arescentibus, statuis, columnis, tituliſque fumosis exspectari oportere, sed à Deo Opt. Max. anteactæ cum labore vitæ in æterna illa beatitudine lauream esse flagitandam. In C. Sallustium, & Iulii Cæsaris Commentarios notas scripsit pereruditas: has quidem longiores; in Cripsum vero breuiores, sibi, vt dicere solebat, ac Musis: vtque ad vastum C. Plinii opus paratior accederet. Admiscuit & has suis in Historicos Latinos notis Fuluius: verum dante secundum libertatē vindicias prætore, suo nunc sunt auctori postliminii iure redditi. Hinc Tertullianum aggressus est, durum licet scriptorem, & acutum vt Africanum, cetera doctum & perantiquum. Fuit enim vicinus Apostolorū temporibus, eumque cum veteribus, quos nāciſci potuit, libris compositum, tum ex coniectura, qua plurimum valebat, & familiari cuique scriptorum dicendi genio recensuit; innumera vulnera sanauit, obscura dubiaque explanauit; quæ & Romæ Latinus Latinius antiquæ vir & doctrinæ & fidei, vt cum lac. Pamelii doctis Commentariis coniungi queant, in lucē edidit. Scripsit & Annotationes in Colūnæ rostratæ C. Diulio Romæ, primo bello Punico à S. P. Q R. in foro positæ, inscriptionem à se coniectura factam, vt hodieque in Capitolio spectatur. In quibus industria, summum eius ingenium, historiarum peritia, atque ad eo antiquitatis Romanæ cognitio facile eluceſcit, vt hinc vel ex vngue leonem (quod aiunt) æstimare liceat. Felix enim hic, vt & vbiq; coniectandi alea iacta est, qua vna arte, vt quod sentio dicam, æquales longo post se reliquit interuallo. Memoria teneo donasse & olim Benedicto Ariæ Montano Hispalensi Theologo, eximia linguarum & Poeticæ cognitione insigni, Kalēdarii Romani explanationem ex veterum sensu Plantinianis typis euulgatam. Quod & ipsum marmoreum monumentum vetustate fractum Romæ in Farnesiana Bibliotheca spectatur, Iulii Cæsaris (qui & anni rationem ad Solis cursum reuocatam emendauit) temporibus ad

bus, ad posteritatis memoriam sempiternam incisum. Vidi & Romæ edita, quæ *de ponderibus & mensuris Atticorum & Romanorum* ingenioſe acuteque obseruarat, & quidem post Guill. Budæi, Leonardi Pontii, Hētici Glareani, And. Alciati, Ant. Augustini principum suæ cuiusque ætatis instauratæ, politæque Iuris prudentiæ: & quod merito mireris, post Georgii Agricolæ eruditas hac de re dissertationes. Quamobrem & Kalendario corrigendo, quando à legitimo Solis cursu iam inde à Christo nato orbi redimendo, ad nostram vsque ætatem decem diebus annus aberrauerat, Gregorii XIII. Pontif. auctoritate & iussu operam posuit, cum Christoph. Clauio Societatis IESV sacerdote, Mathematico summo. Effectum itaque est, vt quæ res olim in Oecumenica Synodo Nicena frustra tractata fuerat, integra nimirum Kalendarii emendatio ea tandem aliquando Pont. optimi auspiciis anno CIↃ. IↃ. LXXXII. absoluta fit, sublatis nimirum Octobri mense diebus, qui supererant decem: quæ etiam ratio post paullo in exterarum gentium prouinciis, ægre licet, peruicit. Et hæc quidem Ciacconii monumenta typis magno cum fructu excepta leguntur, demptis Gratiani Notis. Nunc quæ apud doctos viros adhuc lateant, quæq; exspectare votisq; optare possimus, referam. In M. Terentii Varronis, togatorum doctissimi, quem suo ipse seculo retulisse mihi visus est, libros de lingua Latina ad Ciceronem: item in rei rusticæ volumina Commentarium: vt & in Melam *de Situ orbis Scholia* videre memini. Assidue vero quotidiano cōuicio efflagitatur à doctis, quodque apud Ludouicum Castellæ, virum clarissimum asseruari audio, Plinii maioris vastum opus. Comparauit enim diligēter singulos, partim cum antiquis libris calamo exaratis, partim cum Aristotele, Theophrasto, Dioscoride, ceterisque innumeris Græcis, Latinisque Scriptoribus, è quibus ingens ille rerum maximarum thesaurus in eam molem excreuit. Hunc enim scriptorem potissimum, in deliciis cum esset, delegerat: in quo recensendo, cum à sacrarum litterarum studio animum recreare, & in naturæ, hoc est, conditoris, rerumque conditarum contemplatione reficere vellet, ingenii neruos intenderet: quo tanquā in scopum collinearet, vigiliarumque suarum rationes referret: in quo denique ex Varronis præcepto, *vitam legendo scribendoque produceret.* Vincet itaque omnium exspectationem commendationemque, vt maxime adnitar, meam; ceterorumque adeo in Plinium ad hanc diem lucubrationes, Hermolai, Pintiani, Rhenani, Gelenii & nu-

per Dalechāpii Medici Lugdunēsis, diuturnus ille Ciacconii labor, si, vt spero & opto, randē aliquando beneficio Lud. Castellæ in apertum referetur. Quædā etiam in Hilariū & Hieronymum; nonnulla etiam in Ambrosium à se meditata notarat, quæ à Card. Montalto, qui post Sixtus V. Pōt. Max. fuit, edita arbitror. Adhuc de ingenii monumentis, quæ cognoscere licuit. Erat enim raræ ad miraculum vsq; eruditionis, vt emendandis antiquis scriptoribus natum diceres. Nūc de morib. viuendiq; cōsuetudine pauca. Fuit enim natura solitudinis amās, & libris deditus, quos & fidos socios, arcanorū custodes, nec intēpestiuis alloquiis, vt amicorū plerūq; sermones importunos appellare solebat: nec vnquā se minus solū esse, quam cum legens aliquid, aut cōmentans solus esse videretur, cū Scipione Africano prædicabat. Honoris & ambitionis ita expers, vt eos etiam qui studiosē prensando laudem & opes velut vmbram captarent, accusaret: pluris, vt studiosum inopem, quā aulicū opulentum faceret: vtq; de Catone illo Censorio accepimus, quo laudem studiosius fugiebat; eo maiorē glorię cumulum adeptū videmus. Si de aliorum ingeniis scriptisq;, quæ ipse improbaret, sententiā rogatus esset, Criticus acer & vehemens, nemo vt illi, ac ne sibi quidem ille satisfaceret. Paucos itaq; ingenii sui bene cōscius in amicitiā, ex Philosophorum consilio adsciscere, adscitos officiis retinere, eosq; diu multūq; probatos, rebus aduersis perspectos, studiisq; deditos elegantiorib. In his Gul. Sirleto, & Ant. Carafa purpuratis Senatoribus doctissimis, bene de re omni litteraria meritis vsus est. Latino item Latinio Viterbiensi, & Fuluio Vrsino Romano: nam de suæ gentis hominibus, Ludouico Castellæ potissimum in contubernio hæsit, cui & moriens sua legauit. Potentiores vero adeo non sectabatur, vt fugeret potius, qui paruo contentus nihil ambiret, repetens identidem illud Horatii.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit.

Obiit Romæ annos natus LVI. Septimo kal. Nouembr. CIↃ. IↃ. LXXXI. relictis ex testamento fortunæ bonis templo D. Iacobi, alendis gentis suæ pauperibus, qui ab ære & amicis inopes, Romam vrbium dominam partim religione tacti, partim negotiorum caussa frequentant, & in Xenodochium diuertere coguntur. Elatus autem honorifice, ingenti ciuium suorum pompa comitante, quibus magnum, vt & Italorum eruditissimis hominibus, sui reliquit desi-

rium.

rium. Conditus est in Agonalibus æde. B. Iacobo Apostolo tutelari Hispaniæ sacra, vbi dignum hoc Elogium marmori inscriptum legitur, effigiesque ad viuum expressa spectatur.

PETRO CIACCONIO
PRESBYTERO TOLETANO,
IN QVO MVLTIPLICIS DOCTRINÆ
COPIA, CVM VITAE, AC MORVM
INTEGRITATE CERTABAT.
QVI A GREGORIO XIII. PONT. MAX.
SANCTORVM PATRVM LIBRIS,
SACRISQ. CANONIBVS, ET SACROSANCTIS
BIBLIIS PERPVRGANDIS
PRAEPOSITVS,
IN EO MVNERE OBEVNDO
ERVDITIONE, IVDICIO, FIDE,
AC DILIGENTIA PRÆSTITIT.
ECCLESIÆ S. IACOBI HISPANORVM
QVI VRBEM COLVNT, HERES AB EO
INSTITVTA MONVM. HOC P.

VIXIT AN. LVI. OBIIT AN. CIↃ. IↃ. LXXXI.
VII. KALEND. NOVEMB.

Latinus Latinius Viterbiensis.

Quid monumenta loco, licet ære & mole superba
Concluſa Petro construis CIACCONIO,
Auriferi generosa Tagi gens accola? nomne
Spectata virtus hominis, & vis ingeni?
Famaque iam latum celebris diffusa per orbem
Cæsura nullis sæclorum sæculis?
Clarior ad seros sed peruentura nepotes,
Satis modesto gloriæ peperit viro.
Ambiat ista tumens, & quærat inania vulgus
Cuius superstes fama nulla est funeri.
At tibi, PETRE, *nouos per sæcula semper honores,*
Vbique statuet eruditorum chorus.

INDEX SCRIPTORVM PET. CIACCONII TOLETANI.

KALEND. *Rom. veteris explanatio Antuerp. Plant. an. 1568.*
In C. Sallustium Notæ.
In C. Iulii Cæsaris Commentarios Scholia vberiora.
In Inscriptionem columnæ rostratæ C. Duilii Commentarius; & de ponderibus & mensuris. *an. 1586.*
De Triclinio Rom. cum Appendice Fulvii Vrsini. *an. 1588.*
Arnobii aduersus gentes lib. VII. cum Minutii Felicis Octauio, & Notis ad oram. *an. 1583*
In Ioan. Cassiani opera doctissimæ Annotationes. *an. 1580*
In Tertulliani opera coniecturæ, quas suis etiam additis, Lat. Latinius edidit. *an. 1584.*

Desiderantur & exspectantur;

NOTAE { *In Marcum Varronem de lingua Latina, & re rustica.*
{ *In Pomponium Melam.*

In Plinii maioris naturalis historiæ libros docta Commentaria.

ALVARVS GOMETIVS EVLALIVS.

NAtus hic vico non procul Toleto Carpetanorum ad annum Christi XV. seculi M. D. festo B. Nicolai. Adolescens operam Ioanni Ramiro Toletano Compluti dedit, Latinis dialogis diserto: corpusculo fuit quidem imbecillo, ac breui, firmo tamē ingenio, & in quo virtus regnaret: constantique labore litteras, quæ vere humanos reddunt, supra corporis pusilli captum, Græcas præsertim auide arripuit, vicitque æquales Compluti, vbi annos plurimos professus est, scripsitque *Lætitiam publicam inaugurationis Martini Silicei*, Archiepiscopi Toletani. *Vitam* quoque ac res domi militiæque gestas Francisci Card. Ximenii, Academiæ Complutēsis, Bibliothecæ conditoris. Nata hinc Toleti Academia, auspiciis Bernardini Sandonallii, Gometius eo honoris gratia Græcarum litterarum doctor adscitus est. Hic Philippi Regis Catholici iussu B. Isidori Præsulis Hispalensis, antiquissimi Hispaniæ originum seu etymologiarum libros cum reliquis operibus edolare ingressus est, adiutante Romæ insigni viro Toletano Petro Ciacconio. Verum corporis imbecillitas summa ad exitum adducere opus non siuit, dum multa nimis accumulat. Quo tempore & ad Parcas sic ludebat, imitatus Valerium Martialem, in Leandri voto:

O vos, quæ in vitas hominum iura ampla tenetis,
Parcite dum scribo: scindite dum perago.

Vitam post paullo fata abrumpunt, anno eius seculi octogesimo, (quo Hispaniam catharrus peruadens afflixit, qui & alibi trans Pyrenæos in pestem abiit) cum annum ageret quintum & sexagesimum climacterico superato. Lusit & *Idyllia* versibus. Isidorum, postumum eius partum, excultum edidit Ioannes Grialus apud Hiberos & Lutetiæ. De morbo quo exstinctus est Aluarus, quasi vaticinans initio lib. VII. vitæ Ximenii Card. ita scribit, ad annum Christi M.D.XVI. *Populari*, inquit, *fluxionis morbo, quem rheumatismum Græci vocant laboratum, magna mentio huius morbi apud seculi illius scriptores. Neque enim Hispaniam solum, sed & Belgas & Gallos atque adeo vniuersam Europam Epidemiæ cuiusdam instar. Quemadmodum* (ait) *& nostra ætate accidisse vidimus, ann. M.D.LVII. Nemo enim adeo salubri victu selectaue diætæ est vsus, quin fluxionum vi, febriculis & rigoribus correptus, pestilētem ægritudinem senserit. Vidi Cœnobia & Collegia cunctis fere sodalibus decumbentibus languorem istum importunum sensisse.* Hæc ille. Spectatur Toleti in æde summa ad limina Sacelli Regii, hoc titulo inscriptus sarcophagus.

D. O. M.

ALVARVS GOMECIVS CASTER FVI.
DIXERAM DE MEA VITA SATIS:
SED ADSTA PAVLVLVM.
NEMINI VNQVAM SCIENS NOCVI,
PRODESSE QVAMPLVRIBVS CVRAVI.
VIRIS PLACVI BONIS, QVOS POTVI FALLERE:
VERVM QVOD NONDVM NOSTI,
DE ME IAM FECIT IVDICIVM
IVSTVS IVDEX

Universidad de Deusto
Biblioteca

POSTEA DE OMNIBVS PALAM FACTVRVS.
TV INTERIM ME POSTVLA
REATIBVS EXOLVI.
VALE.

HIERONYMVS ORTISIVS HISPALENSIS.

ALVARVS *hic situs est, Gomesius Aluarus ille,*
Extremas orbis notus ad vsque plagas
Quo nec Græca fuit tellus magis Attica quondam,
Eloquio nec erat Roma diserta magis.
Transtulit hinc doctas secum post funera Athenas,
Et Musas Latias Historiaque decus.

ALVARVS GOMETIVS ALTER.

HIc dominobilis Toleti; gener Mendozii Ducis Infantatus, & Aranzonis ac Prozii Toparcha, vir prudens, studiis se totum, poeticæ Latinæ præsertim consecrarat: Reddidit heroico carmine *Salomonis Prouerbia*, & 7. quos vocant pœnitentiales Psalmos. Lusit & *de vellere aureo*, siue Gedeonis, insigni Burgundionum Equitum pœmation, scholiis ab Alexio Vanega explanatum. *Thalichristia* eius continet carmine mysteria Sacræ Scripturæ: & *Paulina Musa* paraphrasin epistolarum Pauli Apostoli. Prosa item de *profligatione bestiarum* aduersus hæresiarchas. Hispano sermone Theologicam sacrorum mysteriorum descriptionem, quam filius Didacus Gomez Mendozius Ioan. Taueræ Toletano Archiepisc. inscripsit.

GASPAR VILLALPANDEVS.

DOctor hic Theologus patria Segobiensis è Gymnasio S. Ildephonsi Compluti Tridentum missus scripsit *Controuersias Fidei aduersus hæreticos*, Venetorum typis expressas: duas item orationes, *quod non sit Laicis Calix permittendus*: alteram de nomine IESV ad Tridentinam Synodum 1562. & 1563. Compluti vero *commentarios in Porphyrium*, atq; adeo *Organũ Aristotelis & Physica*: omnia dedit exceptis libris *de anima*; pro quibus *Apologia* Aristotelem, vt animorũ immortalitatem asserentem, tuetur. Eiusdem Commentarius rerum in Conciliis Toletanis gestarum Compluti 1570.

PETRVS.

PETRVS RHVA NVMANTINVS.

PRimum Abulę post Numãtię in patria annos plurimos ad extremam vsq; ætatem bonas litteras docuit, non triuialiter vt Grãmaticorum vulgus, sed ad Ciceronis imitationem suos assuefaciens, in quo egregie versatum fuisse testãtur *epist. 3.* Hispanice scriptę eruditionis plenę, & humanitatis satis copiosę: quibus Ant. Gueuarrę (qui tum solus doctrinæ, & eloquentiæ arcem tenere videbatur) errores, mendaciaq; in historiis antiquorum, veteribusq; monumentis lapidum, & nummorum explicandis, egregie refellit. Valde vt miror Gallos, Gueuarræ epistolas conuersas *Aureo* titulo decorasse, manibusq; ita tenere solitos, vt pro oraculis circumferant, quæ tot mendaciis, quot versibus scatere dicantur. RHVA itaq; de tot millibus multa indicauit, facemq; prętulit, nequis posthac credulus in errorẽ induceretur. Epist. 1. numismatum inscriptiones, & confinxisse, & ridicule explicasse, in Chronologia & magistratuum dignitate turpiter hallucinatum. Epist. 2. errasse in historia Rom. temporũ ratione, locorumq; nominibus, solenne illud suum seruãdo, audacter vt omnia pronunciet, quasi posteris imponere volens, aut credens omnes ei temere assensuros audito illo Pythagoreorũ αὐτὸς ἔφα, cornicum oculos eõfixit, citans identidem, & prodigiosa nomina propria historicorum, cudẽsq; arbitratu suo, ad hanc diem inaudita. De numismatis inepta & ridicula leges; vt & de legibus Rom. & legum auctorib. de lege Iulia Poppęa, Cornelia, Falcidia, aliisq;: de medicina & empirica. Tertia epistola vt mole sua ita rerũ põdere ceteris maior est. Cum enim Gueuarra omnẽ antiquitati fidem derogare niteretur, epistola quadam, quo ficta mendacia legeret, velaret, vel tueretur; cum à sacris litteris discesseris, omnia incerta fabulisq; plena affirmat. Refellit virum diserte RHVA ex Athenagoræ apologia pro Christianis, & hoc esse omnem artium tractationem, fidemque vt societatis humanæ, ita & scientiarum vinculum è medio tollere. M. Aurelii Antonini vita & Faustinæ eiusdem Gueuarræ, ridicula est & meræ nugæ, quam tamen Galli applausu magno exceperunt, sæpius verterunt, ediderunt q; & nobiles pleriq; manibus gestant: sed quid mirum quibus Amadisius Gallicus, Orlandus furiosus, ceteraque ægrorum somnia perplacent, quæ, qui sapiet, ne horas collocet male, fugiet. Tale quoq; de Antonini Gueuarrę scriptis tumidis fastuosis, ac fictis iudicĩ est Alfonsi Matamori Hispalensis, & Antonii Augustini Tarraconensis in Antiquitatum dialogis.

GARCIAS LOAYSA.

NObili genere natus Theologus Complutensis, post Toletanus Canonicus, & Archidiaconus Guadalfaiarensis. Hinc à Philippo II. Hispaniarum Rege Catholico, studiis filii, & hæredis regnorum Philippi III. præfectus munus egregiè obiuit: collegitque Concilia omnia Hispaniæ; in his & Toletana XVII. notisq; eruditis Madriti illustrauit. Post Archiepiscopus Toletanus, virtutis ergo post Albertum Austrium creatus, hominum est delicium ob amabiles mores, appellatus. Sed breui vita decedens, magnum sui reliquit desiderium Compluti 22. Februari; an. CIↃ. IↃ. XCIX. annos natus 65. Mœrore dum ex aula tristis reuertit, vt creditur, exstinctus: adeo nihil rebus in humanis proprium existit.

PETRVS FONTIDONIVS.

SEgobiensis & iste, at Canonicus Salmanticæ ex Rhetore Complutensi, & Theologiæ doctor renuntiatus, diserte quoque & supra fidem venuste Tridentina in Synodo disseruit, tribus orationibus, totidemque Romæ, festis sollemnibus coram Pontificibus. *Apologiam* item *Cæcilii eiusdem* conscripsit aduersus Io. Fabricium Montanum, qua Germanicam nationem ad pristinæ fidei maiorum constantiam reuocare tentauit: exstantque Plantinis omnia typis illustrata, & Coloniæ in Vbiis. In sacris studiis operam adolescens dederat Cypriano Cistercienſi Monacho perdiserto, Complutensi interpreti, vt ipse præfatur in huius enarrationem Psalmi 38. *Dixi, custodiam vias meas.*

FRANCISCVS SALINAS BVRGENSIS.

OCtauo ætatis anno cæcus factus, ita se Harmoniæ & Musicæ dedidit, vt parem sua ætate in Theoretica & practica Musica non habuerit. Organis pulsandis excelluit, compensante natura quod oculis ademtum. Scripsit libros 7. *de Harmonia & rythmis* doctissimos, ex optimis quibusque auctoribus Græcis, Ptolomæo, Porphyrio, Aristide, Quinctiliano, & Briennio; (quos apud eum vidimus) è Latinis Capella, Boethio, & Glareano collectos. Vir erat præter linguæ Græcæ & Latinæ cognitionem Mathematicorum peritissimus

tissimus in Italia xx. annos versatus, ob singularem in arte peritiam Cardinalib. gratus, & Abbas S. Pancratii de Rocca Salegna in regno Neapolitano creatus est. Musicam Salmanticæ annos plurimos de superiore loco exposuit, vt ipse de se in præfatione operis sui testatur.

IOANNES SCRIBANIVS GRÆCÆ LINGVÆ *Professor.*

Tiresiæ quondam cæco pensauerat auctor
Naturæ damnum munere fatidico.
Luminis amissi iacturam cæcus Homerus
Pignore diuini sustinet ingenii.
Democritus visu cernens langueſcere mentis
Vires, tunc oculos eruit ipse sibi.
His ita dum doctæ mentis constaret acumen,
Corporis æquanimi damna tulere sui.
Vnus at hic magnus pro multis ecce SALINAS
Orbatus visu, præstat vtrumque simul.

LAVRENTIVS BALBVS.

LAurentius Balbus Vilensis in ipsa nascentis Academiæ Complutensis infantia, Demetrii Cretensis, (cuius est de capta Helene poemation) & Fredenandi Pintiani assiduus auditor fuit: quo Salmanticam euocato, vnâ cum Petro Motta Poeticam docuit, carmen pangere non infeliciter solitus, Græcarumque litterarum in paucis peritus. *Curtium* itaque *Rufum de rebus Alexandri Magni* ad Aldinum exemplar componere aggressus (an 1524.) post etiam *Valerii Flacci Balbi Argonautica*, cum Apollonio Rhodio committere, eo ipso tempore ausus, post Sabellicũ, ac Maseriũ, à quibus sæpenumero discedit, Annotationes dedit testes & eruditionis: &, qua valuit, memoriæ singularis (vt & in Belgio postea Ludouicus Carrio Brugensis, Hispano patre oriundus.) Iuuenis ille admodum in ætatis flore, an amoris telo exstinctus incertum, immatura sane morte præreptus: qui & ipse insolenti Italiæ opponi potuisset:

—— Et ni mors sæua fuisset,
Rumpereque immanes properassent fila sorores,
Aeterna foret hic fama super æthera notus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Philippi Sbarroiæ Cordub.

LAVRENTI celebrem cui famam secula seruant,
Nesciet & nomen tollere tempus edax.
Per mare inexpertum per monstra incognita puppim
Ducis, & incertis das noua vela Notis.
Humanæ non mentis opus præfecit, opinor,
Sed te tanto operi conscia cura Dei.

HERRERÆ PATER ET FILII TRES.

FERNANDVS ALFONSVS HERRERA Talabricēsis homo extemporali facundia, & audaci natura, non dubitauit falcem in alienam messem iniicere, censorem omnium agere, & Aristarchum ausus & Aristotelem reprehendere Dialogis 8. ad Franc. Ximenium; orationem nō esse quantitatē docere conatus. Edidit Compluti *Scholia* ex Fabio ad Rhetorica Trapezuntii ex Hermogenis Tarsensis methodo an. 1511. Compluti cum eiusdem Trapezuntii vita in fol. Obiit septuagenario maior, filios reliquit tres, quorum maximus natu LVPVS ALFONSVS Compluti eloquentiæ per sexennium nascente Academia professor: nam deinde fastidio quodam, stipendia sibi augeri cum æqualibus postulans, Ferdinando Pintiano, Alphonso Cordubensi, Ægidio Gonsalo maioribus præmiis à Salmanticensibus inuitatus eo concessere: post in lepram incidit. Simultas illi cum Bartholomeo Castio vno de primis collegis D. Ildephonsi, quod acriter illum reprehendisset, qui etiam in Aristotelem inuehi non dubitaret, censura sibi grammatico more assumpta, vir reconditæ eruditionis, qui licet permultos annos apud Italos, vt alibi de se ait, diuersatus esset, vt in vnius Ciceronis verba iuraret, eiusque vestigiis insisteret, à se impetrare non potuit, sed potius Germanorum exemplo per omne scriptorū genus volitare instar apis delibando maluit. Legi *Orationem* eius habitam Compluti an M.D.XXX. Ipsis Lucalibus cum intermissa studia ob immensum æstum in Hispania redire solent, cum vix nonum & vicesimum annum attigisset, qua, quantum id ætatis in enciclopædia profecisset, & se supra vulgus sapere satis monstrauit, Sacerdos factus vitā D. Fausti & D. Claræ metro Hispanico conscripsit. De hoc Aluarus Gometius in vita Franc. Ximenii Card lr. 36. 1. extr. & lib. 2. & lib. 4. sæpius. Alter filiorum in Musica excelluit & Organis pulsandis in D. Hildephonsi templo à Ximenio præ-

præfectus. Tertius Gabriel Alfonsus Herreta ad Geoponiam natus in rei rusticæ, naturæ ductu, diu multumq; versatus eiusdem Card. iussu sua lingua *de Agricultura reque hortensi* in gentis gratiā accuratissime scripsit, quæ partim vsu, partim ex antiquis didicerat, vt Varrone, Catone, Columella, Plinio, Palladio, Petro Crescentio magno applausu hi libri excepti & editi Toleti 1520. & Methymnæ 1569 lectique assidue ingenti fructu agrestium Hispanicorum, alioqui natura ignauorum & nullius, vt aliæ gentes, industriæ.

IOAN. MARTINVS SILICEVS
Toletanus Archiepisc. & Card.

HVic à Carolo quincto Cæsare Augusto, Philippi filii erudiendi cura est demandata; vt olim à Philippo Macedonum Rege, Alexander Aristoteli in disciplinam est traditus: eidemque adeo Carolo, à Maximiliano Austrio auo præceptor datus est Adrianus, sedis postea Romanæ virtutis ergo Pontifex creatus. Habitus autem Silicus est æui sui Philosophus præstantissimus, & Lutetiæ artes tractans liberales *Arithmeticam* euulgarat. Post Salmanticæ S. Bartholomæi Collega Moralē est Philosophiam publice professus. Theologiæ quoque senex operam dare non erubuit, adscito Ant. Honcala magistro, qui & ipse suos in Genesin Commentarios eius auspiciis Compluti euulgauit: scripsitque *Siliceus* sed populari sermone *De nomine* IESV, & de Oratione Dominica, cauitq; decreto, ne quis è stirpe gētis Hebręę, opimis Ecclesię Toletanæ sacerdotiis potiretur. Quamobrem & inuidiā, sed constanti animo, sustinuit, ludęorumq; apologiam Lutetiæ editam, calumniamque elusit. Symbolum adhibuit Silici ignem vomenti: *Ignarum mihi omnia.* Deus enim flamma consumens est. vnde venuste in eius laudes de multis hæc Franc. Franchinus Cosentinus Poeta lusit:

Quam bene templa super SILICE *hoc fundata nitebunt,*
Quamque diu inuitis durabunt viribus æui:
Quilibet è Silice hoc flammas excudet & ignem
Eliciet, male grata hyemis quo frigora pellat;
E Silice hoc etiam gelidarum flumina aquarum
Prosilient, orbem largo quæ fonte rigabunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cardinalis creatus à Paulo IIII. tt. SS. Nerei & Achillei anno, Christi 1545. 13, Kal. Ianuarii. Obiit verò octogenarius anno salutis 1557. prid. Kal. Iunii, & in monasterio Virginum à se ædificato, (quibus orbis nobilium parētum puellis maritandis bona omnia ex testamento reliquerat.) Incisum marmore, iuxta sacrarium, quod vocant, vbi plurimæ sanctorum reliquiæ asseruantur, hoc elogium, inter alia eiusdem Ecclesiæ Archiepiscoporum monimenta, legitur.

IOANNES SILICEVS CARD.
PHILLIPPI II. MAGISTER
PATER PAVPERVM,
ET IN TOLETANA ECCLESIA
SANCTARVM LEGVM RESTAVRATOR.
OBIIT XXXI. MAII CIↃ. IↃ. LVII.

IOAN. MERVLVS TOLETANVS.

C Lauditur hoc niueo Silicei *in marmore corpus,*
Flet populus, Charites, Pieridumque cohors.
Cæsaris Augusti nato præcepta Philippo
Sancta dedit, doctos doctior ante viros.

MARTINVS MARTINII CANTAPE-
trensis.

HEbrææ linguæ professor, doctorque Theologus Salmanticæ, scripsit *Grammaticam Hebræam & Chaldæam* typis Matthię Gastii. Doctissimum item volumē *Hypotyposeon de locis Sacræ Scripturæ* ad imitationem Clementis Rom. sed censoriam notionem non effugit. quod opus postea Salmanticæ, mendis vacuum, limatius politiusque commodo publico foras datum.

IOANNES MICHAEL BARTHOLOMÆVS
Medinæ.

MEdinæ tria amplius in Hispania oppida sunt: in Celtiberis *Cæli* cognomento: in castella veteri *Campi*: in Bætica *Sidoniæ*, alibi *Sicci fluminis* indigitatur. Tres quoque illustres Medinæ cognomento scriptores fuisse comperi: Ioannem quidem Theologum Complutensem

plutensem, Michaelē vero familiæ Diui Francisci, Bartholomæum autem S. Dominici Sodalem professorem Salmanticæ vidimus.

Ioannes Medina de tribus Medinis ætate prior: floruit enim initio Complutensis Academię docendo, quam scribendo disertior, vt varie natura dotes partitur. scripsit tamen opus vtilissimum, de *Pœnitentia, Restitutione & Contractibus* post Complutensem editionem, Ingolstadii Catholica Bauariæ Germaniæ Academia editum, studio Alberti Hungeri, de quo passim apud vtriusq; censuræ doctores exstant iudicia & præconia. *Doctorem egregium* vocat laudatiss. Theologus Dominicus Soto. lib. 4. de iustitia & iure. *Clarissimum Doctorem & magistrum suum* Ant. de Corduba lib. de *Detractione & Restitutione famæ:* Item de *ratione tegendi ac detegendi secretum. Virum Doctissimum* Alfonsus à Castro lib. 2. de potestate legis pœnalis, cap. 8. *Magni nominis Theologum, & in Complutensi Gymnasio de professione Theologica præclare meritum*, Didacus Couarruuias Senatus Regii præses, in epitoma super quart. Decretal. 2. part. cap. 8. *Doctissimum perspicacisque ingenii virum*, Martinus ac Aspilqueta Nauarrus Manualis, cap. 1. nu. 10. Aluarus Gometius lib. 8. de vita Franc. Ximenii Card. mirifice hunc prædicat, elogio Ioan. Petreius Poeta & Rhetor Complutensis celebrauit.

Quantum Siderea domo
Phœbus luminibus prænitet omnibus
Puro solus in æthere:
Quantumq; est reliquas diuitias supra
Auri indeficiens nitor;
Cœlestis superat sic Sapientia.
Artes quas hominum labor
Inuenit superum non sine munere.
Illa te, pater optime,
Medina, æthereum vertice tramitem
Contingens, humiles procul
Terras præceleri destituis fuga,
Et lato inuolitas polo.
Rimaris superum iam penetralia,
Cœli admissus ad intima
Patrisque ingeniti, prolis & vnica,
Æquæuum celebras decus.
Spirantemq; ab vtroq; adseris halitum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et numen tribus vnicum:
Seu priſcæ memoras labis originem.
Irrepſiſſe nepotibus,
Seu noſtri tunica corporis abditum.
Effectumque hominem Deum,
Purgaſſe innocuo ſanguine priſtini.
Contage malo ſeminum,
Illinſque redundaſſe cruoribus
Fontem multiplicis boni,
Quo noſtras maculas ſæpius abluat,
Et nos reſtituat ſibi,
Pertæſi veterum dum ſcelerum modo,
Tentemus reſipiſcere,
Seu mores hominum legibus inſtruis,
Virtutumque viam doces:
Seu priſcis adeo vatibus edita
Sacra oracula proferas.
Vel quæ deueniens vexit ab æthere,
In terras ſapientia,
Hæc tu nos auidis auribus inſeris,
Dumtaxat ceteri ſono:
Aeternum ſed adhuc tradere poſteris
Maiori merito ſtudes.

Obiit Compluti ingenti luctu anno ſalutis M. D. XLVI. cum nondum duodeſexageſimum attigiſſet, conditus in æde B. Ildefonſo ſacra.

MICHAEL MEDINA.

MICHAEL in Franciſcana familia ſic enituit, vt ob ſingularem cum doctrina coniunctam pietatem ſuos inter, dignitate claruerit. Scripſit pereruditos ſane, vt Theologus libros *de recta in Deum fide*, quo titulo & B. Cyrilli Alexandrini præſulis liber exſtat: & *de ſacerdotum continentia*: quibus haud ſcio quid addi poſſit, aut diligentia, aut induſtria. Quod Ioannem Ferum ordinis ſui diſertum illum quidem in Getmania Eccleſiaſten, ſed non ſatis circumſpecte ſcribentem, acrius edito non ſolum defendiſſet in ius arceſſitus, coram violatæ religionis iudicibus, cauſam dicere iuſſus inno-

innocens abſoluitur, moriturque apud ſuos Toleti Carpetanorum, magno ſui relicto deſiderio.

BARTHOLOMÆVS MEDINA.

BArtholomæus S. Dominici Sodalis inter ſuos & ipſe in Theologicis excelluit, tenuitque primariam Salmanticæ cathedram poſt Mancium, Canum, Soto, primumque in Theologicis Academiæ auctorem Franc. Victoriam, magni & ornamenti & emolumẽti mille enim aureorum ſalarium eſt, contenduntque de præſtantia Dominicani & Auguſtiniani, prenſantibus vtrinque & auditorum ſuffragia eblandiẽtibus. Scripſit Confitentibus *Conſcientiæ ſummam*, vt vocant, at Hiſpane, & in primam D. Thomæ partem. Obiit non admodum ſenex anno poſt Chriſt. natum CIↃ. IↃ. & LXXX. cui Dominicus Bannes competente Gueuarra Auguſtiniano ſucceſſit; graſſante ea tempeſtate in Hiſpania infelici aura rheumate, quo multi languentes tuſſiendo exſtincti: qui morbus Catarrus tum dictus.

CYPRIANVS CISTERCIENSIS MONACHVS.

VArio hic auditorũ iudicio ſacras litteras Compluti interpretabatur, tanto vir ingenio, excellentiq; doctrinę facundia, omnes in ſui admirationem vt raperet, vtpote cui neque ab eloquentia, neque à vera atq; ſolida doctrina quidquam deeſſet. Quotidianas enim Scripturæ diuinæ ſcholas ſupra modũ augere ſolitus, ſiquidem ad Græcas & Latinas litteras, quas raro feliciq; fretus ingenio perbreui tempore perdidicerat, Hebraicas, itemq; Chaldaicas præclare adiunxerat. Huius quoq; vita, mores, religio, vultus deniq; ipſe, vocis præterea, ac ſermonis cum grauitate lepor, non modo ingeniis huius viri commendationem non euertebant, ſed incredibili fere totius Academiæ concurſu ſtudioſos omnes Herculis inſtar Gallici apta ex ore cathena trahebant. Feruntur eius, ſtudioſorum manibus diſerti *in Pſalmum* 38. & 130. *Commentarii*, pro concione Latine ſatis explicati, Compluti & Louanii etiam editi. Scripſit & *in Nahum Prophetam*. Item *Matthæum: Canticum Salomonis: de Opificio mundi* libros tres, *de Symbolis Moſaicis* opus diuinum: ſed nondum typis edita à ſtudioſis auide exſpectantur. in medio enim vitæ curſu

magno relicto sui desiderio optimo cuique præreptus est: sed nihil magnum ad summum pertingere inuita patitur parca. Laudat hunc iureque prædicat Alfonsus Natamorus, de asserenda Hispanorum eruditione.

IOAN. ROIAS SARMIENTVS.

FRater Marchionis fuit Possensis, studiis liberalibus ita iuuenis incubuit, vt iam episcopatui destinaretur. Regem enim Catholicum in Belgium secutus Louanii aliquandiu substitit; Mathematicis vero Gemmæ Frisio operam dedit: scripsitque *planisphærium*, seu de Astrolabii vsu stylo eleganti Parisiis. Post arma tractare cœpit aulicorum more: Valentiæ vxorem duxisse putatur. Quidam in Thraciam profectum periisse commemorant. Instructissimam libris Bibliothecam reliquit præsertim M. S.

Alter quoque Ioannes Roias Agrigentinus Episcopus è fidei Quæsitore, edidit Singularia Iuris in fidei fauorem, hæresisque detestationem, aliaque.

ALEXIVS VANEGAS TOLETANVS.

ALexius infinitæ propeac stupendæ lectionis vir, subtilitate ingenii, & disciplinarum varietate, & morum honestate, & elegantia postponendus nemini. Hic Theologicis iuuenis studiis deditus, processus fecerat non pœnitendos. Mutata mox velificatione ad rem vxoriam animum post conuertens, non sacris est initiatus, sed vxore domum ducta, ludum Toleti aperuit, exercuitque pubem illam acutam in primis ac subtilem. Scripsit Latine de *Orthographia*, ac Scholia in Aluari Gometii nobilis viri *De vellere aureo poemation*. Item *in Samaritan*, qui in latrones incidit, drama Ioannis Papei Belgæ. Patrio vero sermone diserte conscripsit: *De humanæ vitæ nouissimis*: itemque *de librorum omnis generis varietate*, vt scriptorum helluonem facile agnoscas.

PETRVS

PETRVS XIMENIVS CAENSIS EPIscopus.

HIc Salmanticæ primum sacris studiis sic inuigilauit, vt omnium suffragiis Theologiæ professionem fuerit assecutus, eamque multis annis professus sit. Postea vero suis meritis Toleti Decanus electus, Pacensis deinde Episcopus est designatus. Tandem à Ferdinando & Isabella Hispaniæ Regibus Caunensi est Episcopatu donatus: vbi ætate iam ingraueſcente totum se libris euoluendis componendisque dedit. Opera namque & volumina Abulensis Episcopi quæ latius, & in immensum fere diffusa erant, concinnauit, & in duo volumina redegit. Edidit præterea Opus, *Confutatorum errorum contra claues Ecclesiæ nuper editorum* appellatum, dedicauitque Alfonso Carillo Archiepiscopo Toletano. Scripsit & aliud sed Hispane quod *Christianæ vitæ Luciferum* vocant. Circumferuntur & alia nonnulla eiusdem, quæ ad Christianam religionem fidemque plurimum pertinent. Hæc ex L. Marineo Siculo lib. 11. de illustribus Hispaniæ Scriptoribus.

IOAN. PETREIVS.

IOAN. PETREIVS. Toleti in Carpetanis vrbe regia natus apud Complutenses, eloquentiæ doctor, iuuenis, magna & ingenii alacritate, & dicendi à natura venustate, vt iam Hispania, quod insolenti Italiæ opponeret, si matureſceret, habituram se ominaretur: adeoque vt Andreas Nauagerius homo scriptis & carmine disertus, Venetorum apud Cæsarem Carolum V. Orator in Hispaniam contendens, dicendi illius gloria commotus, eum audire optarit. Quo audito, Italis palmam aliquando præreptum ingenue confessus est. Quod de M. Tullio Apollonium Molonem Rhodi prædicasse accepimus, fore qui Græciam, qua maxime ceteris gentibus antecelleret, eloquentiæ laude spoliaret. Nec minus si carmen Petreius pangeret, natum, non factum poetam diceres. Testatur id *Magdalena* heroicum, & grandiloquum poema, & *Epigrammata* eleganti tersoque stylo scripta, de laudibus clarorum Complutensium: & *Comœdiæ quattuor* ex Italicis Latine factæ, sed numeris non astrictæ, editæ in lucem ab

Antonio fratre, vt postumus partus fuerit, quod immatura morte præreptus sit. Vix enim quinctum & triceſimum annum attigit. Scripſit & *Rhetoricæ progymnaſmata*, & *in Senecæ Declamationes* à paucis intellectas ſcholia. Ludouicus Catena homo doctus, & Academiæ Cancellarius, dum efferturtumulum ſic eſt proſecutus:

Effertur iuuenis ſupra qui ſe extulit omnes:
Ingenio iuuenis, eloquioque ſenex.
Cur rapis ante diem mors immatura PETREIVM?
Cur tantum in magnos impia iuris habes?
Naturæ inſidias moliri inimica videris,
Tendere & armatas in ſua dona manus.
Quicquid enim toto præclarum naſcitur orbe
Protinus hinc fato tollis acerba graui.
Hinc pro ſublatis à te præſtantibus olim
Subſternis nobis: hinc & acerba rapis.
Viribus, heu, nimis vſa tuis, quem intercipis vnum,
Ereptum decuit legibus eſſe tuis.

Hunc & mirifico ob eloquentiam prædicat elogio Alfonſus Garſias Matamorus lib. de Academiis Hiſpaniæ, pro aſſerenda Hiſpanorum eruditione; quæ non deſcribo, indicaſſe contentus.

FRANC. SANCTIVS BROCENSIS.

VTriuſque Profeſſor linguæ Salmanticæ edidit *Commentaria* non inerudita in *Andreæ Alciati emblemata* Lugduni Rouillianis typis. Item *Grammaticã Græcam*, & *Paradoxa*: item *de auctoribus interpretandis*, ſiue de exercitatione apud Plantinum. Grammatica Latina eiuſdem cum Minerua Salmanticæ excuſa; in qua multa de Ellipſi. Item *De arte dicendi*; & in Horatium *de arte Poetica*. Organum Dialecticum & Rhetoricum. Eiuſdem *Sphæra mundi* è variis auctoribus. Commentarius item in IV. Angeli Politiani ſyluas: Ruſticum ſeu Georgica Virgilii & Heſiodi, in Manto, ad Virgilii Bucolica. In Ambram: in laudem Homeri. Deniq; in Nutricia de Poeticæ laudibus: in quod Poemation etiam Ioannes Alexander Braſſicanus doctiſſima, in Germania, ſcholia edidit.

GAR-

GARSIAS LASSVS.

GArsias Lassvs de la vega Toleri natus, nobili familia de Toral patre cognomine Commendatario, vt vocant Hiſpani, maiore Legionenſi; matre Sanctia de Guzman: in patria educatus, quæ inter Hiſpaniæ vrbes & antiquitate & excellentia (eſt enim Carpetanorum caput Toletum) facile princeps, ſedes olim regum Gothorum, hodieque linguæ præſtantia reliquas antecellens, hic igitur tanquam cum lacte nutricis, imbibit eloquentiam, quod & nobili loco natus eſſet, & fortunæ etiam bonis abundaret. Ad Muſicam igitur animum appulit, quæ Poeticæ altera ex parte reſpondet: ad quam ſe natum eſſe videbat. Iam tum igitur Odas ad lyram meditari & fidibus canere cœpit, Latinos etiam poetas quos imitaretur non leuiter attingere: Italos etiam nunquam de manibus deponere, Dantem Arioſtum, & eorum principem, qui Ethruſca lingua cecinerunt: Fran. Petractani Sanazarii Arcadiam ex qua non pauca, vt poema ſuum tranſtulit. Viderat enim acuti iudicii iuuenis errare vulgus Hiſpanicorum poetarum, qui ſola naturæ bonitate contenti, nullum arti, vt laboris impatientes operam impenderent: cum natura peccet non raro: ars vero dux certior ſit, naturam ſedulo imitata: hæc igitur illam confirmat atque coroborat, quæ exercitatio auget omnibuſque numeris abſoluit.

— *Alterius ſic*
Altera poſcit opem res, & coniurat amice.

Militaria ad hæc arma iuuenis tractare cœpit; equis admiſſis decurrere, ſaltu certare cum æqualibus: Tagum natando traycere, dimicare, aduerſarii latus petere, ipſe tecto latere diſcedere, ictus declinare didicerat. Palladem enim armatam in libris iam tum colere inceperat, & ex Xenophonte ab optimis magiſtris audierat trib. artib. apud Lacedæmonios iuuentutẽ inſtitui ſolere; Litteris, Muſica, atq; Paleſtra. Grandior itaq; iam Caroli Cęſaris aulã frequentare & in familiã ſe dedere, vt publicũ aliquod munus ei commendaret: hac enim via nomẽ parari & cum omni poſteritate adæquari poſſe exiſtimabat, ſi in oculis omnium bene de Repub. mereri domi militiæq; ſtuderet. His enim neruis Reſpub. conſtat, vt vel armati proſimus vel togati, hoc eſt conſilio vel robore: nec ſatis cõſtat vtri horum palma danda ſit. M. enim Tullius nunc linguam lauro præfert, nunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

contra belli imperatores ducesque, vt ciuitatis robore togatis anteponere videtur.

In aula sermonis lepore & elegantia nobiles detinebat reficiebatque vt ab ore illius pendere viderentur: virgines quoque versib. illius numerosis delectabantur, assidueque legebant: gratiosus igitur vtrisque, annos natus quattuor & viginti nobilem virginem duxit Helenam de Suniga, ex qua liberos tulit natu maximum cognominem sibi Garsiam, qui & ipse annos natus XXIV. florente ætate in Gallos strenue pugnans, dum *Vlpianam* apud Pedemontanos arcem defendit cæsus est, & Dominicum Guzmannum, qui se in familiam Diui Dominici sanctis, eruditisque viris abundantem tradidit, & Theologus insignis Salmanticæ inter principes Theologiæ professores doctores personam, summa acuminis laude sustinuit: grauiet iam aduersaria obiecta, cum ei Ludouicus Legionensis Diui Augustini institutum tenens, homo liberalibus artibus & poetica, linguarumque eruditarum, quæ Theologum mirifice exornant, cognitione politissimus, competitor esset. Antonius Augustinus etiam Laurentium filium habuisse ait poetam & ipsum. His nescio an legitimum; qui ob famosum carmen, Medauri (vulgo Oran) exulare iussus, in itinere periisse putatur. Filiam vero matri cognominem, quæ Antonio Portocarrero nupsit.

Cæsaris arma fidus comes semper secutus, vt in illa expeditione aduersus Solimannum Turcarum Imperatorem, qui ad Viennam re infecta turpi sibi fuga consulere coactus est. Ad Tunetum quoque militauit, vbi velitando duo vulnera accepit, in ore vnum, alterum secundum brachium dextrum. Hinc capta arce cum victricibus Cæsaris aquilis, in Italiam traiecit, & Neapoli miles præsidio relictus substitit. Cum equitib. & matronis morum suauitate & poeticæ venustate gratiosus exstitit: maxime vero Alonso Daualo Marchione Vastio.

Suscepta in Galliam expeditione, Anno M.D. XXXVI. factoque apud Allobroges exercitu, per prouinciam (Narbonensem) Massiliam vsque tetendit cum Cæsare Lassus, cui XV. cohortes peditum, vt duceret, mandauit. Cumque in Italiam reuerteretur, quarto à Fregnisso miliari in turrim quandam munitam quinquaginta Galli rustici confugerant, qui bellicis tormentis armati, quibus glandes plumbei iaciuntur, dedere turrim, seque recusarunt, vt refert Iouius lib. XXXV. Hist. & Arnoldus Ferronius libro VIII. & Guilelmus

mus Bellaius lib. VII. Cæsar itaque oppugnari eam ab Hispanis aliquot peditibus iussit, parte aliqua tormentis æneis deiecta, scalæ admotæ, inspectante itaque Carolo, LASSVS temerario ausu primus ascendit, renitentib. & qui aderant amicis, ne se dux ipse discrimini obiiceret. Lapis itaque in caput impactus lethali cum vulnere ad terram afflixit: indignatus Cæsar morte poetæ sui, agrestes illos Gallos laqueo puniri omnes iussit: LASSVS Nissam vsque æger lectica delatus est, vbi mox ætatis anno XXXVI. vno & vicesimo die postquam vulnus accepisset pie exspirauit. Christiano ritu per actis omnibus, quæ ad æternam salutem comparata sunt, depositum cadauer Nissæ ad Diui Dominici, post anno M D.XXXVIII. Toletum delatum est, ossaque in vrna ad Diui Petri martyris in maiorum sepulcro recondita cum filio quem in Vlpiana arce cecidisse diximus, visuntur. Militiæ siue copias duceret siue vt gregarius & otiosus miles ageret, libros assidue circumferebat, quib. otium tædiumque falleret, arrepto nunc calamo, nunc gladio vitam quam fortiter pugnando amisit, scriptis ad immortalitatem versibus propagauit; nec Hispanicis tantum quæ hodie omnium manibus teruntur, ac principis Poetarum nomen est consecutus, verum etiam Latinis non inuita Minerua decantatis. Nominis itaque celebritate Petro Bembo Card. summo tum & Oratori & in pangendis carminibus Latinis Etruscisq; magistro notus & laudatus epistola quadam & Iouius lib. 34. Elogiorum militarium numeris comparat Horatianis. Nos quoque piis Poetæ manibus versibus lusimus, ne qui in Poetica primas obtinent, indonatus à me abiret:

IACOBI GIRONIS.

LASSVS Apollinea redimitus tempora lauro,
LASSVS amor cuius semper mihi crescit in horas,
Et merito, quoniam incultos miseratus Iberos
Primus Ausoniis Musas deduxit ab oris,
Italicum resonans Hispana per oppida carmen,
Primus & Andinas nostris inflauit auenas,
Montibus, & casus elegis commisit acerbos,
Dircaumque melos cygnæo gutture fudit.

Sed tamen ò vestrum, Musæ, fata impia LASSVM.
Impia fata, Deæ, crudeli funere LASSVM
Ante annos, ante (heu) maturæ tempora vitæ
Abstulerunt, duri subeuntem prælia Martis
Saxa inter media, atque infestos desuper hostes.
Illum inter primos celsæ ad fastigia turris
Nitentem gradibus, clypeoque insigne tegentem
Pectus, & aduerso excipientem corpore tela,
Et lapidum iactus, reuoluti pondere Saxi,
Impauidum scalis gens rustica trusit ab altis.
Ille caput fœdo confractus uulnere, præceps
Corruit, ac multo maculauit sanguine arenam.
Haud mora; conclamant, comites sua signa secuti;
Concurruntque alta testantes voce dolorem,
Certatimq; solo attollunt miserabile corpus.
Ipse inter proceres solio tum Cæsar ab alto
Ingemuit casu tanti perculsus amici;
Sedibus & turrim conuulsam funditus imis
Eruere, & gentem iussit abolere nefandam,
Ductorem & vatem, quæ indigna morte peremit:
Huius ob interitum Alpes intepuisse niuales,
Intepuisse etiam fama est; qua vertice cælum
Quaque domos Stygias tangit radice; Pyrenen.
Tuque diu iuuenem flesti pater Apennine
Et vos cæruleæ, quas educat alta beati
Vnda Tagi, vestrum Nympha planxistis alumnum.
Sed iam diuinos Musæ referamus honores
Extincti vatis; laudes nomenque canamus.
Ad tumulum, manesque pios veneremur ouanti
Agmine & Assyrios manibus fundamus odores.
Salue insigne decus Martis, Phœbq; sacerdos,
Regia progenies Hispanæ gloria gentis:
Te genuit magni moles operosa Toleti;
Te procul à patria victricia signa sequentem
Cæsaris ac propriis mactantem viribus hostes.
Italiæ gentes, & torrida sole propinquo
Africa Danubiusq; pater; Rhenique fluenta
Videre, & positis pulsantem barbiton armis

Obstupue

Obstupuere, vacat tibi dum indulgere Camœnis.
Salue felici prognatum sidere lumen
Multiplici illustrans præsentia secula luce.
Tu vitæ fato, tu dono carmînis Orpheus
Diceris esse nouus, illum sparsere per agros,
Discerptum Matres Cyconum, te barbara turba
Ingenti saxo contriuit, mortis vtrumque
Par genus indignæ, vestrum sed fama superstes
Alterutrum merito manet æternumq; manebit.
At vos agrestes, infamia nomina, Galli,
Ruricolæ, campestre genus, crudelia Gallus
Pectora perpetuis traducet posteritas diris
Aetas, quæ vestris damnabit crimine nomen,
Nomen venturis multum exsecrabile seclis.
Ecce etenim, vobis inuitis Itala tellus
Quæ nostrum miro vatem dilexit amore,
Hispanæque vrbes, queis tanti gloria partus
Carminibus Lassum *patris super astra ferentes*
Certatim, æternam reddent in secula mundi.

AND. SCHOTTI.

LASSVS ait; *Quid me diuina oracula terrent?*
Delphica num Phœbi ambiguis cortina fefellit?
ARMA ARCEMQVE FVGE, O IVVENVM FLOS; CELTICA RVRA
EVITA, VIVES PENNA METVENTE RESOLVI.
Loxias hæc: animi ille incertus, & vsque pericli,
Arreptaq; manu cythara sic voce tetendit:
MVSÆ *noster amor, dulces ante omnia* MVSÆ,
Vestra sequar vates faciles, in vota venite,
Castra libens, propria hæc facite, vt sit adorea laudis:
Vinciat & viridi cum termite tempora laurus.
Tu quoq; Phœbe, faue, nouus vt tua templa Sacerdos
Ingrediar, non trita terens vestigia Iberis.
Suggere tela Puer quoque nec non mater Amorum;
Hæ mihi erunt artes, cordi hæc sit summa voluptas:
Hæc me penna super clarum ferat æthera: plectrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Forte ostentabat, fidibus cum pectine eburno.
Atq; assa cum voce canebat amabile carmen:
Quale solet Philomela, orbus vel compare turtur,
Carmine vel cygnus dum instantia funera deflet.
Eadem, MVSÆ; fidis sit credere chartis.
Dixerat: inuidit Nemesis, Mauortiaq; arma:
Et coniurati immaturo, heu, funere mergunt,
Exstinguunt Vatem primæuo in flore iuuentæ.
Pallas, at armisono quatiens sua tela galero
Aegide sublatum Stygiam per vecta paludem,
Intulit Elysiis: æterno carmina honore
Mactans, vt seri decantent voce nepotes.
Vos quoq; Pierides, Parnassi numina MVSÆ
Accestis, Horis, Char tumq; sequente caterva:
Floribus è vernis, hedera, lauroque corollam
Nectentes: posito haud noceat mala lingua Poetæ
Nempe iubete Deæ; inuidiæ nec fascinet error:
Fortius ergo pedem, vt bos, Lassus figere suescat.

DIDACVS SEV IAC. LOPEZ STVNICA, THEOLOGVS.

IN STVNICA iacturam non mediocrem fecerunt litteræ, virtutesque omnes. Mortuus est enim Neapoli ad annum opinor, tricesimum eius sæculi M. D. quam vrbem vt inuiserat, paulo ante profectus erat Roma, dehortantibus amicis, ne alieno & periculoso tempore cælum mutaret: moriensque amicis magnum sui desiderium reliquit: homo, vt reliquam eius insignem Græcæ Latinæque doctrinam taceam, sacrarum Ecclesiasticarumq; historiarum, quo studia potissimum æmulatus fuerat peritissimus: ingenii candidi, & supra quam credi potest, vrbani: quodque his multo maius erat, innocentissimæ vitæ, summa non morum tantum, sed etiam verborum honestatis: veri si quis vmquam amantissimus, & perquam egregius pietatis cultor: qui non maleuolentia, sed veritatis studio scripsisse se *in Erasmum* moriens non obscure declarauit. Nam cum non pauca collegisset, quæ ne quarta quidem editione Noui Testamenti ab illo conuersi probaret, mandauit heredibus, ne *Commentarium*, quod nondum postrema manu recognouerat, euulgarent, sed ad illum mitterent: vt illis suis laboribus admonitus posset

posset, si vellet, libros suos emendare: nihil tale haud dubie mandaturus, si ambitione ductus, non studio veritatis, eam prouinciam suscepisset. Hæc Ioan. Genesius Sepulueda ad Erasmum apologia.

Idem pene elogium legas epist. XVI. Genes. qui hoc Epigramma tumulo affigendum curauit.

FLETE *virum Charites, iacet hic virtutis alumnus,*
STVNICA *laus secli deliciumque sui.*
Vos quoque lugete heu, Musæ, quia vtrumque colebat
Ille chorum sancte, carus vtrique fuit.
Virtutumque gregi carus. Languere videntur
Doctrina, & Probitas, cumque Pudore Fides.

Scripsit & Animaduersiones in Iacobi Fabri Stapulensis Scholia ad Pauli epistolas, erroresque detexit. Ediderat antea Romæ anno eius æui primo & vigesimo ITINERARIVM rerum aspectatarum, dum Compluto, vbi Theologiæ doctor creatus erat, Romam proficisceretur. Multa hic profana sed sacra plurima in templis describit. Pretium itaque operæ facturum me existimaui si extremo hoc Tomo Itinerarii illum libellum à paucis admodum visum ac lectum ad necterem. lege, nec legisse pænitebit.

ANTONIVS HONCALA.

ANtonius Honcala Zanguensis Theologus & Ecclesiastes ætatis suæ egregius, vt Martinum Silicæum sacras litteras docuerit, cum qui Regis Philippi studiis præfectus post Archiepiscopus est Toletanus renunciatus. Honcala Abulæ Canonicus & concionator, scripsit *in Genesin Commentarium* insignem, & *opusculorum sacrorum 17.* volumen, quod Compluti typis euulgatum circumfertur, anno 1551. & Salmanticæ 1553. typis Portonarii. Continet autem sex & quinquaginta Tractatus Sacerdotibus perutiles.

Primum autem Opusculum de virtute Religionis.
2. *De Iustitia.*
3. *De stipendio Sacerdotum pro Sacrificii oblatione, deq; digna Celebratione.*

Universidad de Deusto Biblioteca

4. *De exequiis & suffragiis defunctorum.*
5. *De Matrimonio.*
6. *De Fide.*
7. *De Baptismo.*
8. *De Bona & mala concupiscentia.*
9. *De Conscientia.*
10. *De quibusdam S. Scripturæ locis.*
11. *De expositione peregrinarum dictionum, quæ in diuinis officiis decantantur.*
12. *De ratione vitandi sermonis ingrati apud populum.*
13. *De officio Pastoris, & ratione instituendi, pascendi, ac gubernandi gregis Dominici.*
14. *De ieiunandi ratione.*
15. *De fuco & colorum abusu, in fœminis.*
16. *De ratione consequendi peccatorum remissionem.*
17. *De Pœnitentia & dolendi ratione pro peccatis.*

Anno vero eius seculi 1546. aliud ibidem opus sic inscriptum edidit: *Pentaplo Christianæ pietatis* ad Philippum Hispaniarum Regem. Librum primũ inscribit *Antitheton de virtutum ac vitiorum gradibus*; Secundum vero *Stauricon* seu *de arcanis Dominicæ Crucis Sacramentis*. Tertium *Apophthias*, i.e. Interitus, seu de miraculis per crucis signum editis. Quarto titulum dedit *Epinicion*, expugnatæ Tuneti vrbis victoriam enarrans. Quinto vero *Eulogicon* inscripsit, qui est de spiritalibus dictionibus.

QVARTA

QVARTA CLASSIS CELTIBERORVM SEV ARAGONENSIVM TARRACONENSIVM, SEV CATALAUNORUM & BALEARIUM.

IOannes Verzoza.
Laurentius Palmyrenus, & Agesilaus F. Alcanizienses.
Petrus Ciruelus Darocensis.
Ioannes Ramirez Ballesterius.

Cosmas Damianus Hortolanus Perpinianus } Catalauni.
Ioan. Christoph. Caluetus Stella Barcinon. }

Michael Verinus }
Raimundus Lullus } Baleares.
Michael Thomasius }
Arnaldus Albertinus }

Universidad de Deusto
Biblioteca

IO. VERZOSA.

IOannes Verzosa honestis parentibus Bernarda, & Bona Ponze de Leon anno salutis millesimo quingentesimo vigesimotertio Cæsaraugustæ natus, magnum ingenium ad optimarum artium disciplinam attulit: nam quinctumdecimum annum agens, Lutetiam patris iussu profectus, triennio in nobilissimo gymnasio Græcas litteras adolescēs glorioſe docuit, auditoribus vel mille subsellia complentibus. Excitata post bello Perpinianensi, cum omnes Hispani edicto publico ea vrbe pellerentur, Belgas cogitauit, atque itet agressus, multos habuit suę nationis comites, & Louanii maiore etiam applausu quam Parisiis, in Græca lingua iuuentutem erudiuit. edito etiam erudito de *Prosodia Græcorum* libello. Cæsarianis rebus tranquillatis Ratisbonam, quo Carolus Cæsar redierat se cōtulit, inde Tridentum dum sanctæ Synodi conuentus haberetur: vbi Didaco Mendoze Cæsaris ad concilium oratori egregiam operam præstitit: quem postea Romam secutus ad Paulum III. à Cæsare legatum magno vsui fuit: præsertim in difficili contentione, de Concilio Bononiam translato. Cum interim Senas pro Cæsare Didacus administraret, in summa illius ciuitatis gratia fuit. Post Senenses tumultus Angliam petiit: in quam Insulam Philippus ad nuptias cum Regina Maria faciendas traiecerat; & incredibile est, vt exterus contra prouinciæ morem, omnium animos ad beneuolentiam breui tempore sibi conciliarit. Tum Gonzalus Perez, Regi à secretis, illiusque consiliorum particeps cognita singulari hominis industria, eo ad grauiora Philippi negotia mirifice vsus est: cum ad plurima præstantis animi bona etiam Latine, Græce, Hispanice, Italice, Gallice, Anglice, ac Belgice aptissime loqueretur. Mox ob coniugis obitum, Philippo in Hispaniā reuerso, Francisco de Vargas oratore ad Pontificē decreto, Romā est missus: quæ legatio cū Paulo IV. incidisset in tēpus interregni, oratorē de tota ratione status rerū vrbanarū, comitiorū tēpore vtiliter monuit. Demū Philippus eū bona mercede cōstituta, Romę morari iussit, vt scripturas ad iura suorū regnorū spectātes conquireret, & asseruaret: quo nomine multos annos in illo vrbis, quasi totius orbis Theatro ita versatus est, vt eius consuetudo cuiusuis ordinis hominibus esset amabilis, cum nulla amicitiæ, ac pietatis officia intermitteret, sed amicos diligenter coleret pau-

pauperes pro re sua liberaliter subleuaret. Tandem ætatis anno LI. vigesima quarta Februarii M. D. LXXIV. Romæ, bonorum omnium ingenti mœrore moritur. Sexdecim annos natus *de laudibus B. Petri Arbuesi* Magistri Epilæ carmine heroico librum edidit; *Historiam Philippi Regis* catholici præclare instituit, sed non absoluit. Lyricis aliquando lusit, & amores pudice cecinit, verum in scribendis epistolis felici Horatianæ laudis æmulatione doctorum hominum consensus: illi neminem anteponit, ex quibus præcepta in omnes vitæ partes colligi possunt, quæ ipse multo maximarū rerum vsu didicerat, Panormi exiit *epistolarum ille Libellus*: vt & Salmāticæ, & Compluti *Epinicion carmen*, in naualem victoriam Ioan. Austriaci, de victa ad Echinadas insulas Turcarum classe.

BERNARDINVS GOMESIVS MIEDES
Episc.

VAlentinus quidem Canonicus patria Alcamsensis, singulari vir modestia, bonarumq; litteratum studio, efflоruit: claruitq; diu multumque Romana in Curia, Archidiaconus tandem renunciatus Saguntinus, magnam inde sacrarum reliquiarum vim, religionis ergo, domum reportauit, seruauitq; à naufragio. Scripsit eleganter, vt erat Ciceronianæ amans dictionis, Commentarium *De Sale*, libris V. quem denuo auxit inscripsitque Philippo Hispaniarum Regi, varia eruditione refertum: in quo & de salibus, seu iocis, atque Adagiis, atque adeo Euangelico sale vtiliter disseritur, ad illud. *Vos estis Salterræ*: vt iam mirari desinam laudatam à Phauorino quartanam, ab aliis muscam: cum hic adeo disertus sit, & copiosus in sterili re, ac ieiuna. Nimirum ingenium, vbi intenderis, valet. Composuit etiam, nondum viso Iusti Lipsii libro, *De Constantia*, libros tres. Vitam denique Iacobi I. Aragonum Regis Hispane duntaxat ad eam diem loquentem, Latina donauit ciuitate: legiturq; cupide à Celtiberis, atque Hispanis omnibus; nunc etiam trans Pyrenæos typis Wechelianis propagata. Episcopus fuit Albaracensis apud Aragones, vixitque ac decessit pie; fratre quoque Valentiæ Canonico relicto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LAVRENTIVS PALMYRENVS ET AGESILAVS F. ALCANIZENSES

VINCENTIVS BLASIVS VALENTINUS.

TAnto desiderio flagrabat Eloquentiæ, & erudiendæ iuuentutis, vt modo Valentiam Edetanorum, modo Ergauicam, seu vt vocant Alcaniozium, patriam suam, modo Cæsarauguſtam anno 1557. adiecerit: quibus omnib. in locis quantos fructus tulerit, quos in animis hominum Rom. Eloquentiæ amores excitarit, testis Aragonia, testis Valentia, regna florētissima. Præceptore vsus est Michaele Stephano, qui post Fragæ docuit. Filium habuit Agesilaum nomine, qui & ipse Valentiæ, vbi parens, humaniores litteras annos plurimos docuerat iuuentutē erudiit, obiitq; hic anno CIↃ.IↃ.XCIII. antea vero Laurentius parens, multis relictis libellis ἡμεροβίοις, sua etiam lingua loquentibus.

De ratione studiorum nobilibus iuxta ac rusticis Consilium.

Lexicon de animalibus omnis generis, aquæ, terræ, & aeris.

Campus Eloquentiæ, continet Orationes, Præfationes, Declamationes, Epistolas, & Epigrammata.

Hypotyposes item collegit ex Liuio, Tacito, ac Paulo Iouio.

Rhetoricas item præceptiones reliquit, Corn. Valerii methodo potissimum vsus.

Multæ quidem lectionis, si quæ plurima deuorarat assidue legendo, eadem ruminando repetisset. In iuuentute instituenda, & ad virtutem informanda valde & industrius exstitit, & laborioſus: qua in palæstra vehementer laborauit, Herculeosque sustinuit labores. Diuitias quidem semper contempsit, voluptates [illegible]cuit.

Discipulum habuit de multis insignem *Vincentium [illegible]um Garsiam*: qui & ipse in Eloquentia succenturiatus *Elogia* [illegible] spei adolescentum conscripsit: orationes plurimas edidit: habuitque, & in orbis theatro Romæ, vt & in funebri pompa Alexandri Farnesii Parmæ principis, summi in Belgico bello Imperatoris, victoriis inclyti. Valentiæ vero pro funere *Blasius* Præceptorem Palonytenum & gemina oratione laudarat, qui eadem floruit tēpestate, Michaelem Ioannem Luuielam, Valentinum Theologum insignem in omni genere, & Philosophum egregium. Qui tres ipsos & triginta annos

annos diuinarum litterarum de superiore loco, & in templis pro concione interpres, eam Academiam illustrarat, nihil tamen euulgandum curauit.

PETRVS CIRVELVS DAROCHENSIS.

DAroca oppidum M. Aragoniæ miraculis Sanguinis in Eucharistia dominici clarum, ciuē extulit PETRVM CIRVELVM quasi *primum* dixeris Theologum ac Mathematicum illis temporibus insignem, cum primum nata Card. Ximenii (cui & perfamiliaris fuit) auspiciis, Complutensis Academia. Mathematicas disciplinas de superiore loco tunc professus est. Scripsitque varia, vt *in Sphæram Sacroboſci, & Euclidem*: vidimus & opus eius de *magica superstitione* partim in perfidos Iudæos, qui nuptiis Christianos inquinant, partim aduersus hæreticos eosdem Christianos, qui incantationibus vanisque artibus dediti dæmonis se potestati, heu miseri, committunt. Scripsit & *Liturgica* de ritib. ac ceremoniis sacrorū, sacerdotibus vtilia, Compluti *quæstiones decem Paradoxas* quarū prima in litteratura: de modis significādi dictionum. II. in Logica de transcendentibus & limitatis. III. IV. V. in Physica, de virtute actiua agentis naturalis: de potentia motuum corporis naturalis, & de rarefactione ac condensatione corporum. VI. In Metaphysicis: de arte Raymundi Lulli. VII. In Cosmographia: de loco paradisi terrestris à Deo conditi. VIII. in Theologia; de tertia lege S. Spiritus circum finem mundi. IX. & X. in S. Scriptura, de multiplicatione sensus litteralis: denique de Cabala & Magia Iudęorum. Salmanticæ typis editus liber in 4. anno 1538. *Apoteleſmata item Astrologiæ* Christianę vbi Ioannis Pici argumentis respondet. *Compendium* item IV. Mathematicarum artium. De hoc tale exstat Aluari Gometii Elogium lib. IV. vitæ Franc. Ximenii, qui est de Academiæ Complutensis origine. Octogenario maior, vigore tamen visebatur non vulgari. Eius hoc dictum Compluti ferebatur: *Nullum à se diem suauius peragi, quam cum populus tauroboliis: aliisque ludis publicis occupatus, ædes sibi libe-ras, ab interuentoribus faciebat*: solidus enim ille dies studiis dabatur. Nam quidquid temporis studiis non impertiatur, perire existimabat.

COSMAS DAMIANVS HORTOLANVS.

Hic natus est Porpiniani oppido Comitatus Rossellionis siue Ruscinnonis regionis Cataloniæ: educatus vero Gerūdæ quō parentes belli metu a finitimis Gallis commigrarant: liberaliter vero cum pietatis studio, tum primis linguæ Latinæ elementis institutus, cum magnam parentib. spem bona indole dedisset, fore vt & pius & eruditus euaderet, vitamq; probam litteris vehementer exornaret, ad vberiorem ingenii cultū Complutum, quæ tum Academia à Francisco Ximenio Card. instaurata, studiis bonarum litterarum & Theologiæ inclarescebat, ablegatus est: vbi linguam Latinam excoluit, Græcas etiam litteras imbibit: hinc ad artes liberales gradu facto tanto ceteris in Magisterii laurea præstitit, quanto instructior humanioribus disciplinis ad philosophandum accesserat. Nec his titulis (vt plerique ignaui & abiecti animi, cum vix à limine laudandarum artium cognitionem adepti sunt: iā se culmen eruditionis tenere existimant,) cōtentus aut turgens Lutetiam Parisiorum parentum bona venia cogitauit: hic se optimis doctoribus quibus ea semper vrbs nostra parentumque memoria abundauit, recoquendum tradidit; vt si quas in artium tractatione sordes, multaque dediscenda & superuacanea hausisset, eluceret atq; expoliret. Vt enim qui in Sole ambulant tingi & colorari, ita qui sordidos scriptores legunt, colorem inde ducere solent: & nisi tempori formato stylo resiliant & ad antiquorum optimorumque auctorum lectionem redeant, per omnem ætatem barbaries adhæresci: adeo verum est illud Appollonii Rhodii, lectio alimentum esse orationis, in naturamque vertit. Græce itaque ab integro philosophantes audiuit: hinc etiam Hebraicæ linguæ discendæ cupido incessit: quod eas eruditas linguas Theologiæ, ad quā animo iam se comparabat, necessarias esse à præstātibus iudicio viris audiuisset. Franciscum itaque Vatablum, qui & Aristotelis libros aliquot à se viua voce interpretatos conuertit, mox Hebraicam linguam publice docuit, assidue sectabatur. Mathematicas etiam disciplinas attigit: Medicinam etiam quod ea ex grauissimo paralyseos morbo opera Io. Syluii Medici regii doctorisque conualuisset. Non ignarus his se pediſſequis ad diuinam illam philosophiam instructiorem esse venturum, & ancillas ab amātibus, qui ad dominam affectant viam, sollicitari solere. In quo illud est cauendum, ne vt plerique in eam partem

rem peccemus, vt relicta domina, hic tanquam apud Sireneos scopulos consenescamus, & quemadmodum Penelopes proci, desperata domina, cum ancillis consuescamus. Rectus itaque Hortolanus qui se, paratus à litteris humanioribus philosophia linguarumque cognitione, mature ad Theologiam animum conuertit, in qua dici non potest quantos breui tempore cū discendo, & explicando, tum acute disputando processus fecerit, vt omnes fere æquales longo post se interuallo relinqueret, & inter Sorbonæ Theologos non postremus haberetur. Hinc relicta Lutetia Bononiam profectus ius etiam Pontificium didicit, susceptaque laurea, & Theologiæ Doctor & Iuris Canonici merito appellatus est, communique omnium consensu, princeps. Hic cum rogante quod tanti viri fama doctrinæ increbuisset Casp. Contareno Card. philosopho & ipso, & Mathematico insigni, qui tum Pont. Max. legatum ibi agebat, vt monacho cuidam (haud suo an ingenii ostentandi an quod ita sentiret) paradoxa quædam Christianæ fidei pleraque repugnantia publice defendenti acerrime se opposuit, & laterum firmitate, ingenii acumine, singularique disputandi felicitate respondens, singulaq; diluens & fastum retudit, & nomen sibi præstantis Theologi, in tanta bonorum ingeniorum celebritate atque frequentia vno congressu comparauit. Contarenus itaque admiratione stupens, gaudensque veritatem vicisse, falsum vero cessisse, Hortolanum in ipsis subselliis amplexus, domum suam deduxit, ad seq. proposito honorario stipendio inuitauit: quod ille tum hominis & humanissimi & doctissimi auctoritate fractus, tum vrbis Romæ videndæ desiderio incensus minime recusaturus videbatur, nisi commodum patris ex Hispania litteræ allatæ essent, quibus filium iam fama doctrinaq; magno cū gaudio florentem (ideoque videre affecta iam ætate, priusquam caput deponeret, è vitaque migraret, vehementer optabat) domum statim reuocabat. Hinc amplissimi viri beneficentia, ipsaq; adeo Romanæ vrbis maiestas famaque ad se visendum inuitabat: illinc patris, cui ex lege diuina naturaq; parere iubemur, iussum reuocabat. Anceps itaque animi & inter spem metumque dubius, quo se verteret, nesciebat. Vicit tamē quam Græci vocant φορὴ φυσικὴ, patris obitum, animi quadam bonitate, atque prudentia quasi præsagiens, in viam sese tandem Gerundam versus dedit, patriosque lares ingressus, quod animo præceperat verum esse deprehendit, veritus enim ne suum in patriam aduentum patris mors anteuerteret,

iter maturabat. Sed eũ paullo ante elatũ tristis audiuit, cui cõsolationi esse ex officio, animã agẽti homo Theologus & postremũ vale dicere, oculos deniq; moriẽti claudere, sũmis votis optabat. Iustis itaq; patri peractis, ne, quã ex tam lõginqua peregrinatione spẽ doctrinæ sustinebat, fefellisse videretur, amicorũ precib⁹ viẽt⁹ Barcinonẽ, quo à Senatu inuitabatur profectus, Aristotelis libros Academiæ auctoritate nõ ex vulgi sensu, interpretari publice in frequẽti auditorũ concursu cœpit: q; eruditionis specimen & illi honori, aliis vero emolumento fuit. Cõsules itaq; censuerũt artes, quas vocãt liberales, Hortolanus profiteri stipẽdio honorario proposito triennio à principio vellet; quib. Academię nouis fundamẽtis fideliter iactis superstruere ipse posset, & Theologiæ studiũ in immẽsum augere, quæ Academię recẽs cõstitu endæ auctore Cosma optima ratio, prudentib. viris visa est, vt quẽadmodũ peregrinis mercib. dũ importãtur ditari Respub. ærariũq; augeri opib. solet, sic & externis Gallorũ politiorib. disciplinis, domesticã barbariẽ è scholis expelli, & antiqtas reuocari posse putabatur. An. igitur M D XLIII. quo tẽpore scholę prẽfectus creatus est, per annos XVII. optimis legib. Academiã rexit, & litteras quas humanitatis appellãt, artesq; liberales, partim ipse docuit p annos VII. partim ab optimis doctorib. prælegi curauit. Post an. M. D. LX. cũ senatus ordinesq; regni grauiores disciplinas Barcinone doceri vellent, q; tũ pter Ilerdã nulla in Cathalonia Academia studiis floreret, rogatus cõsultusq;, Hortolanus leges iterũ dictauit, q ib. studia mirifice aucta Barcinonensiũ; vt ex eo ludo tanquã ex equo Troiano viri eruditi prodierint, mox Metaphysicorũ libros Aristotelis, à paucis intellectos summo acumine interpretatus est: hinc D. Thomæ conclusiones, deniq; sacræ scripturæ libros assidue est interpretatus adhibitis fontib. Hebraicarũ litterarũ, & Septuaginta interpretũ Græco exẽplari. Cuius quidẽ laboris specimen est *Paraphrasis* & *Cõmentarius* quinq; librorũ *in Cantica canticorũ*, quę publice docuit. his præmittitur Hagoge totius Scripturæ ordinẽ vna ac rationẽ cõplectens, Hebræorũ SS. q. Patrũ omnia tincta disciplinis, quib. nihil in eo genere scriptũ vidi accuratius: cũ à veterib. Græcis, Origene, Nysseno, Olympiodoro discesseris: q; nihil non ex diuinatũ litterarũ mirotheio hauserit, & cũ Diui Ioãnis Apocalypsi diligẽter cõpararit. Dom⁹ illius ob senilẽ prudentiã singularemq; doctrinã oraculũ erat ciuitatis: Senatui populoq; gratiosus, q; de omni dubia & in fide controuersa acute responderet: Patres etiã qui in vitam moresq; inquirunt eorum

eorum, qui à religione maiorũ temere desciscunt, consiliis suis adhibuerũt. Iacob. & Gulielmus Cassadores Barcinonensiũ ordine episcopi, sano illius consilio in rebus arduis administrãdaq; Ecclesia vsi sint. Tũ forte Pius quartus Conciliũ indixit Tridentum, quo flos doctorum hominũ, qui sacrarum litterarũ lectioni vitam consecrassent ex omnib. Europæ partib. quæ Romanæ Ecclesiæ parẽt, conuenerunt. Philippus itaq; rex Catholicus ex Cathalonię regno Hortolanũ iussit ad eã se profectionem cõparare. Ille vero ingraueſcentis ætatis, quæ vacationem postularet, excusatione vsus, nihil profecit. cumq; Ecclesiæ labescentis causa susceptа videretur, impiũ videbatur omnino detrectare. Regiis itaq; sumptib. in viam se dedit, primo quidẽ valetudinis incõmodo, animo tamen sese sustentãs Tridentum venit, vbi summa in dicẽda sentẽtia, fideiq; capitib. definiendis & doctrina eluxit, atq; constantia. Rex igitur bene merentẽ B. Mariæ villæ Bertrandi Abbatẽ esse iussit, vt opimo hoc sacerdotio domum reuersus in senio conquiesceret. Card. quoq; Borromæus vir innocentissimus diplomata, gratis, eruditionis ergo pietatisq; concessit. In quo quidẽ sacerdotio ita continẽter vixit, vt nec opib. ad luxum abuteretur, nec, vt ante eũ alii, absens reditus, pauperũ elemosinis destinatos, absumeret: sed monachis modestiæ, continẽtiæ, & pietatis exemplũ exstiterit. quare effecit vt ad *D.* Augustini regulam nullo negotio reuocarit. Nec diu post tot exhaustos labores, studiorum superstes, animam Deo reddidit, anno M. D. LXVI ætatis.

Hortus erat Sophia, diuinæ Palladis arte
Consitus & vernans floribus omnigenis:
Intulit ad vepres, spinas, & dira veneno,
Barbariegę suam tempus amaricies.
Indoluit miseratus, opem medicam HORTOLANVS
Cosmus, & ornatum reddidit Hesperiæ:
Doctus Apollineos cantus, & Paeonis artem,
Cuique duo medici nomina contulerunt:
Infelix Lolium & steriles depellit auenas,
Mox aconita solo vellit, & interimit:
Purgantur flauet assidue ne sentibus hortus,
Floxica & omne solo triste venęficium.
Cui studia hæc merito debet Gothalania tellus:
Mittit & inferias Barcino diues opum.
Dum Solomonis opus fidibus cum pectine amoris
Barbitos in Latio concinit æthereos,
Cantica quæ ingeminans ventura exaudiet ætas:
Salue ergo atque Vale molliter ossa cubent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNES CHRISTOPHORVS CALUETUS STELLA.

EQues Barrinonensis poeta & Historicus, secutus est Philippum Caroli V. filium in Belgium, cuius etiam viæ itinerarium Hispane conscripsit, regique obtulit, felicis omine inaugurationis: vnde pleraq; hausit Ludouicus Guicciardinus in Belgicæ descriptione. Edidit & *Aphrodisium expugnatum*, quod vulgo *Africam* vocant Catholici Regis classe, latine ac diserte: quē commentarium Scholiis Bartholom. Barrientos Grammaticus Salmāticæ explicandum duxit. Vidimus & apud illum *Panegyrica varia*, haud scio an typis euulgata. Huius etiam Barrienti testimonium apponere non grauabor.

Quintilianum de Cæsare Iulio suis monumentis tradidisse memini, humanarum literarum cupidi, si foro tantum vacasset, alium qui contra Ciceronem nominaretur, non fuisse. Idem vere de præstantismo omnibusque bonis literis ornatissimo Ioanne Caluetio Stella predicare posse, nemo qui eum agnoscat, inficiabitur. Nonalium inuentum, qui ita ad viuum Cęsaris stylum referat, ad vnguem exprimat, & effingat, manifesto fatebitur. Et ne mihi amicissimo fidei parum habeatur, quid de eo egregia ac Heroica mortalium ingenia sentiāt, paucis dabo. Fredericus Furius Cæriolanus Valentinus Institutionum Rhetoricarum lib. 1. hæc his verbis scripsit. *Inter quos Caluetus Stella, vir vt de eius eruditione nihil dicam, singulari prudentia, & arte quemadmodum in commentario de Aphrodisio, Commentariorum Cæsaris elegantiam in loquendo, ordinem in disponendo & narrando præ se gerit.* Cornelius etiam Scepperus vir clarissimus in præfatione commentariorum rerum à Carolo. V. in Aphrico bello gestarum hæc de *Stella Caluetо* memoriæ prodidit. *Proinde* (inquit) *an non magnopere commendandus Stella, qui talium virorum memoriam extinctam ri nolens, tam luculenter graphiceque totam eius expeditionem depinxit, vt res ipsæ non legi, sed geri videantur: tali autem candore sermonis, vt eo nihil purius, nihilve tersius haberi possit. Nec illud* Nicolai Grudii Distichon ad *Stellam* sub silentio prætereundum.

Solus Alexandrum depingere norat Apelles,
Dicere tu solus Cæsaris acta potes.

Vultis quantum omnibus nationibus hic liber placuerit, intelligere? Galli suum fecerunt, Itali vernacula lingua eum euoluunt: Didacus

Didacus Gratianus Secretarius Regius, Ioannis Vegæ, consilii regii præsidentis iussu in Hispanum sermonem transcripsit. Ioannes Oporinus Basileæ prælo suo simul cum Laonico autore Græco, & antiquo aliisque præstantissimis autoribus coniunctis, mandandum curauit. Vultis ipsius ingenii excellentiam atque præstantiam noscere? iam qui suas lucubrationes, vigilias, labores, illustrari volunt, atque ab inuidorum ac zoilorum morsibus tuta esse, sub huius nomenclatura eduntur: sub huius nuncupatione ac si Augustos Traianos, Mecœnates, nuncupassent, in lucem secure prodeunt. Antichius Rochanus Gerundensis Arithmeticæ suum opus ei dicauit. Ego maius encomium, ac testatum elogium, consequi non potui, quam *Synonimorum* librum ei offerre.

Ibidemque sui magno relicto desiderio, & Barcinonensis Academiæ viris litteratis luctu, conditus. Eius hoc carmen elegans, de morte piorum in Christo, quoniam à piis legi dignum est, hic apponere pretium operę duxi.

Quando ego crudeles poenas, tormenta, crucesque
Cogito, quis durus, me male torquet amor?
Ad mortem totis contendo viribus, illis
Tot finem sperans fata datura malis.
Postquam autem affulsit moriendi spes mihi nostra,
Immodica oppl ntur pectora Letitia.
Maxima me ad vitam retrahunt ea gaudia: sicque
Mors vitam, mortem sic mihi vita parit.
Sic viuo ac pereo: quam dura hæc sors? neque vitam
Mors mihi, nec mortem tollere vita potest.

MICHAEL VERINVS.

PAtriam habuit Minoricam, hoc est, Balearium minorem insulam, Hispaniæ Tarraconensi obiectam: patrem vero Vgolinum Verinum liberalibus, vt illa tempora ferebant, artibus imbutū. Romam à patre, qui eo libenter negotiorum caussa cōmeabat, missus, Paullo Saxiæ Roncilioni Grāmatico, & Rhetori in disciplinam traditus est, à quo & poeticā, ad quā natura duce ferebatur didicit. Ingenio summo, & quos imitabatur, Catullos, Propertios, & Martiales, vixisset modo, æquasset. Natura verecūdus & castus, vt nihil obsce-

num in animum admitteret, & poesin à profanis hominibus extortam, Christo cõsecraret. Græcorũ igitur Latinorumq; Philosophorum, præcipue vero *Salomonis* sapiẽtissimi *sententias* numeris adstrinxit, & præceptori gratitudinis ergo dedicauit: quæ & argumẽti elegantia & styli perspicuitate quibusdam in locis prælegũtur: nam & disticha illa quæ Dionysio Catoni, ab aliis Ausonio attribuũtur, æquarunt: quin & Martinus Iuarra Cantaber Cõmentario non ineruditio explicauit, Lugduni edito apud Frellonios. Vix iam ex ephebis excesserat, iudicii maturitate continenter sibi viuendũ statuit. vtq; melius philosopharetur à mulierum consortio perpetuo abstinuit. Hinc spermatis diu retenta copia, ac tentigine putrefacta, (quem morbum πριάπισμον vocat Galenus lib. VI. de interiorib. cap. V. & IV. de signis passionum fœtuũ) medicis Venerem suadentibus, emori quam animo contaminari maluit, annum agens duodeuicesimum. raro exemplo continentiæ in his gentibus occidentalibus, in venerem procliuioribus: & præsertim si ætatẽ spectes, in qua iudicii imbecillitas, & impetus naturæ, vbi quis ad pubertatis annos peruenit, dominantur. Volaterranus æui sui similia duo exempla commemorat in Isacio Comneno Imp. C. P. et Iacobo Lusitaniæ Card. de pudicitia differens. Angelus Politianus *Verini* mortem immaturam, hoc carmine deplorat.

VERINVS MICHAEL *florentibus occidit annis:*
Moribus ambigauum mator an ingenio.
Disticha composuit docto miranda parenti
Quæ claudunt gyro grandia sensa breui.
Sola venus poterat lento succurrere morbo
Ne se pollueret, maluit ipse mori.
Hic iacet, heu patriæ dolor & decus, vnde iuuentus
Exemplum, vates materiam capiant.

Antonii Geraldini.

Regia Pyramidum cedant monumenta, Viator,
Huic lapidi, quamquam marmora nulla vides.
VERINVS MICHAEL *decus immortale pudoris*
Clauditur hoc saxo: siste parumper iter.
Quod laudet ingenii fidus? quæ gloria Phœbi?
Delicias vrbis quam breuis vrna capit?

Disticha

Disticha composuit grauibus distincta figuris,
Quæ possis sacris æquiparare libris.
Est breuis, argutus, facilis, sine felle pudicus,
Littera plus nerui quam sua carnis habet.

Martini Iuarræ Cantabri.

Ille ego VERINVS *Phœbi noua fama* MICHAEL
Quem Verona velis, quem puto Thera tuum.
Ter senos Lachesi rapior puer altus in annos,
Dum ventris fugio, quam male ferret, opem.
Sic pedibus magnum Christi pulsamus Olympum;
Et me Vesta frequens Hippolytusque legunt.

RAIMONDVS LVLLVS.

RAimondus Lullus natione Cathalanus insulę Maioricę, quę inter Baleares, incola; ex nobili familia Lullorũ Barcinonensium ortus: primo liberis operam dedit: præceptore vsus antea, vt putatur Arnoldo Villanouano. Laborãte grauiter vxore magnum ex ista re dolorem cepit, vix vt apud se esset. dolor enim mæstitiaq; animum loco mouerãt, vt iam hominum commercia detestaretur, vitaretq;: quo tempore Christum crucifixum apparuisse ferunt: vocari igitur se credẽs eo spiritu authore qui solo tactu de Chitaredo Prophetam: de Piscatore Prędicatorẽ, Doctorẽ de Persequutore, & de Publicano Euangelistã fecit, de monastica vita serio cogitabat. Annum iam trigesimũ attigerat relicta vxore cũ liberis, quæq; illis necessaria videbãtur: reliqua in pauperes erogauit, & tot infidelium vicem dolens qui magna sua pernicia Idololattria tenebantur, longã variamq; peregrinationem discendæ linguæ Arabicæ fusc epit, & in mõte Balearium cui nomen *Randa* cœlestibus doctrinis inspiratũ aiunt. Scripsitq;, varia, quorum pleraque à sectatoribus conscripta suspicor: non desunt enim qui supra quingenta Raimondi volumina se legisse affirment: quibus alii mille addunt.

Totos quinq; & quadraginta annos peregrinatus, in infidelium conuersione occupabatur. octies summos Põtifices adiit, rogauitq; vt se in tã sancto ꝓpposito adiuuarẽt: tres Prædicatorũ & totidẽ Franciscanorũ generales conuẽtus monuit, de fidei apud barbaros propagatione, & Cõcordia inter principes Christianos cõponenda. Venit & ãgrãdis natu ad generale concilium, sub Clemẽte quinto Viennæ celebratũ an. 1311. post eo zelo quo sẽper arserat, in Africã traiecit, prędicationis Euãgelicę caussa: cũq; Mahometanos multos cõuertisset

à Rege carceri inclusus etiam verberibus expulsus est. Tandem anno 1313. condito apud suos testamento Bugiam rursum transuectus est, vbi cum Mahometis sectã refelleret, ad Regẽ pertractus instar Stephani protomartyris lapidibus obrutus est, anno ætatis circiter 82. & salutis humanę 1315. festo, vt putatur, diuorũ Petri & Pauli. Cadauer eius cum Ligurum mercatores Genua transuehere vellent, ventis impellẽtibus in Baleares insulas delati sunt, vbi corpus ad D. Francisci (cuius tertii ordinis consors fuit) conditus est: claretq;, vt aiunt, miraculis.

Habuit & sectatores plurimos. Nullã enim tam absurda ars, quę non admiratores & asseclas reperiat: vt nulla tã deformis, quæ non amatorem nanciscatur. Parisiis Iacobus Faber Stapulensis, & Carolus Bouillius Samarobrinus; in Germania, Henr. Cornelius Agrippa v. i. d. & Andræas, Petrus, Iacobus Canterii, frattes, Frisones. Vide Rod. Agricolæ iudicium, libro de inuentione dialectica & Picæ Mirand. Item Io. Marianæ lib. xv. rerum Hisp. cap. 4. Hinc puto profluxit & Sophistica de ratione inueniendi medium in Syllogismo, & Chymia, & ea quæ est, curandi ratio Theophrasti Paracelsi, empirici, (qualis ille Thessalus Ossatus) qui de Vita longa scripsit, quã adipisci non potuit. Gregorius xv. bullã edidit, qua aliquot opera Raj. Lulli Cathalano sermone conscripta damnauit: & Paulus IV. P. M. in Indice librorum prohibitorum. At in Concilio Oecumenico Tridentino, defendente Lud. Iohanne Villeta Barcinonensi Theologo, in Catalogo Pii IV. legi admissus est. 1563.

Carmine sic eum Rhenanus Alsaticus ornandum duxit.

Iam bene trecenos RAIMVNDVS *vixerat annos,*
Pomposus, vecors desidiosus, iners:
Turbida fallacis linquens cum gaudia mundi
Durus in abruptæ corpora rupe domat.
Noxia præterita redimens vbi crimina vitæ,
Suscepit etsi munera larga Patris.
Parrisios Latiæ tandem primordia linguæ
Post octo sitiens lustra peracta petit.
Grammaticen libans primum, in fusca arte reliquit
Innumeros nuda simplicitate libros.
Sensa sub incultis latitant præstantia verbis,
Quæ possint mentes erigere vsque pias.

MI-

MICHAEL THOMASIVS BALEARIS.

APpellatus & hic apud suos Maioricenses *Taxaquetius*, primum Ilerdæ post Bononię, quo nobilissimi Hispaniæ studiosi conuenire solent, Iuri operam dedit, feliciter: & quod ad Iuris artem tractationemq; necessariũ semper iudicatum, attulit Latini sermonis, Historiæ, & Philosophiæ cognitionem. Vix annum excesserat xxv. Bononiæ duas orationes ciuiles scripsit, vnam *de tota iurisciuilis ratione: alteram de eius discẽdi via ac modo*, scholastico potius & doctoris stylo quam diserto, ad Gonsaluum Peresiũ. Philippo regi à secretis, consiliisq;, anno CIↃ. IↃ. LVI. Operã dedit Mariano Sorino Minori cuius etiam postea obitũ moestus luxit, deploratq; oratione secũda. Patruum habuit *Franciscum Thomasium* Emporiensem Episcopum, cuius meminit in præfatione in Lactantium à se emẽdatum, ad Antonium Card. Granuellanum typis Plantinianis euulgatum. Creatus & ipse ob præclaram doctrinæ & eruditionis famam Ilerdensis Præsul, post Antonium Augustinum, cui carissimus fuit. Romæ diligenter vrgebat, vt deemendando Gratiano, quod factum est, Põtifex animum applicaret: tam iusta piaque petenti negari non potuit. quare magna ex parte, quicquid Papæ Gregorii XIII. auctoritate in Ius Pontificium elaboratum est, Thomasio tribuendum, vrgenti opus, & in eo elaboranti. Moliebatur multa in Concilia, sed mors occupauit: quamquam & *de ratione conciliorum celebrandorum* commentarium reliquerit. Vt & de variis Collegiis ad publicam vtilitatem constituendis disputationes item Ecclesiasticas.

ARNALDVS ALBERTINVS.

PAtricius, Canonicus, & Decanus Maioricensis episc. Pactensis: inquisitor regni Valentiæ & Siciliæ. Scripsit tractatũ siue quæstionem *de Secreto*, quãdo debeat reuelari, aut non reuelari, Valentiæ: item de agnoscendis assertionibus Catholicis, & hæreticis ibidem. Tumulum habet in patria, elogio inscriptum.

V. CLASSIS VALENTINORVM.

IAcobvs Perez Episc.
Ioan. Ludouicus Viues.
Ioſephus Stephanus Epiſc. Oriolanus.
Honoratus Ioannes.
Honoratus Vezina.
Petrus Monzonus.
Io. Bapt. Cardona Epiſc. Dertuſanus.
Petrus Ioan. Nunneſius.
Ioan. Baptiſta Monlorius Canonicus.
Ioan. Baptiſta Agneſius.
And. Semperius Alcodianus.
Ioan. Blaſius Nauarrus.
Gaſpar Gerau.
Fredericus Furius Ceriolanus.
Ioannes Celaia Theologus.
Pet. Antonius Benter.
Ioannes Gelida Philoſophus.
Ioan. And. Straneus.
Ioannes Nauarrus.
Hieronymus Cedeſma.
Iacobus Ferruſius.
Andreas Capilla.
Barthol. Ioſeph. Paſchaſius.
Ioan. Olmerius Alcodianus.
Hieronymus Munnos Valent.
Antonius Ioan. Andreas.
Thomas Regius.
Franc. Ioan. Maſius.
Franciſcus Decius.
Ioannes. Torrella.
Vriolanus Franc. Vaius.
Petrus Belluga.

IACO.

IACOBVS PEREZ VALENTINVS.

EPiſcopus hic Chriſtopolitanus, domo Valentia, citerioris Hiſpaniæ vrbe, ordinis S. Auguſtini eremita, humanas diuinasq; litteras percalluit. Inclaruit imperante Frederico III. anno CIↃ. CD. XC. hiſce relictis ingenii monumentis.

Ingens Commentarius in omnes Dauidis Pſalmos, ad Rodericum Card. Borgiam, qui exſtat, & in
Canticum Zachariæ.
In Canticum B. Virginis.
Item in Cantica reliqua horarum Canonicarum.
Scripſiſſe conſtat & in Cantica Canticorum
Salomonis, item *aduerſus Iudæos Tractatus, Pariſiis*, Lugduni, ac Venetiis euulgatos. Quæſtionis quoque habetur explicatio: *Vtrum ſolus Chriſtus ſit metrum & menſura, & largitor omnium honorum & reparator humanæ naturæ.*

Aſſerit hic Iacob. auctorẽ diuinæ Scripturæ editionis Syræ, fuiſſe Ionatham Abenuziel Iudæũ, qui an. primo & viceſimo Octauii Auguſti, hoc eſt anno ante Chriſtum natum XXI. tranſtulit totum vetus Teſtamentũ in linguam Chaldaicam ſiue Syrã, ſenſum magis de ſenſu, quã verbum de verbo exprimẽs. Narrat itẽ in expoſitione Pſal. 20. hunc Ionathã in ſua Thargum multa de *Chriſti* diuinitate, ac de S. Trinitate myſteria explicaſſe: veluti in editione Pſalmi 2. in quo dum paraphraſticõs illuſtrans ſententiam illam, *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te*, ita ſcripſit. Duo hi, *Pater & Filius*, tres ſunt in vna tertia perſona, nimirum *Spiritu ſancto*, & hi tres vnum ſunt, vna, inquam, ſubſtantia, vna eſſentia, & vnus Deus. Quẽdum Ionathas litteris mandaret, repente vox ad eum de cælo allata eſt, inquiens: *Quis eſt iſte, qui audet ſecreta mea Gentibus reuelare?* Tum Ionathas, *Ego*, inquit, *Domine, ob reuerentiam & gloriam nominis tui hoc tentare ſum auſus.*

IACOBVS FERRVSIVS VALENTINVS.

DOctor Theologus Tridentinæ Synodo cum intereſſet Orationem ſollemni Aſſumptæ virginis feſto habitam euulgauit, domumque veluti ex ampliſſimo illo ingeniorum mercatu reuerſus,

Sophisticam barbariem patria vt expelleret nihil duxit antiquius, Doctorisque sacrarum litterarum personam, ac linguæ sanctæ, annos amplius triginta sustinuit. Scripsit & prouinciale Valentinum Concilium: Hymnos item pios de Christi sanguine, in Angelum Custodem, ac B. Vincentium Ferrarium.

IOANNES LVDOVICVS VIVES.

VAlētinus, Lutetiæ adolescens philosophiæ operam dedit, cū adhuc Sophisticis cōtaminata esset. Inde profect⁹ Louaniū Latinæ & Græcæ linguæ serio incubuit, vbi & *de arte docendi* libros, quos publice professus est, conscripsit. Deinde Lutetiam animi causa reuersus *Somniū Scipionis* egregie explicauit, & publice edidit: euasit & insignis Philosophus: & vere *Eloquētia*, inquit Tullius, *Philosophos adsit, non asperior*. Iudicium porro eius celebratur, quo inter III. viros illos R. P. constituendæ litterariæ eiusdem tempestatis excelluit, vt Budæo ingeniū, Erasmo dicēdi copia, Viui iudiciū tribueretur. Testantur id libri *de corruptis disciplinis*, quibus in artium abusus egregie stylum strinxit: vt & epistola ad Fortē, barbaros sophistas exagitat. Grandior natu tametsi Brugis vxorem Valdaurā duxisset, ita Theologiæ sese studio dedidit, vt sui seculi Theologos adæquaret. fidem faciunt docti illi *Cōmentarii in Augustinum de Ciuitate Dei*: quæque *de bello Turcico, de officio piæ Matronæ* scripsit. Louanii præceptor datus Gul. Croyo Cameracēsi, & deinde Toletano Archiep. qui post iuuenis equi lapsu fracta costa interiit. In Anglia Reginam Mariam Latine docuit; in cuius gratiam libellos *de Ratione studii* conscripsit: cumq; Henricus VIII. vxorem repudiare vellet, factum *Vives* improbauit, & scripto & verbo sentētiam suam de illo Leuitici, *Frater non ducet vxorem fratris*, testat⁹ est, Regisq; animū offendit, ita vt VI. menses in libera custodia detineri iuberet; dimissusq; ea conditione, ne Regiā ingrederetur: secessitq; in Belgiū Regina ita iubēte, ne malæ causę subscripsisse videretur. In Seneca emēdando Erasmū adiuuit, & Adagiis colligendis. Vsus est amicitia Ioannis Vergaræ, Honorati Ioannis (quē & docuit) Pratēsis, & Halomi, Francisci Craneueldii Cæsaris consiliarii (qui senex hortatu *Viuis*, & Græcā & Hebraicam linguam inter occupationes iuris dicundi αὐτοδίδακτος didicit) Thomę Mori, & Linacri, quibuscū ioca seria cōmunicabat. Blancā Marcam matrē Matronam lectissimā, & pientissimā nominat lib. de officio mariti: socrū vero suā Clarā Ceruentā Bernardi Valdaurę coniugem

gem clarum exemplum probę matrisfamilias, præsertim in aduersis laudat ibidem, & lib. 2. de officio fœminę Christianæ. Obiit Brugis Flandrorū magno sui studiosis desiderio relicto, partaq; æterna gloria; doctus certe & eruditus sæculi sui Criticus, scriptis & eruditionis fama perpetuo victurus.

EPITAPHIA VIVIS.

HOc tegitur VIVES *tumulo, subsiste, viator,*
Et presso pacis verba precare gradu.
Quin etiam costum, violas, & thuris honores,
VIVI *de prompta debita dona manu.*
Qui dum sic verbis rebusque exornat ad vnguem
Per non tentatas maxima quæque vias,
Nostra ætas vincit veteres, atque omnibus illis
VIVEM, *quem contra ponere possit, habet.*

Aliud.

Parca ferox VIVI *vellet dum scindere filum,*
Hos capiti assistens edidit ore sonos.
Corpore te soluam, tua sed monumenta manebunt,
Namque horum potui iuris habere nihil.

Aliud.

Quis iacet hic VIVES, *heu, hæc fata aspera, tantum*
De tanto his etiam sumere VIVE, *licet.*

Aliud.

Doctrinæ volumen decusque vitæ
VIVEM, *ne tumulo hoc puta viator*
Condi, sed tenues soli fauillas.
Nam non mors violenta, non edaces
Ignes, non series vetustæ secli,
Non vires chalybis, licet potentis,
Non fluctus pelagi licet ferocis,
De vita poterunt tulisse VIVEM,
Doctrinæ columen, decusque vitæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A. S. A.

VIVES æternum viuet tua fama superstes:
Nam volitas VIVES *viua per ora virum.*
Copia magna quidem desideriumque Batani
Plene nunquam explens alueus amne fluit.
Gallia fœta viris doctis, se iactat alumno;
Budæum ostentans ob genium ingenii.
Vicisti æquales propria hæc vt adorea laudis.
Iudicio antistans omnibus & sophia.
Salue ergo atque vale: viridi de cespite bustum
Exstruit ob meritum Belgica terra tibi.
Frugæ, quæ nostris, vt Græcis, Atticæ Athenæ
Te teneant: viuunt sed monumenta libri.

Opera eius Basileenses anno CIↃ.IↃ.LX. ediderunt. tomis 2.

TOMO I.

De ratione studii puerilis.
Exercitatio linguæ Latinæ, seu Dialogi. In his reprehendunt Critici nimiam cudendi voces Semigræcas & Latinas audaciam; Porcium Latronem Hispanum declamatorem hac in re imitantem, vt refert Matamorus lib. de Academiis doctisq. Hispaniæ.
De conscribendis epistolis.
De ratione dicendi, libri tres.
De consultatione.
Declamationes septem.
Pompeius fugiens.
Fabula de homine.
Liber in Pseudodialecticos.
Prælectiones quatuor in varia.
Aedes Legum.
Isocratis Oratio Areopagitica, & Nicocles, Latine conuersa.
De corruptis artibus, tomi tres.
Interpretatio allegorica in Bucolica Virgilii.
Prælectio in Georgica Virgilii.
In Suetonium quædam.

TOMO

TOMO II.

De initiis, sectis, & laudibus Philosophiæ, liber vnus.
Anima senis, siue *prælectio in librum de Senectute Ciceronis.*
Somnium, siue *prælectio in somnium Scipionis apud Ciceronem.*
Vigilia ad somnium Scipionis.
Introductio ad Sapientiam.
Satellitium animi, vel *Symbola.*
Genethliacon Iesu Christi,
De tempore, quo natus est Christus.
Veritas fucata, seu *in triumphum Christi præfatio.*
Clypei Christi descriptio. Iesu Christi triumphus.
Virginis Deiparæ oratio.
In septem Psalmos pœnitentiales Meditationes septem.
De passione Christi meditatio.
Exercitationes animi in Deum.
Commentarium in orationem Dominicam.
De sudore Iesu Christi. De veritate fidei Christianæ.
De anima & vita. De officio mariti, liber vnus.
De institutione fœminæ Christianæ, lib. 5.
De concordia & discordia, lib. 4.
De pacificatione, liber vnus.
De conditione vitæ Christianorum, sub Turca.
De subuentione pauperum.
De communione rerum ad Germanos inferiores.
De Europæ dissidiis & bello Turcico Dialogus.
Epistolæ variæ, quæ post editæ auctiores Antuerpiæ, typis Simonis Gulielmi.
In libros 20. de Ciuitate Dei B. Augustini eruditi *Commentarii.*

IOANNES SAMBVCVS PANNONIVS IN EMBLEMATIS. Pag. 110.

QVI *vigiles studiis noctes egere diesque,*
Parcere non oculis nec voluere sibi.
Hos celebres lato nomen disseminat orbe,
Ac simul in cælum fata suprema vehunt.

Mortua non mors est, quæ etiam post funera viuit,
Hoc decus à Musis præmia tanta ferunt.
Id cute nudatum caput, & tuba, vitra, libelli,
Hora refert, laurus, nuncia fama, globus.
Ista fere Brugis, VIVES LVDOVICE, *sepulcro*
Addita sunt vestro symbola marmoreo.

IOSEPHVS STEPHANVS VALENTINVS
EPISC. ORIOLANVS.

QVo te flagitio, IOSEPHE, tacitum præteream? qui cum mellitissimis sæpe atque eruditissimis sermonibus dies noctibus coniunxi. Roma te doctrina probe in patria excultum habuit, & admirata est, insigni hominem forma imperioque dignũ, vt & pro Regis legatis identidem ad purpuratos Patres, Sixtumque adeo V. verba feceris: qui & Vestanum episcopum creauit, cum & ipse *De adoratione Pontificum, Pedum osculatione, gestatione, & coronatione*, commentatus esses, aduersariorumq; tela contudisses; mox etiam *de potestate Pontificis coactiua*, D. Thoma Caietano, diserte differens: huic etiam *de Episcopi in tempestate officio epistolam* dictasti. Denique Oriolanus præsul ex Valentino decano creatus, totum te sacris illustrandis patribus consecraras. Natus hic insignis fœtus ac perutilis *de vnica religione*, contra eos, qui labẽ ac pestem reip. religionis, vt vocant libertatem inducere tentant: deinde *in Macchabæorum libros ad capita* IV. priora, vastos auspicatus *commentarios* typisque Oriolæ euulgatos, vtinam ad exitum adducere mors immatura permisisset, nihil sane in eo genere legeretur accuratius: vt & *Lexicon Ecclesiasticum inchoatum vocum, phrasium ac rituum veteris Ecclesiæ Catholicæ*, è Græcis Latinisque Patribus.

Quid ni te Stephanum sacra applaudente corona
Delicium ingenti, nocte dieque vocem.

Obiit anno CIↃ.IↃ.XCII.

HONORATVS IOANNES EQVES VALENTINVS.

PRæter litteras Græcas & Latinas, & eas artes, quibus liberales doctrinæ ac ingenuæ continentur, ciuili etiam prudentia vsque adeo

adeo ornatus HONORATVS exstitit, vt nescias plus ne litteræ in hoc homine an morum compositio & recta animi moderatio formęque dignitas, & admiranda facundia valuerint. Laudatus & hic cum Io. Gelida à Viue Ludouico & Io. Genesio Sepulueda extremo lib. 7. Comment. in Politica Aristot. & Ferdinando Pintiano in Plinium, vt maximo, inquit, iure videntur natura præscia secundum Platonis Cratylum, tantorum eius meritorum Honorati nomẽ summo & incomparabili viro indidisse: eiusdemque disciplinę commissus à Philippo II. Hispaniarum Rege, Carolus filius regnorum hæres, quo refractarios eius mores, correpta indole refrænaret. Post Vxamensis, est virtutis ergo, Præsul renunciatus: scriptaque eius delitescere adhuc existimantur nihil enim vnius euulgauit.

HONORATVS item Vlzina Valentinus Rhetor Græcas ibidem litteras anno nonagesimo supra M.D. profitebatur, & eloquentiam: scripsitque *Funebrem laudationem* Valentiæ in obitum Hieronymi Moncadæ Academiæ Rectoris anno CIↃ.IↃ.XCIII.

IO. BAPT. CARDONA VALENTINVS
Episc. Dertusanus.

THeologus hic in patria claruit & Canonicus. Romam inde profectus instaurandorum auctorum collegio interfuit: scripsitq;, sciscitantibus pluribus, *de expungendis Hæreticorum nominibus* ad Gregorium XIII. quem libellum & Tarracone euulgauit, addito *de Diptychis* Cõmentariolo, ac *de Regia Bibliotheca ad Philippum Regem consilio.* Eiusdem Oratio de S. Stephano Protomartyre Romæ anno Iubilæo 1575. coram Pontifice habita. Meditantem maiora atque adeo SS. Patrum scripta (vt B. Leonis Papæ ad Vaticana exemplaria) illustrare conantem, immatura mors humanis eripuit, atque adeo in medio cursu conatus abrupit. Obiit in patria prid. Kal. Ianuar. ineuntis an. eius seculi nonagesimi. Dertusanus Præsul, q. Gothalaniæ oppidum est, (vulgo *Tortosa*, vbi & Episc. antea Hadrianus sextus Pont. Max.) cui paret Mansera vicus, non procul Serrato monte B. Virgini sacro: quo in vico B. Ignatius Loiola Cantaber Dei inflammatus amore collegit primum se, ac seculo nuncium remisit: vt hac, quæ ibidem spectatur tabula literis incisa testatum Antistes ille, posteris reliquit.

IGNATIO LOIOLÆ BELTRANI F. CANTABRO
FAMILIÆ SACERDOTVM SOCIETATIS IESV CONDITORI,
QVI PRO SALVTE PATRIÆ ANNOS TRIGINTA NATVS
IN POMPÆLONIS ARCE FORTITER CVM GALLIS
PVGNAVIT,
ET ACCEPTIS MORTIFERIS VVLNERIBVS, SINGVLARIQVE
DEI BENEFICIO SANATIS
DESIDERIO VISENDI LOCA HIEROSOLYMOR. SACRA INFLAMMATVS
ITER COEPIT FACERE, CASTITATEM VOVENS
ATQVE ITA ORNAMENTIS MILITARIBVS ABIECTIS ET REPOSITIS
IN TEMPLO DEI GENITRICIS MARIÆ SERRATI MONTIS
INDVTVS SACCO ET CILICIO PENE NVDVS
RELICTVS
HIC INDE PRIMVM IEIVNIIS, LACHRYMIS, ET ORATIONIBVS FLERE
ANTEACTÆ VITÆ CRIMINA MERVIT, ET VINDICTAM
DE EIS TIRO CHRISTI MILES SVMERE INCHOAVIT.
TANTÆ REI MEMORIÆ CONSERVANDÆ ERGO AD
DEI GLORIAM
ET SPLENDOREM CLARITATIS SOCIETATIS SVÆ
IOAN. BAPT. CARDONA VALENTINVS AVSETANVS, ANTISTES DERTOSANVS DESIG.
SANCTITATI SOCIETATIQVE EIVS DICATISSIMVS
VIRO PIISSIMO OPTIME DE PVBLICA RE CHRISTIANA MERITO FIERI CVRAVIT.
QVINCTO XYSTO PONT. ET PHILIPPO II. REGVM MAX.

IN OBI-

IN OBITVM IO. BAPT. CARDONÆ VALENTINI, EPISCOPI DERTOSANI

A. S. A.

STET moles immensa super titulusque sepulcro,
Cippus, & insculptus stemmate sarcophagus,
Regia stent cælo minitantia Mausolea
Marmoreque è Pario sint monumenta licet;
Credite, tempus edax atque inuidiosa vetustas
Destruet; hæc celeri sunt peritura die:
At manet æternum ingenii decus; inclyta virtus
Durabit: nihil his flamma vel vnda nocet,
Nec cælo missum fulmen, telluris hiatus;
Eluet haud vastis fluctibus Oceanus.
Sic tua perpetuum Pietas, CARDONA, vigebit,
Doctrinæ, & veræ Religionis amor.
Fallor? an aeriæ ferunt tua funera nubes,
Assiduus tristes dum rigat imber agros.
Sedibus at postquam superum mens ipsa recepta est,
Vitalesque auras deseris, alta petens:
Clarior ecce redit dispergens nubila Titan,
Signaque lætitiæ terra polusque ferunt.
Salue, ergo atque Vale: cinis hoc, atque ossa quiescunt,
Spiritus æthereas dum petit ipse domos.

Obiit Valentiæ prid. Cal. Ian. ineuntis anni 1589.

PETRVS IOANNES NVNNESIVS VALENTINVS.

PETRVS Ioan. Nunnesius honestis parentibus natus Valentiæ: quæ vrbs Edetanorum prouinciæ Citerioris Hispaniæ ad internum mare sita, præstantium ferax est ingeniorum, quæ & acumine, & facundia ceteris non concedant, atque etiam Latina eloquentia superent: sic etiam Academia inter quattuor Hispaniæ principes post Complutensem, vbi Theologia viget: Salmanticensem, ac Conimbricensem, vnde Iureconsulti fere exisunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Educatus itaque Valentiæ est Nunnesius, liberalibus artibus non mediocriter imbutus, cum iam Græcis Latinisq; litteris egregie tinctus esset. Quare ad vberiorem ingenii cultum Lutetiam Parisiorum proficiscitur: quæ Academia doctissimorum hominum contentione, immane, quantum creuerat: ibique assidue annum integrum audiuit Galliæ tunc lumina Turnebum, Talæum, Ramum, & Carpentarium. Domum hinc reuocatus, Philosophiam de superiori loco docendi prouinciam imponi sibi passus, eo maiore plausu Aristotelem explanauit, quo paratior ad hoc munus Græcis litteris probe instructus venerat. Scripsit ea tempestate etiamnum iuuenis præter Logicas præceptiones, seu *de Constitutione artis Dialecticæ* etiam bene longam orationem *De causis difficultatis Aristoteleæ*, quæ & Valentiæ & in Germania Francofurti edita circumfertur. Item Scholia atq; argumēta in Aristotelis Organum, Perionio & Gruchio interpretibus. *Physiologiæ quoque libri* IV. *& de Methodo* disputati Valentiæ. Post Cæsaraugustam, Arragonici regni Metropolim honoris gratia euocatus, alterum Philosophiæ curriculum omnibus partibus absoluit, sed vt integre omnia quod par esse censebat, doceret, facile impetrauit, quinquenniumque fere impendit, cum accessione Poeticorum, & Rhetoricorum Aristotelis, quos diserte interpretatus est, ex illisque spatiis clarissimi viri non solum in studio Philosophiæ, sed & in aliis quoque artibus euaserunt. In his prēter ceteros Iuris vtriusque peritissimi fratres Punterii, quorum alter Dertusanus Episcopus; alter Archidiaconus Aureolensis creatus. Enituit & Pet. Galesius, qui Philosophiæ, Græcarumque litterarum, ac Iurisprudentia Romæ, & in Gallia claruit, Burdigalamque vt Aquitanico Gymnasio præesset, salario publico accitus, qua tempestate bello ciuili fœderato Gallia flagrabat, militari manu cum coniuge raptus, in Pyrenæis exspirasse fertur, amissa insigni Græcorum exemplarium Bibliotheca.

Reuersus in patriam Nunnesius, recepto publico profitendi munere, oblatrantes sibi expertus est iuuenes oratores, verumque sensit illud Christi oraculum: *Prophetam in patria honestari neminem.* Ingenti itaque stipendio à Barcinonensi Academia, quæ Gothalanorum metropolis est, euocatus, eloquentiam ibi annos plurimos, Græcasque litteras magno iuuentutis emolumento publice docuit, remque auxit litterariam, hæc euulgando. E Cicerone quidem optimo dicendi magistro, *Epitheta: Grammaticæ* item *Græcæ præcepta*, ac *Grammatisticam*, seu de genuina Græcarum litterarum pronunciatione. *Rhetorica* quoq; ex Hermogenis, Græciscq; fontibus, additis & Methodi rabulis deniq;: *Peripateticæ Philosophiæ institutionē*, seu de recta atq; vtili ratione cōficiendi curriculi Philosophiæ: cui & *Aristotelis vita* ex anonymi interpretatione cum Scholiis eiusdem accessit. Bibliotheca instructus lauta Græcorumque in primis scriptorum lectione, ac Peripatetica Philosophia, sed è Græcis potissimum fontibus, atque interpretibus hausta animum oblectans, vitamque in otio priuatus transigens cælebs perpetuo vixit. Coluit amicos in paucis caros Clarissimum Doctissimumq; virum Ant. Augustinum, Tarraconensium Præsulem, ibidemque And. Schottum Belgam cui & *Phrynichum de vocibus Atticis*, Latinum à se factum scholiisque illustratum dedicauit. In patria vero Ioan. Bapt. Cardonam, Dertusanum, Ios. Stephanum Oriolanum, Episcopos, & Bapt. Monlorium Canonicum, ac Philosophum egregium. Integra ad extremam ætatem vsus constanter valetudine, in perpetuis vigiliis, ac laboribus octogesimum propemodum annum attigit, vitaque decessit in patria quarto Idus Martias, anno Christi secundo supra sexcentesimum, ac millesimum, elatus ingenti Academiæ luctu, magnumque sui relinqueus desiderium. Plura eius ingenii monumenta seruant heredes, vt toties promissos *de vsu Logicæ* libros, *& in Homerum, atque adeo Aristotelem Obseruationes*, & *Epitomam τῶν μετὰ τὰ φυσικά*, suntque apud Hieronymum Nunnesium, fratris Senatoris Regii Valentiæ filium, qui & Professionis publicæ, & Bibliothecæ hereditatem creuit, sed & hic immatura morte præreptus decessit nuper anno 1603.

IOAN. BAPT. MONLORIVS VALENT.

PAtria illi Bocacienta ex Philosopho egregio, Græceque perito Canonicus Oriolanus, edidit Valentiæ, & in Germania Franc. à se conuersa, *paraphrasin*, in Aristotelis *priora Analytica commentarium*: docta adhæc *Prolegomena de Philosophiæ Aristoteleæ* studio; ac de *Entelechia*, & *Vniuersis*: accurata accessit disputatio.

IOAN. BAPTISTA AGNESIVS.

VAlentinus sacerdos, Theologus ac poeta perfamiliaris Nicolao Biezio Gandensi Philosopho, poetæ ac post medico Cæsa-

reo. Scripsit *Apologeticum panegyricum de laudibus D. Hieronymi* carmine elegiaco, aduersus eius doctoris obtrectatorem Erasmum, qui virginem fuisse negaret, & somnium flagraque ob Ciceronis lectionem eleuaret, anno 1550. aliaque poemata sacra *de vita DD. Luciæ, Magdalenæ, Martini, Christophori*, anno 1545. & *Epistolarum libros* duos carmine Elegiaco, & varia poemata. Carus fuit Francisco à Scintillis Comiti Oliuarum, à poesi non alieno. Paruo semper vixit contentus sacerdos, vt ipse de se canit.

Verus ego Christi mystes, milesque diurno
Victu ac vestitu paupere dives eram.
Illis prædiues cupio nil, cuncta supersunt
Grata vbi paupertas sufficit vna mihi.

AND. SEMPERIVS.

ALcodia Valentini regni oppido oriundus, Rhetor idem & Medicus Valentiæ: cum hæc vrbs Medicis plerumque afflueret, dicendi arte potissimum valuit, nomenque parauit. Forma adhæc erat egregia, ingenti statura, barbaque ad umbilicum promissa: firma latera, & vox denique theatrum implens, omnes vt auditores, qui frequentes concurrerent, in sui admirationem, & in quam vellet partem persuadendo raperet. Hunc vnum intuebatur Valentina Academia; huius aspectu recreabatur, huius industria, & diligentia eloquentia florebat. Hic *Laurentium Palmyrenum* ita diligebat, vt Germani fratris loco collegam duceret: etsi rara solet esse collegas inter concordia, dum honesta æmulatio sæpenumero vertit in inuidiam. Fama mox excitati Sardi, publico stipendio *Semperium* eloquentiæ doctorem euocandum curarunt. Qua in insula *Grammaticas* scripsit iuuentuti *præceptiones*, breues illas quidem, sed perutiles, vt ex Iulii Scaligeri de lingua Latina libris haustas. Hinc in patriam postliminio reuertit, quod patriæ solum fumumque luculento etiam igni alieno, Vlyssis exemplo, anteponeret: vbi *Rhetorica* conscripsit, ac *de Concionandi ratione*. Quibus in libris cum de numerosa agit oratione, M. Tullium, ac Iouitam Rapicium Brixiensem expressit; sic & in verborum delectu Ludouicum Strebæum libello de verborum collocatione est imitatus. Scripsit & in tabulas Rhetoricæ Cassandri, & in Ciceronis Brutum seu Oratorem. Valentiæ typis Mey. nos hoc ei Elogium demus.

In Medica, at multo eloquii præstantior arte,
Semper erit vero nomine SEMPERIVS.
Audiit orantem generosa Valentia: vocum
Delectu, & numeris Tullius alter erat.

IOAN. BLASIVS NAVARRVS.

THeologię insignis Valentiæ doctor, & professor primarius, scripsit *de Auctoritate Pontificis* librum.

Alter item *Vincentius Blasius Garsias* Rhetor Valentinus, de quo supra in præceptoris eius *Laurentii Palmyreni* Elogio.

FREDERICVS FVRIVS CERIOLANVS.

NObilis hic apud Valentinos non minus ingenio, quam genere exitit, litteris in patria primum imbutus Lutetiæ Parisiorum, florente Academia magnis illis doctorib. Talęo, Turnebo, ac Ramo operam in Philosophicis nauauit. cumque dicendi gratia laterumque firmitate valeret, eloquentiam coniunxit, ediditque Louanii *Rhetoricorum libros tres: mox de Consiliis* ac Consiliarii officio commentarium. Suscepta deniq; cum Bononia Siculo Theologiæ Louanii doctore contentione, in Germaniam secessit, ac Basileæ *Bononiæ* nomine scriptam orationem, *de Bibliis in vulgarem linguam transfundendis* euulgauit, incurritque in censorum notionem, qui à piis eam legi vetuerunt. In Cæsaris aulam profectus, eius est commendatione Philippo missus, qui eum in regiam Historici nomine asciuit. Obiit Vallisoleti tandem cœlebs, regem comitatus in Aragonensium Comitis, anno eius seculi CIↃ. IↃXCII.

PET. ANTONIVS BEVTER.

VAlentiæ natus. Theologiæ doctor & Professor, scripsit *de recta Sacrificii oblatione, & cæremoniis Missæ* ad Paullum III. cuius & prædicatorem se vocat Apostolicum: *& Iudicium in Confessiones sacerdotum*, ad Gerardum à Marcha Card. Leodiensem, & Archiepisc. Valentinum: & *Annotationes* X. *ad sacram scripturam*. Præfatur de Valentinis Episcopis, doctisque eius seculi viris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. *De ordine librorum sanctorum apud Synagogam & Ecclesiam.*
2. *Qui libri sint Canonici.*
3. *Quomodo Ecclesia susceperit, quos non susceperat Synagoga.*
4. *Quomodo Ecclesia mutarit ordinem Synagogæ.*
5. *De libris desideratis.*
6. *De auctoribus librorum sanctorum.*
7. *De multiplici sensu Scripturæ.*
8. *De clauibus Sacræ Scripturæ* x.
9. *De Translatoribus Sacræ Scripturæ.*
10. *An vulgata editio sit D. Hieronymi.*

Scripsit & Hispane *patriam Historiam*, sed Originibus, vt fit, Berosi, atque Annii fabulosis contaminatam nugis.

IOANNES GELIDA VALENTINVS.

IOANNEM Gelidam semper nostra tempora inter doctissimos numerauerũt, & ciues & peregrinos, quos in litteris erudiisset nostra Gallia & apud se retineret. Illi patria fuit, quæ Ludouico Viui, Valentia, Hispaniæ citerioris ciuitas nobilis & diues: vbi quum primas litteras didicisset & iam aliquid sapere cœpisset, Lutetiam, omnium litterarum nomine, in Gallia clariorem vrbem, quam olim fuerint in Græcia Athene, petere illum inuitauit maxime aliquot suorum ciuium nomen, qui præ ceteris illic in Philosophia excellebant: quæ illis temporibus vbique summo erat in honore. Eo igitur se contulit adolescens iam grandiusculus: tradiditque se in disciplinam magistrorum clarissimis, sub quibus ita profecit pauculis annis, vt mox ipse docere potuerit: quattuor philosophica stadia, quæ quaternorum erant annorum, cõfecerit maxima cum laude. Erat enim homini statura quidem mediocris, sed valde firma latera, vox clara, ingenium acutum, acre: vt in disputationibus, quibus Lutetiæ publice, priuatimque Philosophiæ discipuli magistrique exerceri credbro solent, ipse nemini vnquam facile cederet. Sic ille inter doctissimos philosophos habitus est Lutetiæ: indeque eum amare, colere, obseruare multi cœperunt, condiscipuli, magistri, & alii. Quumque iam tandem Iacobi Fabri Stapulensis aliorumque aliquot studio & diligentia persuasum esset Philosophiæ coniungendam eloquentiam, multique iam humanioribus se disciplinis ac seriq; philosophiq dedissent: *Gelida* nouum istud genus quidnam esset postquam aliquando

quando degustasset, & sensisset; denique quantum temporis in nugis frustra contriuisset; puderet, pigeretque: ita attente homo quadragenario iam maior, Ciceronem, ac reliquos Latinos auctores legere cœpit primum; ac deinde litteras Græcas adeo auide arripuit, quo Aristotelis atq; aliorum veterum philosophica penitus aliquando intelligere posset, in vtrisq; illis litteris breui temporis spatio tantum profecit, vt qui eius ingenium ante propius cognitum habuerant, magnum iam quiddam ab eo statim exspectare cœperint. Nam homo sapientiæ studiosissimus, & in qua quanquam sub barbaris magistris, iam magnum progressum fecisset, videbatur aut Aristotelem interpretandum mox suscepturus, aut aliquid aliud etiam maius auspicaturus, verum tempestas nescio quæ illum alio transuersum abripuit. Quum enim iam quinquagenarius cerneret in humãnioribus istis studiis plerosque omnes esurire, nisi si qnibus ampliora essent patrimonia, & sic vt ait ille, *Dum noua canicies dum prima & recta senectus*, opes aliunde parare quum constituisset, quibus se & studia sua, quod reliquum erat vitæ, sustentaret: gymnasiorum præfecturas ambire cœpit, quod earum pleræque lucrosæ viderentur, & eum non dedecerent, qui litterarũ studia persequeretur. Quamuis enim rei scholasticæ cura, vix fieri possit, vt studiosi hominis otium nõ interpellet frequẽter: aut si quis suis studiis satisfacere velit, rei scholasticæ non satis vacare queat: tamen *Gelida* bonitate sui ingenii fretus, vt vir erat magno animo, vtrique se abunde satisfacturum confidebat. Lutetiæ itaque primum ludo, cui à Cardinale conditore nomen est, præfuit: deinde Burdigalæ Aquitanico. Nam Andreas Goueanus Burdigalensis Gymnasiarcha, vir de vniuersa Aquitania & litteris, vt si quis alius optime meritus, homo pius, doctus, & ad regendam iuuentutem omnino natus, qui in suam Lusitaniam à Ioanne Rege reuocaretur: & *Ioannem Gelidam*, quem tum ob mores & doctrinam tum quod eum in philosophiæ studio magistrum Lutetiæ habuisset vnice diligebat, rem non satis in Cardinalitio facere cognouisset, cum secum in Lusitaniam cum Georgio & Patricio Buchananis fratribus Scotis Nicolao Gruchio & Guilielmo Guerenta Rotomagensibus: Elia Vineto Santone, Arnoldo Fabricio Vasatensi, Ioanne Costano, Iacobo Teuio, & Antonio Mendez, Lusitanis (omnes hi tum, præter Patricium & Fabricium literas, Gymnasiarcha Goueano Burdigalę, docebant) ducere voluit, magnis regio nomine propositis stipendiis: sed eo vt iret, nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

prece nec pretio adduci potuit. Goueano itaque qui post biennium redire in Aquitaniam constituerat, Burdigalæ substitui maluit idque petiit: sicque Lutetia relicta Burdigalam venit mense Maio, anno à Christo nato M. D. XLVII. Goueanus ineunte vere cum suis profectus fuerat, qui quum ante constitutum biennium Conimbricæ mortuus esset, magno Ioannis regis sui, optimi principis, omniumque qui eius industriam nouerant, desiderio: confirmatus est *Gelida* à Senatu populoque Burdigalensi in ludi sui præfectura: quæ illi non multo prosperior fuit, quam prior illa Parisiensis. Nam & æmulum nescio quem repperit, qui prætripere ei prouinciam studebat. His namque temporibus aduersa multa pertulit Burdigala, frequentem pestilentiam, annonæ caritatem, & grauem ciuium seditionem ob salis vectigal, quæ *Gelidæ* rationibus multum incommodarunt. Deniq; anno Christi M.D.LV. quum Burdigalæ mense Iulio grauis orta esset pestilentia & ideo Calendis Augusti coactus fuisset suos dimittere Gymnasiarcha: Quinsacum secessit (vicus est supra Burdigalam in Garumnæ ripa) cum vxore, filia annos nata quattuor, & aliquot ex suis professoribus discipulisque. Alio alii, vt ab amicis inuitabantur, se receperunt. Quindecim autem tunc præceptores, cum Gymnasiarcha habebat Aquitanica schola. Quinsacum ergo ille quum ita se recepisset, in febrim tertianam statim incidit, ex qua vix conualuit. Ægrotauit eius quoque vxor illic grauissime & filiola: quæ cum conualuissent tandem post aliquod menses, cum iam mitius agebat pestilentia, Burdigalam rediit. Vbi in morbum rursus incidit, Februario mense: quo morbo obiit vndecimo Calendas Martias, sexagenario iam maior, superstite filia cum vxore: & in proxima Carmelitarum æde sepultus est. Homo autem hic, quoniam litterarum omnium peritissimus erat, in quarum otio & studio totam vitam suam consumpserat: qui sciebant cum prima illa barbarie, nescio quę in Aristotelis Logica emisisse, existimabant fieri non posse, quin & tanto otio vir purioris iam solidioris doctrinæ, aliquid scripsisset, quo priora illa deleret, & de litteris quarum studiosissimus erat, deque posteritate, aliquid mereretur: & quia in lucem nihil emiserat, sperabant in defuncti scriniis aliquid inuentum iri, sed eos sua spes fefellit. Quando enim omnia diligenter perquisita sunt, atque excussa cuncta, nihil omnino inuentum eorum, quæ ab eo exspectabantur, præter aliquot *Epistolarum exempla*, quę Rupellani anno M. D. LXXI.

LXXI. in Aquitanicæ iuuentutis Doctoris honorem ediderunt quæ quidem Latine ita perscriptæ sunt, nihil vt supra videatur fieri posse: sed scholastica omnia. Pleræque ad Io. Tastæum Burdigalensem, & qui ei in munere successit, Eliam Vinetum Santonem: illi, quod tunc Lutetiæ Medicinæ operam daret, negotium de præceptoribus conquirendis dabat: huic vero amicitiæ & honoris gratia scribebat, quod ceteris omnibus anteferret, ob singulam coniunctam cum humanitate doctrinam.

IO. GELIDÆ TVMVLVS.
IVLII CÆSARIS SCALIGERI.

Qvi toties animam Gelida mihi magne dedisti,
(Nanque anima est, anima quin mihi fama prior)
Si quantum accepi, quantum tibi debeo, pendam,
Grata nec auersus deserat ora pudor.
O animæ huius, adhuc posis vt viuere, tecum
Partior has, fati quas dedit aura, vices.
Quod si non licet, at quantum licet accipe famam,
Hinc tibi si qua tamen viuere fama potest.
Quod si fama tibi es, nec nostro cedis honori,
Sit sat, velle tibi, nec potuisse dare.

IO. AND. STRANEVS
IOAN. NAVARRIVS
MICH. HIER. LEDESMIVS
} Valentini.

IO. AND. STRANEVS honestis prognatus parentibus in Valentina vrbe, adolescens quicquid est Scholasticæ Philosophiæ diligenter perdidicit, ac titulum assecutus est, qui septem liberalium artium scientiam profitetur: quarum nulla erat, in qua ille non fuisset nauiter exercitatus: nec vllam Mathematices partem intactam reliquit. Post, tanquam auidus bonarum rerum negotiator adiit Galliam, ad celeberrimum illud litterarum emporium Lutetiam Parisiorum: ibi se totum Musarum studiis dedit, per omnia litterarum genera magno studio peregrinatus. In Theologicis etiam diu multumque versatus. Reuersus è Gallia, publice in

Academia Valentina S. Scripturam enarrauit, atque Ecclesiæ munus feliciter obiuit. In Theologica professione doctoris titulum, more maiorum, adeptus est, magis vt litteratis amicis morem gereret, quam quod ambiret. Vixit sacerdos inculpatæ vitæ, moribusque candidissimis: Omnis illius sermo aut de litteris erat, aut de CHRISTO; nunquam à pietate Christiana ne latum quidem vnguem discedens. Ex omnium disciplinarum cognitione, auctorumque optimorum lectione summam sapientiam cum summa pietate coniunctam est consecutus. Sed potissimum bonarum litterarum studiis mirifice delectabatur, in quibus assiduo studio versabatur. In primis autem ad veteres auctores recognoscendos, castigandosque animum adiecit, qua in re multos sustinuit labores, imitatus hac in parte egregios illos ac principes rei litterariæ vindices Hermolaum Barbarum, Politianum, Beroaldum, Budęum, ciuemque adeo suum Lud. Viuem. Testes Seneca, Val. Maximus, & Plinius, naturalis scriptor historiæ: in quem variantis scripturæ Commentarium & apud heredes vidimus, & typographis in Germania Commelinianis pridem traditum audiuimus. Non immerito itaque idem Ludouicus Viues, Valentiæ singulare decus & ornamentum, variis in locis STRANEI honorificam facit mentionem, sed potissimum commentariis in libros B. Augustini de Ciuitate Dei, Annotationum illius in Senecam meminit, addito illustri atque insigni elogio. Sic enim ille cap. 10. libri sexti: *Huius Senecæ iacturam vt aliorum complurium veterum scriptorum deplorauit* IOAN. AND. STRANEVS *ciuis meus, annotationibus, quas in Senecam ipsum scribit, quarum gustum misit ad me epistola, qua mecum amicitiam iniit. Homo qui summæ eruditioni summam quoque probitatem adiunxit, ita mirum quas litteras meliores, optimaque studia adiuuare proueheregue conetur, & iis, qui in hoc incumbunt candide ac toto pectore bene velit ac faueat.* Cum his admirabili consensu congruunt, quę duo ciues, eius egregii de STRANEO prædicarunt. Vnus quidem Theologus atque Historicus Ioan. Ant. Beuterus in opere *Annotationum S. Scripturæ*, præceptorem vt nunquam satis laudatum virum appellat; alter vero Rhetor insignis Cosmus Damianus Saullius Valentinus, Oriolanus presbyter, de *Straneo* scriptum reliquit. Is enim in oratione quadam paræneticа *de optimo statu Reipub. litterariæ constituendo*, Valentiæ habita ad Patres iuratos Senatumque Valentinum mense Octobri 1531. plenis, quod aiunt, tibiis laudes illius ita decantat: *Nescio quo pacto vellicata nunc auris est, Patres virique ornatissimi,*

tissimi, subitque recordatio IOAN. AND. STRANEI, *ciuis vestri, præceptoris etiam mei multis nominibus honorandi. Filum enim orationis, ab vno præceptore, & eo absolutissimo Antonio Nebrisensi ad alterum si non omnino parem, certe non multo inferiorem sua sponte deductum est. De quo cum verear, ne minus iusto dicam, malo equidem in præsentia tacere, quam pauca dicere, hoc designasse satis sit, virum hunc modis omnibus summum, cum summa eruditione parem animi probitatem coniunxisse, vt intelligatis eum talem fuisse, qui posset ciuitatem hanc per se illustrem (si modo ciuitas ipsa voluisset) reddere illustriorem. An non adferrent, si in apertum prodirent, huic ciuitati vel maximum splendorem, Annotationes huius viri sine controuersia doctissimi pene innumeræ, & maxime appositæ in Senecam? & illæ non minori numero dignissimæ quidem, quæ manibus omnium tererentur in omnes C. Plinii naturalis historiæ libros, quibus emaculandis castigandisque vir ille longiori profecto vita dignus immoratus est.* Inter omnes, qui *Straneum* coluerunt, præcipuum obtinuit locum Illustriss. Gandiæ dux Ioannes Borgia, qui *Straneo* nec ambienti, nec exspectanti eximium fauorem ac beneuolentiam præstitit, planeque Mæcenatem benignissimum egit, adeo vt eum in aulam suam, idque honorifica conditione pertraxerit, eoque præceptore & conuictore sit vsus. Inter alia siquidem, quæ ex conuictu familiari *Stranei* percipiebat commoda, illud erat haud postremo loco ponendum, quod *Straneo* prælegente, duas ex Plinio singulis diebus lectiones audiebat. Hoc ex epistola eiusdem Ludouici Viuis ad eundem Ioan. Borgiam operi, *De officio mariti*, præfixa, deprehendi facilime poterit. Sic enim ait: *Itaque plurimum conciliatoribus debere me intelligo, ac præ me semper fero* Io. AND. STRANEO *absenti, qui me tibi istic effinxit, vtique non qualis essem, sed qualem vel affectus ostenderet, vel iudicium esse, vt vellet suadebat: vicissim te mihi ex tuis virtutibus per litteras patefecit, ac declarauit.* Et paulo post. *Sed tu quantum doctis hominibus bene velis, possumus velut obsignatis tabellis planum facere, qui in epistola quadam Stranei ad me manu tua adscripseris* DVX GANDIÆ *tibi, & tui similibus deuotissimus: id est iis quos tu mei similes arbitraris: de quo tuo errore non est hic differendi locus.* Habebat & tunc temporis *Straneus* in domestico contubernio duos selectiores discipulos, seu alumnos, siue amanuenses: ambo Valentinos, iuuenes præclari ingenii, magnæque exspectationis, atque in Rhetoricis apprime exercitatos, qui postea insigne in litteris nomen adepti sunt. Prior dictus est IOAN. NAVARRVS, Valentinus Alcodianus presbyter. Hic propter eximiam eruditionem cum pari pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitate coniunctam fuit, bonis omnibus carus, pariterque venerabundus: vtpote qui vir integerrimus atque incorruptissimus ab omnibus semper est habitus. Hic profecto vir, quod certe mirum videri poterit, totos triginta annos Oratoriæ facultatis publicus professor in Academia Valentina fuit: præcipuosque omnis generis auctores narrando primus omnium Valentinum Gymnasium Musarum domicilium reddidit. E cuius schola velut exequo Troiano innumeri pene iuuenes prodierunt, qui postea in variarum artium tractatione clarissimi magnique nominis viri euaserunt. Huius viri, quod dolendum certe est, nihil omnino exstat. Varias siquidem peræneticas, easque doctissimas orationes, quas per totos triginta annos plurimas, omnisque generis contra Sophistas *de Studiis, atque de optima iuuentutis institutione* idem ad Senatum Valentinum in Theatro ipsius Gymnasii habuit, perpetuo pressit. Venio ad alterum, *Michaelem Hieronymum Ledesmam*, Hieronymi Ledesmæ filium, eius qui ciuili secessione anno 1520. quod Regis partibus studeret, à plebe pœne occisus est, medicum postea clarissimum. Rem siquidem medicam ex Galeni scriptis cum litteris Græcis, vt res exigit, coniunctam publice profligata Arabum barbarie, in Valentina Academia multos annos professus est, simul etiam Græcam linguam, cuius erat peritissimus, docens: eiusque linguæ breues *Institutiones edidit*, vna cum duobus aliis opusculis Græcis, quorum altero oratione soluta respondet ad Luciani accusationem, qua pro Σ. agens Τ. accusat: altero *Christi passi* cruciatus carmine per centones Homericos celebrat. Primam quoque primi canonis Auicennæ sectionem ad Arabicam veritatem interpretatus est, atque *enarrationibus compendiosis* explanauit. Item *de Pleuritide* Commentariolum edidit.

Sed nunc ad *Straneum* reuertamur. Is cum esset maximus venerandæ antiquitatis amator, atque inuestigandis explorandisque vetustatis reliquiis ac monumentis insigniter curiosus, summum illi ac pæne indefessum studium fuit, Romanorum Imperatorum, aliorumque clarorum virorum vetera numismata, seu ad viuum expressas iconas, vndecunq; poterat, cõquirendi, comparandiq; quorum nummorum cum iam maximum collegisset numerum, librum conscribere est aggressus, in quo varia illa omnigenaque antiquorum numismata, varias insuper veterum lapidum, quæ in Hispania diuersis in locis visuntur, Inscriptiones, breuibus quidem illis, sed dilucidis explanationibus, grauiter & erudite illustrauit. Hunc librum licet adhuc inchoatum, necdum absolutum, vna cum elaboratis illis *in Plinium* Annotationibus, penes eruditum quendam virum asseruari subodoratus sum. Nunc, quod rideas, addam: numismata illa omnia à *Straneo* tanto studio, tot curis atque laboribus inuestigata, tot sumptibus conquisita Martini *Stranei* fratris germani, herediſque ex testamento instituti supina quadam socordia, ac temeritate funditus periere. Pharmacopola enim cum esset, ratus supellectilem illam prorsus inutilem, nullique vsui futuram, ex illis omnibus mortarium ad suæ officinæ vsum conflandum curauit. Hæc sunt, quæ de tot tantisque Valentinis aliis intacta occurrebant.

ANDREAS CAPILIA VALENTINVS.

E Carthusiensi ordine Vrgelitanus Episcopus, vbi & Societatis IESV Patribus aduocatis collegium exædificauit. Scripsit *Meditationes in anni totius Euangelia*, via purgatiua, progressiua, & illuminatiua. Solatium item peregrinantis vitæ. Ilerdæ.

BARTHOL. IOSEPHVS PASCHASIVS
Theologus.

Hic Paschasii Valentini Medici præstantis F. edidit in Philosophiæ curriculo Pachimerii Logicam, latinam à se recẽs factam: cum oratione de optimo genere interpretandi Aristotelem. Post primarius in patria sacrarum litterarum professor enituit.

PETRVS BELLVGA VALENTINVS. I. C.

BOnoniæ in Gymnasio Albornotii Hispanorum, operam dedit in iure Ciuili Ioanni Imolæ, quem Andreas Alciatus Forocornelienſem vocat: & Ludouico Pontano, hortante Alfonso Episcopo Valentino in patriæ comitiis, sub Nauarrorum Rege anni 1438. & insequentis. Scripsit *Speculum principum* opus egregium, absoluitque secundo post anno, ediditque mense quinto exilii sui: cuius tamen causam studiose reticet.

Universidad de Deusto Biblioteca

IACOBI LOPIDIS STVNICÆ

ITINERARIVM,

EX HISPANIA PER GALLIÆ ORAM ROMAM VSQVE:

Antiquitates sacras continens, & oppida.

VRBIVM NOMINA.

HISPANIÆ.

Complutum.
Carthago noua.
Cincillia.
Murgi.
Secura fl.
Ebusus insula.
Barcinon.
Rhodope.
Peralada.
Iungaria.
Bolon.
Perpinianum.
Ruscino fl.
Salsulæ.

GALLIÆ.

Narbo Martius.
Atax fl.
Biteriæ.
Orobius fl.
Mons Pessulanus.
Lunellum.
Arelate.
Rhodanus fl.
Salo.
Melamborius campus.
Aquæ Sextiæ.
S. Maximini oppidum.
Forum Iulium.
Antipolis.
Nicæa.
Varus fl.
Alpes.

ITALIÆ.

Tvrbia.
Trophæa Augusti.
Monœcus.
Villa franca.
Mentonum.
Albintimelium.
Ruthuba flu.
S. Romulus.
Albingaunum.
Merula fl.
Finarium.
Naulum.
Sauona.
Genua eiusque Arx, Portus, & Nauale.
Liguria.
Æneæ tabulæ exemplum Genuæ.
Sarzana.
Luna.
Luca.
Fuscecium.
Florentia.
Sena.
Aquila.
Vulsinium.
Mons Faliscorum.
Viterbium.
Ciminius mons.
Roncillio.
ROMA.

IACOBI

IACOBI LOPIDIS STVNICÆ

ITINERARIVM

AB OPPIDO COMPLVTENSI

TOLETANAE PROVINCIAE VLTERIORIS, Hispaniæ,

VSQVE AD VRBEM ROMAM.

AD IOANNEM STVNICAM, FRATREM,

Diui Iacobi Auratum Equitem.

CVM ex Hispania in Italiam proficisceremur, ea præcipue causa, vt Romanam curiam viseremus, illud in primis animo insedit, ne iter perfunctorie ageremus (quod plerique mortalium facere solent, ad metam tantum properantes) sed vt regiones ipsas, vrbiumque situs summa diligentia contemplantes, si quid ad pietatem antiquitatemve pertinens nostris sese oculis obiter obtulisset, in litteras mitteremus. Quæcumque igitur annotatu digna eo itinere nobis visa sunt, breui libello colligere decreuimus; eaque ad te, frater amantissime mittere, quod rerum eiuscemodi non incuriosus esse soleas: cuius rei argumento sunt varia Epigrammata & Antiquitatis indagines, quæ ad nos, si quando peregre proficiscebaris domum rediens deferre consueuisti. Leges itaque *Itinerarium* hoc nostrum eo vultu, quo reliqua ab ingenio nostro profecta legere soles; reditusque in patriam nostri similes commentarios expectato: qui longiores fortasse erunt, & accuratiore stylo digesti. Hæc enim in transcursu, & quasi aliud agentes celeriter conscripsimus, historicæ potius veritati quam eloquentiæ seruientes. Quanquam ipsa terrarum locorumq; descriptio facundiæ minime capax; orationem nostram si minus ornata quam expectabas in medium prodierit, facile excusabit. Vtrum autem aliquid operæ pretii hoc scriptionis genere fecerimus, ex narratione ipsa, quam statim auspicabimur, poteris iudi-

care: quæ fieri nequaquam potest ne plurimum voluptatis & tibi afferat, & reliquis, qui variarum ignotarumque rerum cognitione delectantur.

Complutū. *Carthago nona.* Igitur *Compluto* Toletanæ Ecclesiæ oppido percelebri discedentes *Carthaginem nouam* deuenimus tertio nonas Septemb. anni Do. M. D. XX. Erat Carthagini Illustrissimus princeps Ludouicus à Corduba, Suessanus dux, cum præclarissima fœminarum Geloyra vxore Consali Ferrantis, magni Hispanorum ducis filia & herede, in Parthenopæum regnum ad dotales ciuitates visendas classe ad id parata proxime traiecturus. Qua ex re portum Carthaginensem mari iter acturi præ cæteris Hispaniæ portubus delegimus, quo & tantum comitaremur principem; simul etiam vt piratarum incursiones, quæ mare nostrum infestum frequenter reddunt, tutissima nauigatione deuecti facile possemus deuitare. Quam vero honorifice à Ludouico duce fuerimus excepti, quanta liberalitate ac munificentia nos fuerit prosequutus, tu ipse optimus testis es; qui eo tempore ab Illiberritana ciuitate, quo ex regia curia fueras profectus, Carthaginem ad eundem Principem visendum salutandumdumque venisti. Compluto autem Carthaginem vsque nihil memoratu dignum vidimus præter *Cincilliam* vrbem loco editissimo sitam, & *Murgitanam* ciuitatem in pulcherrima & amœnissima planiciæ ædificatam, quam amnis *Secura* à Meridie præterlabitur. Portum autem Carthaginensem, vrbis situm, antiquitatis monumenta, quæ plurima adhuc extant, ipse mecum pariter conspexisti, veraque re ipsa probauimus quæ & Strabo & Liuius de *Carthagine noua* prodidere. Ad orientalem vrbis partem theatrum penitus iam collapsum perspeximus: ad occasum vero vestigia longissimi aquæductus. Rursus ad orientem spacio passuum mille, Romanorum sepulcra vidimus. Turriculæ erant pyramidum instar fabricatæ (quarum vna integra adhuc visitur) albis ac nigris lapidibus opere tessellato fabricatæ, in quarum summitatibus mortuorum cineres seruabantur. Vidimus præterea marmoreos lapides complures Epigrammatibus insculptos, partim integros, partim etiam confractos: sed ille præ cæteris memoria dignus nobis est visus, quem portæ arcis eiusdem vrbis pro superiori limine posteritas posuit. Lapis est oblongus, clarissimis ac nulla vetustate consumptis litteris ad hunc modum inscriptus:

Cincillia. *Murgi.* *Securafl.*

L. ÆMI-

L. ÆMILIVS M. F. M. NEP. QVIR. RECTVS DOMO ROM. QVIET. CARTHAGINENSIS ET SICELLITAN. ET ASSOTAN. ET LACEDÆMON. ET ARGIVVS ET BASTETANVS SCRIB. QVESTORIVS SCRIB. ÆDILICIVS CIVIS ADLECTVS OB HONOREM ÆDILITATIS TESTAMENTO SVO FIERI IVSSIT.

Ex Carthagine autem soluentes quinto Calen. Octob. triduo post Ebusitanum portum tenuimus. Est autem *Ebusus*, quam vulgus *Iuisam* vocat, altera ex pytiusis insulis, vnicum eiusdem nominis oppidum habens loco editissimo, & à mari passibus quingentis distans i situm. Inde egressi Balearicum mare perlegentes ad littus Barcinonense peruenimus. Grassabatur eo tempore Barcinone sæuissima pestis, quæ nobis impedimento fuit, ne totius Hispaniæ vrbem nobilissimam, nobis alioqui satis cognitam denuo viseremus. In Barcinonensi littore quatriduum peregimus maris tranquillitate detenti; quo tempore vix duo passuum millia progressi sumus. Aduenientibus deinde ventis tum secundis tum etiam aduersis, per mare discurrentes, *Rhodopen* tandem Emporiensium oppidulum applicuimus. In quem locum tædio longæ & inutilis nauigationis (dies siquidem quattuor & viginti in mari fueramus) Ludouicus dux cum Geloya coniuge descendere decreuit; equos, supellectilem, impedimenta denique omnia, maximam quoque famulitii partem mari Neapolim præmittere: nauigationeque dimissa, tametsi vix tertia itineris pars fuerat peracta, quod reliquum tamen erat pedibus peragere. Ego vt ab initio institueram mari alioqui infensus, terrestri itinere ducem volui comitari. Rhodopæ quattuor & viginti dies curandis corporibus nautico labore affectis insumpti sunt. Inde quarto Iduum Nouemb. discedentes per viam quæ ad Pyreneum ducit, *Peraladam* oppidum peruenimus. Ex Peralada ad vicum qui *Iuncaria* dicitur ventum est. Est autem *Iuncaria* ad radices Pyrenæi sita. Pyrenæum inde transcēdentes, per vias arduas ac præcipites in oppidum deuenimus Bolonē in planicie ex altera Pyrenei parte positū. Ex Bolone *Perpinianū*, quod oppidū maximū ac pulcherrimū est Ruscinonen. prouinciæ, atque adeo Cataloniæ totius, Barcinone excepto, concessimus. Est autem Perpinianum in diœcesi Elnensi, vberrima

Ebusus. *Barcino.* *Rhodope.* *Peralada. Iuncaria.* *Bolo.* *Perpinianum.*

Universidad de Deusto Biblioteca

quidem regione frumenti, vini, & olei feracissima ædificatum, distat à mari leucas tantum duas, estque orientali plagæ totum expositum. In editiore vero oppidi loco occasum versus, arcem habet munitissimam cum præsidio armatorum hominum centum ac quinquaginta. Alluitur præterea Perpinianum insigni flumine ad orientem, quod vulgus *Latet* vocat: puto autem id esse quod à Cosmographis *Rusceno* dicitur, vnde & prouincia nomen accepit. Flumini impositus est lapideus pons mille passuum longitudinis. Distat à Iuncaria Perpinianum leucas quinque. In Perpinianensi oppido multa memoratu digna conspeximus, sed illud longe memorabilius, quod statim referam. Monasterium est Prædicatorum fratrum amplissimum templum habens; in cuius sacrario, inter alias Sanctorum reliquias manus sinistra cum parte brachii Beati Ioannis Baptistæ maximo honore (vt par est) asseruatur, ante annos ducentos casu quodam inopinato habita. Peregrinus quidam fuerat ex orientis partibus ad Iacobi Apostoli limina in Compostella visitanda iter habens; is Perpinianum veniens beatissimi præcursoris prædictam manum cum parte brachii, quam in capsa quadam lignea secum ferebat, cum longius adhuc restaret iter prædictis fratribus asseruandam dedit, ea quidem lege, vt nemini se vno excepto aliquando redderent: quod si ipsum redire non contingeret, præfato monasterio ab eo tempore muneri obtulit. Visus amplius peregrinus non est, fato in itinere concessisse creditum. Capsa illa in qua tantus thesaurus seruabatur, oblonga est, in cuius operculo depicta videtur imago Ioannis Baptistæ, cum alis ad modum Angeli, figuram capitis ipsius præcursoris manu tenentis sinistra, in manu vero dextra formam habentis libri aperti, Græcis inscripti litteris maiusculis: supra caput vero & subtus pedes aliæ Græcæ litterę maiusculæ depictæ videntur. Quæ autem supra caput sunt ad hunc habent modum: ὁ ἅγιος ἰωάννης ὁ μάρτυρ. idest, *Sanctus Ioannes Martyr*. Quæ vero in libro descriptæ apparent, quem manu sinistra prædicta imago gestare videtur, sic habent:

Rusceno fl.

Φωνᾷ πρόδρομος ὑπηρέτης τοῦ λόγου,
Μετανοεῖν δείκνυσι φύσιν βροτείαν.

Senarii sunt versiculi, hæc ad verbum sonantes.

Clamat præcursor minister verbi,
Pœnitere monstrat naturam humanam.

Quæ

Quæ vero subtus pedes sunt litteræ in hanc sententiam leguntur; τί σε καλέσωμεν, προφήτην, ἄγγελον, ἀπόστολον, ἢ μάρτυρα; id est: *Quid te vocabimus, prophetam, Angelum, Apostolum, an martyrem?* In fronte vero prædictæ capsæ sequentes senarioli literis, & ipsi maiusculis, Gręce inscripti visuntur:

Θεὸς κάτεισιν εἰς βροτῶν σωτηρίαν.
Πρόελθε κῆρυξ τοῦ τρανῶσαι τὸν λόγον.
Ἅπαντα τἀν σοὶ θαύματος πλήρη πέλει.
Λέγει γαβριὴλ τὴν γεννησίν σου ξένως.
Πατρὸς τὴν ἀπείθειαν τιμωρῶν θέλει.
Δίκην δὲ τὴν κώφευσιν εἰσφέρει τάχος.
Ὕπερθεν ὤφθης ἀρετῶν τρισολβίων
Κρείττων προφητῶν, ἴσος τῶν ἀποστόλων.
Μαρτύρων ὤφθης κόσμος πλήρης μάκαρ.
Ἄγευστος τροφῆς παντοίων τῶν ἐν φύσει.
Γονυπετῶν προστίθει πάντων ὡς ἔθος,
Διδοὶς ἀῤῥωγὴν τοῖς προσκειμένοις πόθω
Τῇ τιμίᾳ σουθήκῃ τῇ τῶν λειψάνων.
Πραγμάτων ἐλίσσεις τε καὶ στροφὰς βίου,
Ῥῶσιν σώματος θυμιδία πλέκων,
Εὐλογῶν αὐτοὶς κυβερνῶν ὥς σοι θέμις.
Φέρεις πτέρυγας ὡς ἰσοθεὶς ἀγγέλων.
Ἔνυλος ὢν ἄϋλος ὡς σωτὴρ ἔφη.

Qui ad verbum traducti latine sic sonant:

Deus aduenit in hominum salutem,
Præueni præco declarare verbum.
Omnia quæ in te, admiratione plena sunt.
Dixit Gabriel natiuitatem tuam extranee.
Patris incredulitatem punire vult.
Pœnam autem, loquelæ priuationem infert cito.
Supra apparuisti virtutes ter beatas,
Melior prophetis, æqualis Apostolis,
Martyrum apparuisti ornamentum plenum beate,
Non gustans cibum qualiumcunq; quæ in natura sunt.
Genu flectens adiuua omnes vt mos est.
Præbens auxilium adiacentibus voto
Honorabili tui thecæ reliquiarum.
Negociorum volutiones & reuolutiones vitæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanitatem corporis cum letitia ligans.
Benedicens ipsos gubernansque, vt fas est.
Fers alas, vt adæquatus angelis.
Materialis existens immaterialis, vt Saluator dixit.

Salsulæ. Ex Perpiniano *Salsulas* deuenimus: quo in loco Hispania hodie à Gallia diuiditur. Salsulis amplissimã arcẽ eandemq; munitissimã in piano sitã conspeximus, quã maximis impensis & admirando opere nostra tẽpestate inclytus Hispaniarũ princeps Ferdinãdus huius nominis quartus ad arcẽdas Gallorũ in Ruscinonensẽ prouinciã, atq; adeo in Hispaniã irruptiones ædificandã curauit; teneturq; ducẽtorum ac quinquaginta militum præsidio. Distant à Perpiniano Salsulæ leucas tres. Narbo. Inde Galliam ingressi per loca quædã ignobilia *Narbonem* contendimus. Ciuitas est antiquissima, in planicie posita, solo feracissimo atq; vbere. Atax fl. *Atax* fluuius paruorum nauigiorum capax ab occasu vrbẽ alluit: eandemq; à suburbio diuidit, *Aude* vulgus vocat. Hinc Varro Atacinus, Argonau ticorum Apollonii Latinus interpres. Clauditur & suburbiũ lapideo muro operis egregii, ab ea præsertim parte, quę ad Hispaniã vergit, ad Salsularumq; æmulationẽ conditus videtur. In suburbio Narbonensi collegiata Ecclesia est tituli S. Pauli Narbonensis Episcopi; in quaeiusdẽ Pontificis corpus pari cleri ac populi custodia seruatur. Intra vrbẽ Ecclesia est cathedralis archiepiscopali dignitate decorata, diuis martyribus Iusto & Pastori sacra; quorũ corpora supra altare maius eiusdem Ecclesiæ requiescũt. Cathedrali Ecclesię contiguum est Episcopiũ, quadrato lapide ædificatum, altitudine immensa visendum; regium palatium existimaueris.

Narbone egressi *Biterras* versus iter cepimus, vrbẽ vero, quod pestilenti morbo infecta erat, ingressi nequaquã sumus. Biterra. Est aũt *Biterræ* ciuitas Episcopalis loco edito, qua occasum respicit posita. Ab eaq; Orobius fl. parte flumine alluitur *Orobio*, q; Indigenæ corrupto nomine *Orb* vocãt. Distat à Narbone leucas quatuor, Regio fertilissima, qualis uniuersa Gallia Narbonensis est, frumenti, vini, & olei ferax marisq; cõmodis abundans. Mons Pesu. lanus. Ex Biterris *Montem Pesulanum* peruenimus. Oppidum est insigne, Magalonensis diœcesis, à Biterris vndecim distans leucas, monticulo quodã presso insidens adeo, vt non totũ aliqua ex parte conspici possit. Domus sunt polito structæ lapide, mira celsitudine, viæ amplę, egregia templa. Monasteriũ diui Germani ab Vrbano Papa quinto ædificatum, primas illic tenet, in cuius Ecclesia tabula argentea miri operis (*retabulum* vulgus vocat) & frontale maioris aræ eadem materia & arte visuntur. Est & in *Monte Pesulano* gym

nasium

nasium illud medicinæ, annua humanorũ corporum anatomia percelebre. Medicorum quoq; collegium ab eodẽ Vrbano Papa quinto constructum. Ex Monte Pesulano *Lunellum* oppidum contendimus, Lunellum. quatuor inde distans leucas, transitoque ignobili quodam flumine, quod *Lunellum* alluit, relictoque itinere sinistræ manus, quod via regia & frequentiore in Italiam ducit, ad dextram iter cepimus per littus Genuense (sic hodie Ligusticam oram vocant) ingressuri. Igitur ex Lunello per vallem viridem, & sancti Ægidii oppidum Arelatensem ciuitatem deuenimus. Est autem *Arelate* prima prouinciæ vrbs Arelate. magno flumini *Rhodano* adiacens, loco partim plano, partim accliui Rhodanus fl. posita. Distat à Lunello leucas VII. Vrbs est vetustissima archiepiscopali titulo insignita, cathedralem Ecclesiã diuo *Trophimo* dicatã habens. Fuit autem *Trophimus* Arelatensis primus Episcopus, Apostolorum discipulus; de quo Lucas in Actibus Apostolorũ meminit sic Trophimus Arelat. Epis. dicens: *Comitatus est autem eum* (haud dubium quin *Paulum*) *Sosipater Pyrrhi Beroensis, Thessalonicensium vero Aristarchus & Secundus & Caius Derbæus & Timotheus. Asiani vero Titychus & Trophimus.* Et in Epistola ad Timotheum secunda Apostolus Paulus sic inquit: *Erastus remansit Corinthi, Trophimũ autem reliqui infirmum Mileti.* Huius autem *Trophimi* corpus in Ecclesia Arelatẽsi loco celsiore, ac ferreis ianuis cõclusso argentea theca reconditũ, semel in anno, quarto videlicet Calen. Ianuarii, quo die eius festũ agitur, publice ostenditur. Vidimus præterea intra sacrariũ eiusdẽ Ecclesię caput S. Stephani protomartyris, à Beato Trophimo Arelatẽ delatũ: corpora itẽ Desiderii Martyris, Bardulfi Abbatis, & alias Sanctorũ reliquias, partemq; imprimis ligni viuificæ Crucis. Intra eandẽ ciuitatẽ Ecclesia est Beati Antonii Abbatis, vbi corpus eiusdem requiescit, mira populorũ frequẽtia, ac deuotione singulis fere diebus salutatũ. Est & Cœnobium sanctissimæ Trinitatis, in cuius Ecclesia corpora vidimus Sãctorũ Iulitæ, Cirici, Felicis, Fortunati, & Achillei. Extat adhuc Arelate amplissimũ Amphitheatrum (*arenas* hodie vulgus vocat) in edito vrbis loco à Romanis olim constructum. Extra vrbem, orientem versus, Ecclesia est Sancti Honorati, Arelatensis Præsulis, vbi eiusdem corpus requiescit; corpora præterea sanctorum Virgilii & Hilarii eiusdem vrbis Episcoporum. Est & in eadem Ecclesia oratorium in honorem Beatæ virginis Mariæ, à sancto Trophimo constructum, vbi idem Trophimus primum sepultus est; indeque in vrbem progressu temporum translatus, cuius Epitaphium Elegiaco carmine conscriptum

Universidad de Deusto Biblioteca

ac lapidi parieti eiusdem oratorii affixo insculptum nos legimus. Est autem huiusce modi.

Epitaphium B. Trophimi.

Trophimus hic colitur Arelatis Præsul auitus,
Gallia quem primum sensit Apostolicum.
En hunc ambrosium proceres fudere nitorem,
Clauiger ipse Petrus, Paulus & egregius.
Omnis de cuius suscepit Gallia fonte
Clara salutiferæ dogmata tunc fidei.
Hinc constanter ouans cerusicem Gallia flectit,
Et matri dignum præbuit obsequium.
Insignisq; claret ingens in gloria semper,
Gaudet Apostolicas se meruisse vices.

Ante prædictam Ecclesiam Beati Honorati area est ingens, sepulchris antiquorum Christianorum plena: lapidea monumenta sunt magnorum, vt apparet corporum capacia. Remanent adhuc eo in loco nonnulla Gentilium sepulcra cum Latinis inscriptionibus, maiori ex parte vetustate consumptis. Sed illud nobis memorabilius visum est, quod ante portam exteriorem dictæ Ecclesiæ S. Honorati ad dextram manum conspeximus. Marmorea est vrna muro adhærens, in cuius fronte tale inscriptum legimus epigramma:

D. M.

DVLCISSIMO ET INNOCENTISS.
FILIO TANNONIO,
QVI VIXIT ANN. VI. M. VI. D. VI.
TANNONIVS ET VALERIANA
PARENTES FILIO CARISSIMO
ET OMNI TEMPORE VITÆ
SVÆ DESIDERATISSIMO.

Salo. Ex Arelate profecti *Salonem* Arelatensis Ecclesiæ oppidum peruenimus. Distat ab eadem vrbe leucas septem. Inter Arelatem & Salonem campus ille est, quem *Melanborium* Strabo appellat, quemque, vt ipse ait, ventus vehemens terribilis & violentissimus procellis infestat. Quod & nos, dum illac transiremus, te ipsa experti sumus, tanta ventorum vi, cælo alioqui sereno, exagitati, vt vix equis insistere possemus: ab incolisque didicimus frequentissimam illum

Melanborius campus.

illum locum ventorum tempestatem infestare. Intra Salonem Ecclesia collegiata est diuo Laurentio sacra, vbi eiusdem brachium ostenditur.

Ex Salone ad Aquensem ciuitatem contendimus, leucas quinque distantem. Hæc vrbs *Aquæ sextiæ* à Cosmographis nominatur: quæ inde sortita est nomen, quod eam *Sextius* dux, vt Liuius refert libro sexagesimo primo (si Floro abbreuiatori credimus) redactis in potestatem *Sallis*, vbi calidæ erant aquæ simul ac frigidæ ædificauit, atque à nomine suo ita appellauit. Ecclesiam habet Metropolitica dignitate insignem, tituli S. Saluatoris, in cuius sacrario caput vidimus Sancti Maximini socii S. Mariæ Magdalenæ, qui fuit Aquensis Ecclesiæ primus Præsul. Corpus præterea Beati Mithrii, qui in eadem ciuitate pro Christo martyrium pertulit. Brachium item Mariæ Magdalenæ. Caput vnius ex decem millibus Martyribus. Duo capita vndecim millium virginum. Costam vnam S. Sebastiani. Tres veras spinas de corona Domini nostri Iesu Christi. Duas portiunculas de ligno Crucis. In eadem Ecclesia in maiori choro ad manum dextram sepultus est Carolus Rex Siciliæ, & Comes prouinciæ, cum huiusmodi Epitaphio:

Aquæsextiæ.

Lilia Francorum cælestia munera Regum
Relliquias veteris Andegauæque domus,
Occulit iste lapis, cælataque marmora claudunt:
Obruta sic fatis Regia sceptra iacent.
Hierusalem & Siculos, &, si per fata liceret,
Aragones poterat nostra tenere manus.
Sed fortuna diu nostros ne ferret honores,
Accelerat mortis tempora dira mihi.
Qui legis hoc tristi conscriptum marmore carmen,
Dic: Tibi sit requies, Carole, paxque tibi.

Epitaphium Caroli Regis.

Ex Aquensi ciuitate ad oppidum *S. Maximini*, quod distat leucas sex, peruenimus. Est autem in diœcesi Aquensi situm, monasterium habens locupletissimum Prædicatorum fratrum, in quo Ecclesia est permagnifica Mariæ Magdalenæ dicata. Ecclesiam intrãtibus, ad sinistram manum capella sese offert, intra capellam spelunca est; ad quam gradibus descenditur ferreis clatris munita: quo in loco caput Beatæ Mariæ Magdalenæ in armario ferreo multis clauibus obserato summa cura adseruatur. Facies ipsa, tametsi tanta vetustate fere consumpta, venerandæ tamen mulieris speciem

S. Maximini oppidum.

præ se

Universidad de Sevilla Biblioteca

præ se fert. Habet & in fronte pellem adhuc cum carne; quo loci à Saluatore nostro tactam ferunt, cum in die resurrectionis eidem dixit: *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum.* Intra eandem speluncam multa Sanctorum corpora requiescunt, vt appareat ex tabula in Ecclesia pendente, ad hunc modum inscripta. *In præsenti sacra Ecclesia sunt tumulata septem corpora Sanctorum de societate Domini nostri Iesu Christi. Primo fuit tumulata Beata Maria Magdalena. Deinde S. Maximinus. Postea Sanctus Cedonius cæcus à nativitate, sed illuminatus à Christo. Sancta Marcella, quæ dixit Christo Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Sancta Susanna discipula sanctæ Marthæ, quæ tangendo fimbriam vestimenti Christi, sanata est ab infirmitate sua. S. Blasius & S. Sifredus, qui ambo fuerunt discipuli S. Maximini, & multa corpora sanctorum requiescunt in hac sacra Ecclesia.*

Forum Iulii. Ex sancto Maximino per castella quædam ignobilia ad *Forum Iulii* peruenimus, *Fregius* hodie vocant. Ciuitas est Episcopalis in ora Narbonensi posita ab occasu, ingens Theatrum maxima ex parte collapsum habens: ab oriente vero aquæ ductum longissimi tractus pluribus extantibus adhuc fornicibus, pro loci qualitate nunc celsis, nunc etiam depressis. Superato deinde monte difficillimo circuitus leucarum quattuor, Canoam oppidulum, atque inde *Antipolim* contendimus. Seruat adhuc nomen oppidum, ab incolis que *Antipol* vocatur, è regione Nicææ in littore situm, & ob eam rem *Antipolis* nominatum. Hoc in loco nonnulla Antiquitatis vestigia conspeximus; & in primis Theatrum ad occidentalem oppidi partem penitus iam collapsum.

Antipolis.

Nicæa. Varus fl. Ex *Antipoli Nicæam* cõcessimus maritimam & ipsam ciuitatem, quæ tametsi ad radices Alpium sita est: quia tamen vltra *Varum* flumen est posita, in Italia censetur, estque sub dominio ducis Sabaudiæ. In editiore vrbis loco ad meridiem arx est munitissima mari imminens. Arci vicina est cathedralis Ecclesia, in qua corpus S. Hospitii Abbatis eximie colitur. Ecclesiam & arcem muru quadrato lapide constructus vnico ambitu circumdat.

Alpes. Turbia. Ex Nicæa egressi *Alpes* statim conscendimus, perque iter arduum ac præruptum *Turbiam* viculum in cacumine Alpium situm deuenimus. Distat is locus à Nicæa passuum millia nouem. Hic ille est locus, quem Cosmographi *Trophæa Augusti* vocant, corruptumque sine dubio apparet nomen, vt pro *Trophæa Turbiam* barbara appellatio-

pellatione vsus obtinuerit. Extat adhuc in arce eiusdem loci illa ipsa *Trophæi* inscriptio, cuius Plinius Secundus libro tertio Naturalis Historiæ ad verbum meminit. Est autem huiusce modi.

IMP. CÆSARI DIVI FILIO AVG.
PONT. MAX. XIIII.
TRIBVNICIÆ POTESTATIS
SENATVS POPVLVSQ. ROMANVS
QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQ.
GENTES ALPINÆ OMNES
QVÆ A MARI SVPERO AD INFERVM
PERTINEBANT.
SVB IMPERIO POPVLI RO. SVNT REDACTÆ.

Monœcus. Ex *Turbia Monœci* portum & oppidum despeximus Peninsula quædam est exigui ambitus, à radicibus montis, in quo *Turbia* est sita, ortum habens. hæc portum efficit paruum quidem illum, neque magnis nauigiis accommodum. Est & in ea oppidum exædificatum, cum arce munitissima magni in eo tractu momenti, & qua haud facile inuito loci domino nauigare quis possit. Neque ignoramus plæroſq; esse, qui *Villamfrancam* à Nicæa vrbe duobus passuum millibus ad orientem distantem *Monœci portum* esse velint; nacti occasionem, quod portus illic profundissimus ac tutissimus cernatur; dicente item Lucano libro primo. *Villafranca.*

Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus
Vrget rupe caua pelagus: non Corus in illum
Ius habet, aut Zephyrus: solus sua littora turbat
Circius, & tuta prohibet statione Monœci.

Sed hos in errore versari palam est, cum *Monœci portus* is sit, quem ex *Turbia* conspici asseruimus: *Herculis* autem *portus Villafranta* sine dubio existat: id quod ex Ptolomæo apparet, cum loca illa libro tertio hoc ordine describat. *Nicæa Massilienſium. Herculis portus. Trophæa Augusti. Monœci portus.* Siquidem visuntur & hodie illo ordine *Nicæa. Villafranca. Turbia. Monœcus.* Quid? quod & Villæfrancæ portus non Circio obnoxius est, sed Africo potius vento. Contra Monœci portus Circio totus patet, ab illoque acriter infestatur. Strabo præterea libro quarto, *Monœci portum* stationem quandam esse ait, non magnarum neq; multarum ca-

pacem nauium, templum habentem Herculis cognomento *Monœci* quod is in eo solus habitaret: quod de portu *Villefrancæ* dici nequaquam potest, cum maximus ille sit multarumque ac magnarum nauium capacissimus, quod nos propriis oculis conspeximus. Nam cum ex Nicæa, quæ importuosa est, videndi illius portus causa, quod tam prope aderat, *Villam francam* peruenissem, permultas illic esse naues comperi, atque inter eas nonnullas oneratias, tantæque profunditatis omnibus in locis esse portum, vt naues quædam non paruæ oppidanis ædificiis essent alligatæ, quod nobis visum est admirabile.

Igitur ex Turbia Alpes descendentes, per præruptam omnino ad mare viam vixque permeabilem iter egimus. Imminent & immanes rupes ac præcipites, quæ iuxta mare angustissimos relinquunt transitus. Quibus magno labore superatis *Mentonum* littori Ligustico impositum oppidulum deuenimus. Distat à *Turbia* is locus passuum mil. septem. *Mentonum.*

Ex Mentono *Albintimilium* eodem situm littore loco quidem edito, ac natura munitissimo, contendimus: vulgus corrupto nomine *Vintimiliam* appellat. Distat autem à *Mentono* passuum mil. quinque. Ciuitas est Episcopalis, in cuius maxima Ecclesia nonnullæ Sanctorum reliquiæ asseruantur, & in primis maxilla Beatæ Catharinæ. Maxilla item S. Blasii. Digitus sancti Nicolai. Extra vrbem vltra flumen *Ruthubam*, quod ab Alpibus descẽdens eandem ab oriente alluit; *Rodoriam* hodie vocant: cœnobium est Diuo Augustino dicatum, in planicie situm, ante cuius vestibulum partem quandam lapideæ columnæ conspeximus, cum huiusmodi inscriptione. *Albintimilium.* *Ruthuba fl.*

IMP. ANTONINVS PIVS FELIX AVG. PONI CVRAVIT.

Ex Albintimilio ad *S. Romulum* deuenimus, quod oppidum paruum eiusdem oræ loco accliui positum. Planicies quæ inter oppidum & mare interiacet haud magnam amplitudinem præ se ferens, citreis arboribus tota est cõsita. Asportantur & inde mala ipsa citrea, in Galliam Narbonensem, & alias regiones; proque illorum precio non parua frumenti copia eodem reportatur. Sunt & palmæ multis in locis inter citreas arbores insertæ, ex quibus non paruos prouentus oppidani capiunt. Satis constat palmarum ramos magno inde numero ab Albingaunio Antistite, in cuius diœcesi S. Romuli oppidum situm est, ad festum Dominicę in ramis celebrandum, ex veteri obseruatione, Romam quotannis mitti. *S. Romulus.*

Ex

Ex S. Romulo per *Tabiam* & *Mauricii portum* Dianum & Arasem oppida & ipsa littoralia *Albingaunum* Episcopalem ciuitatẽ peruenimus. Sita in planicie vrbs est quingentos vix passus à mari recedens. Ab occasu autem Asenta flumine alluitur, sic vulgus hodie appellat, quem Plinius *Merulam* vocat. Solum est fertilissimum, ex quo præ cæteris ingens vis cannabis colligitur. Cathedralis Ecclesia Diuo Michaeli sacra. In ea corpus S. Verani Episcopi colitur. Est & aliud inter eandem vrbem templum quod S. Mariæ de fontibus dicitur, in quo corpus sancti Benedicti Episcopi requiescit. *Albingaunum.* *Merula fl.*

Ex Albingauno *Finarium* oppidum peruenimus, ab aeris salubritate sic nominatum. Titulus est Marchionatus nobilis cuiusdam Genuensis ex familia *Carrecta*, duo prope passuum millia à mari distans. In maritima Finarii oppidulum est, templum habens celebrem Diuæ Virgini sacrum, *Sancta Maria de pia* dicitur, variorum votorum atque in primis nauigantium anathematis refertum, ob insignia miracula, quæ ob singularem fidelium deuotionem ad Beatissimam dei genitricem, quæ illo in templo eximie colitur, quotidie Deus operatur. *Finarium.*

Ex Finario *Sauonam* versus pergentes, medio fere itinere *Naulum* paruam vrbem ex altis montibus in littore sitam conspeximus. *Noli* hodie vulgus vocat. Hæc portu ac celsis turribus insignis habetur. *Naulum.*

Sauonam deinde ventum est magnificam ciuitatem ac multorum populorum commercio frequentissimam. Alluitur & hæc Ligustico pelago, portum habens oblonga lapidum mole fluctibus interiecta fabricatum, multarum maximarumque capacem nauium. Habet & arcem ad meridionalem plagam, situ & arte munitissimam. In Cathedrali Ecclesia, quæ loco editiore eiusdem vrbis sita est, corpus S. Octauiani Episcopi colitur. *Sauona.*

Ex Sauona per *Varagiam Lensenum Vtrim ac Sestrim* maritima oppida, *Genuam* Liguriæ metropolim contendimus. Distat à Sauona *Genua* passuum mill. triginta. Ciuitas est nobilissima in littore ædificata, hemicycli speciem præ se ferens, circuitu passuum quattuor millium, collibus qui vrbi imminent omni ex parte subiecta, qua ex re in amplitudinem extendi nequaquam potuit; prementib. hinc monticulis, inde mare ciuitatem ipsam subeunte. Videtur autem ad Meridiem Occasumque tota exposita. Arcem habet ad Septemtrionem editissimo loco impositam. Ea Gallorum Regis no- *Genua.* *Arx.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mine & impensis à Galloque præfecto tunc tenebatur ducento-
Portum. tum hominum præsidio. Portum autem, cum nullus natura esset,
(est enim *Liguria* fere omnis importuosa Strabone auctore) arte
amplissimum, atque eundem munitissimum Genuenses effecere;
quamquam non tutam omnino stationem nauibus præbet, quippe
qui vento Africo nonnunquam infestatur; quo ipsæ interdum one-
rariæ naues, validissimis licet funibus anchorisque offirmatæ in dis-
Nauale. crimen venire solent. Est & nauale in Occidentali suburbio ædifi-
catum, duodecim triremes continens momento temporis, si vsus
venerit, omni apparatu bellico instruendas. Secundum has triremes
aliæ quattuor in portu sunt remigibus nauticoque instrumento mu-
nitissimæ ad piratarum latrocinia, Turcarum præsertim, qui maria
omnia infestant, facile compescenda: quibus Andreas Auria, vir
domi nobilis naualibusque præliis satis per orbem notus, decreto
Andreas Auria. De cuius vita rebusque gestis Car. Sig. An. 1528. publico præfectus est. Hic est ille Andreas qui anno ab hinc secun-
do Turcarum piraticam classem, summa felicitate vsus, ad Planasi-
am insulam deleuit, ingentemque de hostibus prædam Genuam
reportauit. Vias habet Genua quæ celebriores sunt satis amplas;
domos pulcherrimas ad cælum fere tendentes. Immensa est po-
puli multitudo, adeo vt præ turba vix per vias incedere quis possit.
Vestitus, forma, & color, eadem omnibus. Nigras ferunt vestes &
laneas & sericeas, neque facile nobilem ab ignobili distinxeris, tan-
ta est in exteriore cultu inter ciues æqualitas. Mulieres egregia pul-
chritudine profert Genua, sed illas efficit pulchriores tum vestitus
ipse, qui ampliorem corporum speciem reddit, tum vero capilla-
menta summa arte ad decorem composita. Flauos magnopere
crines amant, quamobrem plurimum iisdem rutilandis studii im-
pendunt. Quin & tenuissimas auri bracteas, quo splendidior coma
videatur, capillis nonnunquam inserunt. Est & illud peculiare Ge-
nuensibus fœminis, vt solæ per uias incedant nullis comitatæ ancil-
lis, vtque diebus festis pro foribus turmatim considentes, quam
ornatissimæ conspiciantur. Interdum autem binæ aut ternæ ma-
tronæ quaternæue per vrbem ambulant. Florum manipulos,
aut odorantes herbulas manibus, aut sinu frequenter gestant.
Liguria. Genuenses mercatura viuunt. Nam cum asperrimam terram in-
colant, qualis omnis est Liguria, victumque haud regio facile
præbere possit; necesse est vt alunde quæritent: quam ob cau-
sam omnes fere orbis prouincias mari adeunt. Habent enim
& na-

& nauium ingentium, quas vulgo *carracas* vocant, & aliorum
nauigiorum non paruum numerum. Materiam vero nauibus ex-
ædificandis frequentissimam Liguriæ montes præbent: quam-
quam arbores ad crassiores celsioresque malos extruendos ex Gal-
lia & Corsica insula importentur.

In Cathedrali Ecclesia, quæ diuo Laurentio dicata est, me- Reliquiæ S. Ioan. Bapt.
tropolitica fulgens dignitate, corpus B. Ioannis Baptistæ, id est, ci-
neris eiusdem ac ossa semicombusta pulcherrimo sacello ad dex-
tram Ecclesiæ partem constructo adseruantur. Hæc autem ex My-
ra Lyciæ vrbe a Genuensibus aduecta sunt, anno domini M. C X L-
IX. Nam cum à captione Antiochiæ, quo magna classe contenderant Asiaticis Christianis auxilium laturi, in patriam redirent, ac *Patarę* quæ in ora Lyciæ sita est ciuitas, appulissent Myræam vrbem illi propinquam, quæ mutato à Barbaris nomine *Stramita* nunc dicitur, adeuntes, ac corpus *S. Nicolai* eiusdem vrbis Pontificis summa diligentia conquirentes, cum asportatum iam inde ab annis multis didicissent, corpus B. Ioannis Baptistæ incineratum diuino munere sub altari quodam illic repertum, Genuam detulerunt. Quod & ipsum Alexander & Innocentius quartus summi Pont. cognoscentes, datis priuilegiis gratias & indulgentias continentibus attestati sunt. In eadem Ecclesia corpus S. *Syri* imo *Syli* potius tertii Genuen. Episcopi requiescit, quod sub maiore ara B. Laurentii reconditum primum fuerat, cum huiusmodi Epitaphio.

Hic recubat Sylus sacro bāptismate dictus,
Cuius terra leuis florida membra premit.

Leuatum autem inde postea est, ac supra eandem aram eminentiore loco repositum.

In sacrario præterea eiusdem Ecclesiæ innumeræ sanctorum reliquiæ continentur, & in primis caput S. Laurentii, Brachium & tibia eiusdem, & de craticula in qua assatus fuit. Caput Barnabæ Apostoli. Vertex capitis S. Andreæ: Caput S. Sebastiani Martyris. Duo capita Innocentum. Brachium S. Matthæi. Brachium S. Georgii Martyris. Brachium S. Triphonis: Brachium S. Theodoti Martyr. Quatuor brachia Innocentū. Manus dextra S. Iacobi minoris. Tibia S. Blasii. De thure, myrrha, & auro oblatis Domino

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostro Iesu Christo. Dens quidam magnus Beati Christophorī. Spatula Danielis prophetæ. Manus S. Patricii. De ossibus Beati Hilarionis. Item vas quoddam ex lapide Calcedonio ab Innocentio Papa octauo eidem Ecclesiæ donatum. Discus esse dicitur, in quo Herodiadis filia caput Io. Baptistæ retulit matri suæ. Est item argentea Crux, miro opere elaborata, tanti ponderis, vt à quattuor hominib. vix portari queat; in qua non parua portio ligni viuificę Crucis continetur. Hanc à Constantinopoli Genuam relatam ferunt.

In eodem sacrario intrantibus ad sinistram manum locus sese offert in quo catinus ille smaragdinus, per totum orbem diffamatus, summa custodia adseruatur. Intra armarium autem continetur tribus ferreis occlusum ianuis: quæ clauibus tredecim obserantur. Est autem vas sexangula figura, digitali crassitudine, circuitu (vt coniectari potuit) palmorum quattuor cum dimidio, altitudine palmi vnius in acutum sursum deorsum tendens, rotunda basi desinens, duas habens ansas, ex viridanti totum smaragdo precii incomparabilis, summa arte laboratum. Ferunt Genuensium annales à Cæsarea Palestinæ anno ab hinc quadringentesimo supra nonum ac decimum Genuam relatum. Nam cum Balduino Hierosolymorum Regi in expugnanda Cæsarea, ingenti parata classe Genuenses suppetias tulissent, eisque ex pacto tertia pars prædæ deberetur, catinum illum smaragdinum, in quodam Cæsareæ templo tunc repertum, in sortem illos aiunt recepisse, eundemque domum redeuntes Ecclesiæ suæ dono dedisse. Sed illis nostræ, id est, Hispanicæ historiæ aperte refragātur; in quibus legimus Alphonsum huius nominis octauum, qui se Hispaniarum Imperatorem appellauit, extremo regni tempore Almeriam, quæ in ora est Bæticæ, terra marique acriter oppugnatam vi, de Sarracenis recepisse, classeque Genuensium in eadem obtinenda vrbe non mediocriter esse adiutum, ciuitatisque dominio sibi tantum retento, prædam omnem quæ ab hostibus capta fuerat ita diuisisse, vt spoliis quotquot fuerant in vnum coactis locum, discus ex lucidissimo smaragdo, qui forte Almeriæ repertus fuerat, altera ex parte poneretur; Genuensibusque ob egregiam eo bello Regi nauatam operam optionem esse factam alteram prædæ partem eligendi, smaragdinumque discum vtpote rem pretii inæstimabilis ab eisdem electum esse, tantoq; dono lætiores in patriam reuertisse.

Catinus smaragdinus.

Intra eandem Ecclesiam prope sacellum B. Io. Baptistæ infixam

xam columnæ vidimus æneam tabulam vetustissimam, literis maiusculis incisam, quæ vt ex subscriptione apparet effossa fuerat prope Genuam in valle *Porciferæ* (amnis est nomen) ad iugi radices, anno ab hinc sextodecimo, id est humanæ salutis M. D. VI. cuius exemplum summa diligentia transcriptum, ac cum eadem tabula exactissime collatum, tametsi longiusculum erat, in gratiam tamen Antiquitatis nulla littera addita detractaue huic nostro Itinerario inserere voluimus. Sententiam esse apparet Romanorum antiquissimam, fines Genuensis agri terminantem, tenoris huiuscemodi.

Exemplum aneæ tabulæ Genuæ.

Q. Mutius Q. F. Rufus de controuorsieis inter Genuateis & Veiturios in re præsente cognouerunt: & coram inter eos controuorsias composeiuerunt: & qua lege agrum possiderent, & qua sineis fierent, dixserunt eos sineis facere, terminosq; statui iousserunt: vbei ea facta essent Romam coram venire iusserunt. Romæ coram sententiam ex Senati Consulto dixerunt Eidib. Decemb. L. Cæcilio. Q. F. Q. Mutio. Q. F. Cos. Qua ager priuatus Castelli Veituriorum est, quem agrum eos vendere heredemque sequi licet: is ager vectigal nei siet. Langatium sineis agri priuati ab riuo infimo, qui oritur ab fontei in Manicelo ad flouium Edem ibi terminus stat. Inde flouio suso vorsum in flouium Lemurim. Inde flouio Lemuri susum vsque ad riuom Comberane. Inde riuo Comberanea susum vsq; ad conualem Cæptiemam, ibi termina duo stant circum viam postumiam. Ex eis terminis recta regione in riuo Vindupale. Ex riuo Vindupale in flouium Neuiascam. Inde dorsum flouio Neuiasca in flouium Procoberam. Inde flouio Procobera deorsum vsque ad riuom Vinelascam infumum: ibei terminus stat. Inde sursum riuo recto Vinelasca: ibei terminus stat, id est, propter viam postumiam. Inde alter trans viam postumiam terminus stat. Ex eo termino quei stat transuiam postumiam recta regione in fontem in Manicelum. Inde deorsum riuo quei oritur ab fonte in Manicelo ad terminum quei, stat ad flouium Edem ageri poblici, quod Langenses possident: hisce finis videntur esse: vbi confluont Edus & Procobera ibei terminus stat. Inde Ede flouio sursouorsum in montem Lemurino infumo: ibei terminus stat. Inde sursum vorsum iugo recto monte Lemurino: ibei terminus stat. Inde sursum iugo recto Lemurino: ibei terminus stat in monte Prouauo. Inde sursum iugo recto in monte Lemurinum summum ibi terminus stat. Inde sursom iugo recto in castelum, qui vocitatust Alianus ibei terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Louentionem ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Apeninum, quei vocatur Boplo ibei terminus stat. Inde Apeninum iugo recto in montem Tuledonem

Immaniullo.

Vind.

Immaniullo.

Louentionem.

Universidad de Deusto Biblioteca

ibei terminus stat. Inde deorsum iugo recto in flouium Veraglascam montem Berigienam infumo ibei terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Prenicum ibi terminus stat. Inde dorsum iugo recto in flouium Tulelascam ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto Blustiemelo in montem Claxelum ibi terminus stat. Inde deorsum in fontem Lebriemelum ibi terminus stat. Inde recto riuo Eniseca in flouium Porcoberam ibi terminus stat: Inde deorsum in flouium Porcoberam vbei conflouont floui Edus & Procobera ibei terminus stat. Quem agrum poplicum iudicamus esse: eum agrum Castelanos, Langenses, Veiturios posidere fruique videtur oportere: pro eo agro vectigal Langenses Veituris in poplicum Genuam dent in annos singulos VIC. N. CCCC. *Sei Langenses eam pequniam non dabunt neque satisfacient arbitratu Genuatium, quod per Genuenses mora non fiat quo setius eam pequniam acipiant; tum quod in eo agro natum erit frumenti partem vicensimam vini partem sextam Langenses in poplicum Genuam dare debento in annos singolos. Quei intra eos fineis agrum posedet, Genuas aut Viturius quei eorum posedit. K. Sextil. L. Caicilio. Q. Muutio. Cos. eos ita posidere colereque liceat, eus quei posidebunt vectigal Langensibus proportione dent: ita vti ceteri Langenses quei eorum in eo agro agrum posidebunt fruenturque. Praeterea in eo agro ni quis posideto nisi de maiore parte Langensium Veituriorum sententia: dum ne alium intromitat nisi Genuatem aut Veiturium colendi causa. Quei eorum de maiore parte Langensium Veiturium sententia ita non perebit: is eum agrum nei habeto neiue fruimino. Quei ager compascuos erit: in eo agro quo minus pecuascere Genuates Veituriosque liceat ita vtei in cetero agro Genuati compascuo ne quis prohibeto, niue quis vim facito: neiue prohibeto quo minus ex eo agro ligna materiamque sumant vtantur q. Vectigal anni primi. K. Ianuaris secundis Veturis Langenses in poplicum Genuam dare debento. Quod ante. K. Ianuaris primas Langenses fructi sunt eruntque vectigal inuitei dare nei debento. Prata quae fuerunt proxuma faenisicei. L. Caelio. Q. Muutio Cos. in agro poplico quem Vituries Lagenses posident: & quem Odiates & quem Dectunines & quem Cauaturineis & quem Mentonines posident: ea prata inuitis Langensibus & Odiatibus & Dectuninebus & Cauaturines & Mentonines quem quisque eorum agrum posidebit inuiteis eis ni quis sicet: niue pascat: niue fruatur. Sei Langenses aut Odiates aut Dectunines aut Cauaturines aut Mentonines malent in eo agro alia prata inmittere defendere sicare, id vti facere liceat dum ne ampliorem modum pratorum habeant quam proxuma aestate habuerunt fructique sunt Vituries. Quei controuorsias Genuensium ob iniourias iudicati aut damnati sunt, sei quis in vinculeis ob eas res est: eos omneis soluei mittei leibe-*

Berigenia.

Dectumini.

leiberarique Genuenses videtur oportere ante eidus Sextilis primas. Si quoi de ea re iniquom videbitur esse, ad nos adeant primo quoque die & ab omnibus controuorsieis bono publ. li. leg. Moco. Meticanio Meticoni. F. Plancus Peliani Pelioni. F.

Hactenus ænea tabula, in qua præter antiquam illam elegantiam & orthographiam multis in locis ab ea, quam postea vsus obtinuit dissidētem, illud adnotandum est, easdem dictiones vario modo inscalptas illic repertas esse. Siquidem & *iouserunt* scriptum legitur, & *iuserunt* & *dixserunt* & *dixerunt*: & *susum* & *sursum*: & *Procobera* & *Porcobera*: & *Genuates* & *Genuenses*: & *Langates* & *Langenses*. & alia ad hunc modum nonnulla, qua de re lectorem admonendum esse censuimus, ne id librariorum negligentia putaret accidisse.

Sunt & aliæ intra Genuam Ecclesiæ in quibus sanctorum reliquiæ adseruantur, & in primis Ecclesiā S. Matthei, quæ in platea Aqriensium sita est, sub cuius maiore ara corpus B. Anastasiæ Virginis & Martyris Constantinopoli advectum requiescit. Corpora item Sanctorum Martyrum Mauri & Eleutherii, & cineres SS. Martyrum Maximi & Pelagii in eadem Ecclesia continentur.

In Ecclesia præterea S. Syri corpus ipsius reconditum est, & corpora sanctorum Confessorum Felicis, Romuli, & Valentini.

Prope ecclesiam Cathedralem vbi paululum ascenderis, palatium sese offert publicum, ingentem sub dio aream continens. Hoc inhabitat *Octauianus Fregosus*, vir strenuissimus Genuensium Reip. auspiciis, Gallorum Regis gubernator, trecentorum hominum præsidio septus. In palatio cum fratre habitat *Federicus Fregosus* Salernitanus Archipræsul, litterarum egregius cultor, Græceque ac Latinæ linguæ per quam eruditus, consilio & auctoritate fratri, in patria gubernatione, adiutor.

Genuensium ditionis tota ora Ligustica est à *Corui* (quod vocant) promontorio vsque ad *Monæci* portum. Continet autem id littus millia passuum ducenta, in cuius medio ipsa sita est Genua, cui tanquam matrici ac principi omnes eæ ciuitates, quæ in Liguria visuntur, innumera præterea castella, ac vici parent. *Corsicam* item insulam in mari Ligustico Genuenses possident, & in ora Ioniæ *Chium*. Felices inquam homines, nisi mutuis certantes odiis, dum alterum alteri cedere inhonorum ducunt, eas inter se factiones suscitassent, quæ ipsam Rempublicam, qua nihil carius

Universidad de Murcia Biblioteca

illis esse debuisset, propemodum euerterunt. Sed de *Genua* hactenus.

Sarzana. Inde profecti per Liguſtica oppida tam maritima quam etiam mediterranea *Sarzanam* peruenimus. Diſtat à Genua *Sarzana* paſſuum millia ſexaginta, à mari vero duobus tantum millibus. Ciuitas eſt Epiſcopalis, ſiquidem Lunenſis Eccleſia in eandem translata

Luna. eſt, diruta iam inde *Luna* antiquiſſima ciuitate, & ad mare poſita. In Cathedrali Eccleſia, quæ diuæ Virgini dicata eſt, corpus Beati Baſilii Lunen. Epiſcopi ſumma veneratione colitur. In eadem Eccleſia Sacellum viſitur Thomæ Apoſtolo ſacrum. Hoc Philippus Cardinalis Bononien. Nicolai Papæ quinti Germanus frater (fuerat ex Sarzana vterque) conſtruxit, dotauitque. In hoc Sacello mater Nicolai V. ſepulta eſt cuius Epitaphium, ob rarum felicitatis exemplum, addendum hic cenſuimus. Eſt autem huiuſcemodi.

Epitaphiũ. matris Nicolai Papæ.

ANDREOLA DE CALANDRINO
NICOLAVM V. PONT. MAX. SEDENTEM,
ET PHILIPPVM CARD. BONONIEN.
MAIOREM POENITENTIARVM
EX SE NATOS ROMÆ MATERNO AFFECTV
SALVTAVIT.
SPOLETI MORIENS EIVSDEM CARD. PIETATE
IN PATRIAM DELATA HVMILI HOC TVMVLO,
FELIX TANTA PROLE, QVIESCIT.
VIX. ANN. LXXX.
OBIIT ANN. M. CCCC. LI.

Ex Sarzana per Maſſem Epiſcopalem ciuitatem & oppidum

Luca. Petram Sanctam, *Lucam* conceſſimus. Diſtat à Sarzana Luca millia paſſuum duo ſupra triginta. Ciuitas eſt libera loco plano, licet non admodum feraci ſita, Epiſcopalem habens Eccleſiam ampliſſimam ac pulcherrimam, Diuo Martino dicatam, in qua multa Sanctorum corpora requieſcunt, & in primis corpus B. Reguli Epiſcopi Populonienſis, & Martyris. Corpus S. Agneli Abbatis. Corpus S. Lucinæ matronæ Romanæ. Corpus S. Benedicti presbyteri. Corpora SS. Vincentii, & Benigni, Iaſonis, Mauri, atque Hilariæ Martyrum. Corpora item SS. Remedii, & Auertanis Epiſcoporum. In eadem Eccleſia ſepulchrum cernitur Mathildis Comitiſſæ, illius inquam Mathil-

Mathildis quæ opulentiſſimo legato Romanæ Eccleſiæ patrimonium auctius reddidit. Quanquã ſunt qui dicant non eo in loco, ſed in monaſterio S. Benedicti permagnifice ab ea ædificato, quod duodecim paſſuum millibus diſtat ab vrbe Mantua, ſepultam eſſe. Sunt & aliæ intra Lucenſem ciuitatem Eccleſiæ, in quibus Sanctorum corpora viſuntur. Siquidem in Eccleſia S. Michaelis, quę in maximo foro ſita eſt collegiũ Canonicorum habens, corpus iacet S. Dauini Confeſſoris. In Eccleſia vero S. Paulini eiuſdem corpus requieſcit. Corpora item S S. Martyrum Valerii, Tiburtii, Valeriani, & Maximi, Theobaldi & Lucæ. In Eccleſia S. Fridiani Epiſcopi & Confeſſoris corpus eiuſdem iacet, Ricardi præterea Confeſſoris & Caſſii Epiſcopi, & Fauſtæ Virginis. In Eccleſia S. Alexandri corpus eiuſdẽ. In eccleſia S. Ioannis, corpus S. Pantaleonis Martyris. In Eccleſia S. Dominici, Prędicatorũ fratrũ inſtitutoris, Romani Martyris corpus. In Eccleſia S. Bartholomæi in ſilice, quæ eſt in ſuburbio, corpus S. Pontiani Martyris. In Eccleſia S. Iuſtinæ, corpus Sylai Epiſcopi & Confeſſoris. In Eccleſia S. Donati, corpus S. Theodori Epiſcopi Lucenſis. In Eccleſia S. P. extra muros corpus S. Syneſii Martyris. Horum autem omnium diuorum faſtos dies quotannis Lucenſis Eccleſia ſolet celebrare.

Luca diſcedentes *Senas* verſus iter acturi, *Fuſecium* oppidulum *Fuſcium* *Arno* flumini adiacens, peruenimus. Scaphis deinde traiecto flumine quamquam paſſuum millia viginti à recto itinere flectere videbamur, ne tamen Florentia inclyta vrbe non conſpecta progrederemur mutato conſilio ad ſiniſtram verſi per Montem Lupum, Emporiam & *Laſtram Florentiam* conceſſimus.

Eſt autem *Florentia* ciuitas Ethruriæ ampliſſima plano loco *Florentia* ædificata. Hanc *Arnus* fluuius mediam fere interluit, quattuor magni operis pontibus intra vrbem iunctus. Vias habet longitudine & latitudine inſignes permagniſque lapidibus ſtratas, celſa præterea domorum frontiſpicia, quæ & ipſa lapide; perpolito maiori ex parte ædificata viſuntur. Templũ in ea vrbe eſt celeberrimum diuæ Virgini ſacrum Metropolitica fulgens dignitate; hoc extrinſecus marmoreis lapidibus albis ac nigris pulcherrima varietate incruſtatum cernitur. Turris, qua campanæ continentur, eodem fabricata opere immenſa celſitudine viſenda Eccleſiæ proxima eſt mediainteriecta via. In hac Eccleſia innumeræ Sanctorum reliquiæ cõtinentur Apoſtolorum videlicet Martyrum, Confeſſorum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac Virginum. Corpora præterea S S. Zenobii & Podii eiusdem vrbis Episcoporum & S S. Eugenii & Crescentii Confessorum. E regione maximi templi Ecclesia est rotunda Ioanni Baptistæ sacra. hanc *Baptisterium* appellant, tota & hæc marmorea habens ianuas, quas æneæ valuæ operis egregii occludunt. In medio illius Ecclesiæ Baptisterium è marmore lucidissimo positum visitur. In hoc Florentini omnes baptismi lauacrum percipiunt, neq; alibi quisquam præter quam in hoc baptisterio aquis salutaribus tingitur. In hac Ecclesia Balthasar Cossa, Ioannes quondam Papa xxiii. sepultus est nobili monumento, cum huiusmodi Epitaphio:

IOANNES QVONDAM PAPA XXIII
OBIIT FLORENTIÆ
ANNO DOMINI. M.CCCC. XVIIII
IX. CALENDAS IANVARII.

Habet Florentia parochiales Ecclesias quattuor & quadraginta e quibus nonnullæ sunt collegiatæ. Has autem omnes & pulchritudine & structura Sancti Laurentii basilica excellit a *Mediceorũ* illustri familia ædificata, quæ & ipsa collegium canonicorum habet. Vidimus intra illam Ecclesiam pulcherrimo sacello magni illius *Cosmi de Medicis* viri opum affluentia famigeratissimi marmoreum monumentum, cum huiusmodi inscriptione: DECRETO PVBLICO PATER PATRIÆ. Hic ille est Cosmus qui filium habuit Petrum, nepotem Laurentium, pronepotem vero Ioannem, qui nostra tempestate ob vitæ integritatẽ moresque sanctissimos post Iulium Papam. II. ex Diacono Cardinali primario, octauum ac tricesimum agens annum, communi Patrum concordia totiusque Christianæ reipub. mirabili applausu ad summũ pontificatum euectus est, ac LEO X. appellatus. Virorũ ac mulierum cœnobia septuaginta & sex intra vrbem *Florentiam* & in suburbanis sunt. Xenodochia numero octo supra triginta. In palatio publico eiusdem ciuitatis Euangelium B. Lucæ Græce conscriptum ostenditur, putantque ipsius Euangelistę autographum. Monstrantur item Pandectę illæ archetypæ Iuris ciuilis, id est, Digestorum libri Latino sermone a Iustiniano Cæsare cõpositæ. vtraq; enim lingua, id est, & Græce & Latine idẽ liber est editus. Nutrit præterea *Florẽtia* Leones ex publico magno numero, estque ciuitatis insigne *Leonis aurata imago*; quamquam gestant & *Lilii rubeum florem* ad vrbis nomen alludentes. Ditissimus supra modum populus, vt qui terræ abundet fructibus

Mediti

ctibus, & ingenio & industria maximam sibi pecuniarum vim comparent. Nemo illic ocio vitam transigit, sed mercaturæ aut artificio intẽti omnes: neque probro nobilitati datur rem familiarem honestis artibus auctiorem reddere. Litteras & Græcas & Latinas ab incunabulis Florentini perdocẽtur, neque rem militarem negligunt, vtpote qui armis ac potentia bonam Hetruriæ partem in potestatem redegerint, redactam fortissime tueantur. Mulieres pulcherrimas habet Florentia, id quod vniuersę fere Italiæ commune est. Naturalem autem Italicarum feminarum pulchritudinem splendidus cultus auget: qua ex re externos in sui admirationem facile conuertunt, cum humana effigie augustiores esse videantur. De *Florentia* autem hactenus dictum sit.

Inde profecti per Sancti *Cassiani* oppidum ac *Pogium*, qui *Pontii* dicitur, *Senas* deuenimus: quæ vrbs duobus ac triginta millibus passuum a Florentia seiung itur. Ciuitas est permagnifica, loco partim plano partim accliui posita. Intrantibus antemuralis primum area sese nobis obtulit, satis ampla, ad portam ipsam ciuitatis pertingens. In huis areæ medio columnam vidimus marmoream. huic lapis erat impositus ab ea parte quæ Florentiam respicit imperatoriis insignibus ac Portugalensium regum insculptus; altera autem ex parte, id est, Senas versus tale continebat epigrama: *Epigramma.*

CÆSAREM FEDERICVM III. IMP.
ET LYONORAM SPONSAM PORTVGALIÆ REGIS FILIAM
HOC SE PRIMVM SALVTAVISSE LOCO
LÆTISQVE INTER SE CONSVLTASSE AVSPICIIS
MARMOREVM POSTERIS INDICAT MONVMENTVM.
AN. DO. M. CCCC. LI. VII. KAL. MARTIAS.

Ecclesiam habet *Sena* satis pulchram mettropolitica dignitate insignem diuæ Virgini sacram. In hac sacellum est B. Ioannis Baptistæ ex Pario extructum lapide, in quo dextrũ præcursoris brachium peculiari Senens. Senatus custodia seruatur, neque nisi semel in anno, idque in eius festiuitate, hoc est, VIII. Calen. Iulii publice ostenditur. Iuxta hoc sacellũ Bibliotheca ædificata est, muros habẽs historia Pii papæ secundi ex nobilissima eiusdem vrbis Picolomineorum familia progeniti intrinsecus depictos. E regione Cathedralis Ecclesiæ Xenodochium illud est per totum orbem memoratum quod *Sanctæ Mariæ de la Scala* dicitur Hoc viginti aureorum milium annuos reddit' possidere aiunt, idq; õne neque unico tãtum numo reseruato

Senæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

pietatis operibus quotannis impendi. In quodam autem sacello Ecclesiæ eiusdem Xenodochii, quæ ampliſſima est, ac deaurato cooperta tecto, vnus è clauis, quibus Saluator noster cruci affixus est, adseruatur. Habet & Sena Academiam percelebrem, id est, generale studiū, vnde & complures magni in re litteraria nominis hacten⁹ prodierūt, & cultiores indies prodeunt. Quod illi ciuitati cū multis Italiæ vrbibus commune est, in quibus litterarum studia maxime florent. Siquidem ad cæteras felicitates illa vel præcipua Italiæ accedit, quod omnium bonarum artium domiciliū, non secus ac illa quondam Græcia, iure potest appellari.

Ex Sena per *Lusignanum*, *Bonconuentum*, *Sanctum Quiritium*, ac *Pontem Sentinum* ad *Aquam pendentem*, (sic oppiūd hodie nominatur quod Ptolemæus *Aquulam* vocat) & *Vulsinium*, lacui qui *Vulsinus* dicitur impositum, iter fecimus. Vulsinii corpus Beatæ Christinæ Virginis & Martyris continetur, quę eo in loco pro fidei confessione in lacum magno grauata pondere ab impiis coniecta, cum diuina virtute liberata esset, variis cruciatibus afflicta sagittis tandem confecta est.

Aquula. Vulsinium. B. Christina

Ex *Vulsinio* ad Montem Faliscorum deuenimus qui corrupta appellatione *Montefiascon* nunc dicitur. Oppidum quidem nobile loco edito situm, intra quod Ecclesia est Margaritæ Virgini sacra, vbi eiusdem corpus paucis ab hinc annis repertum summa veneratione colitur. Est & alia Ecclesia quæ S. Flauiani appellatur. Hic autem *Flauius* cum Hadriano imperante illius oppidi præfectum ageret, pro CHRISTI nomine Martyrium pertulit, eiusque caluaria illic ostenditur. Distat id oppidum à Senis mil. pas. lvii.

Mons Faliscorum.

S Flauianus

Ex *Monte Faliscorum Viterbum* concessimus, quæ ciuitas est haud vetusti nominis, media planicie eaque arenti (quamquā intra vrbem nobiles visuntur fontes) ædificata. Distat à Monte Faliscorum mil. pass. VIII. Ecclesiam habet Episcopali dignitate insignem, in qua corpora S S. Valentini & Hilarii requiescunt. Corpora item Eugenii, Narcissi, Argei, & Marcellini, Papatæ & Trāquillini Martyrum. Hæc *Longula* a Cosmographis vocatur, siquidem *Viterbum* noua apellatio est, id quod ex tabula marmorea apparet Longobardicis literis incisa quæ paucis ante annis in agro Viterbensi reperta est, qua beneficia in Viterbū & alia Ethrutię loca Desiderius Longobardorum rex memorat, in qua sic legitur: *Et ut fuhr... muro cingat suam ciuitatem oppidi Longulam, Viterbium, ... Faleriam, Valeriam, ... di-*

Viterbum.

Ab hac illa à Io. Annio ansecta Inscriptio, vide dend.

tam Ethruriam, totamque vrbem nostra adiectione Viterbum pronuncient. Est & in eadē ciuitate monialium cœnobium tituli S. Rosæ in cuius Ecclesia corpus eiusdem virginis integrum ostenditur, præsidioque esse parturientibus pro comperto habetur, si cingulo aliquo præcingantur quod corpus S. Rosæ tetigerit. Qua ex re cingula tum lanea tum sericea, interdum etiam aureo aut argenteo contorta filo, quæ sanctum tetigere corpus in hunc vsum ab eodem cœnobio accepta per totam vrbem asportantur.

Ex Viterbo autem superato Ciminio monte, *Roncillionem* concessimus. Montem deinde *Rosulum*, *Baccenas*, *Insulam*, ignobilia quidem loca licet solo feracissimo posita prętereuntes, Romam tandē peruenimus, quinto Idus Februarii An. Do. M. D. XXI. Pont. S. D. N. Leonis Papæ decimi Anno octauo.

Ciminius mons. Roncillio. Roma.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERIES EORVM QVÆ IN TRIBVS PRÆCEDENTIBVS Tomis Bibliothecæ Hispaniæ continentur.

TOMO PRIMO Continentur.

Præfatio ad Inicum Borgiam.

CAP. I.

Hispaniæ nomina pag. 1.
De Hispaniæ locis & vrbibus Val. Martialis epigramma. 2
De Hispania Epigrama Fr. Franchini Consentini ad Ioannem Casam Archiepisc. Beneuentanum. 4.
Valentiæ vrbis Hispaniæ laus aduersus Iul. Cæs. Scaligerum acerbe eandem vituperantem. 5.
Religionis in Hispania Antiquitas ac fides, ex orat. Iosephi Stephani Episc. ad Sixtum v. pont. Max. 7.
De B. Iacobi Apostoli in Hispania discipulis: ex vetustissimo Ecclesiæ Lugdunensis Martyrologio. 8.
De translatione S. Iacobi Apostoli ex Floriacensi vetere Bibliotheca Lugduni edita à Ioan. à Bosco, anno 1605. 9.
De Prisciliano Abulensi Episcopo & Priscillianistis. 13.
De Feliciana hæresi 14.
Paulini Aquileiensis Episcopi aduersus Felicem Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum episcopos, qui Christum adoptiuum Dei filium falso docebant, lib. 15.

CAP. II.

Academiarum Hispaniæ Catalogus: ex Iac. Middendorpio. 28.
Salmanticensis Academiæ descriptio ex apparatu Melchioris Cerdæ soc. Iesu 32.
Complutensis Academiæ descriptio, auctore Melchiore de la Cerda soc. Iesu Hispali rhetoric. lib. De Apparatu Latini sermonis. 51.

CAP. III.

De regia Bibliotheca & monasterio Hieronymianorum sodalium ad S. Laurentium Escuriacii: ex Io. Mariana de rege & regis Institut. 61
Ioan. Bapt. Cardonæ episc. Dertosani, de Bibliotheca regia S. Laurentij in Hispania consilium. 62.

CAP. IV.

Gentium, vrbium, montium, fluuiorum Hispaniæ Catalogus alphabethicus Latinis vulgatisque nominibus. ex annalib. Io. Marian. 85
Vrbium, oppidorum, fluuiorum, vicorumque Hispaniæ celebrium Catalogus, Latinis vulgatisque nominibus, ex Itineratio Antonini Augusti, Notisque Hieronymi Suritæ. 88.
Alius similis Catalogus, alphabeti serie, ex Ioannis Mariettæ Dominicani Ecclesiastic. histor. 94.
Flumina Hispaniæ alphabeti serie 100.

CAP. V.

Catalogus Episcoporum ac sanctorum; quibus oppidis Hispaniæ aut præfuerint aut colantur; potissimum ex Io. Marietta. 101.
Nomina Episcopatuum Hispaniæ, VVamba rege; ex Ioan. Mariana Annal. 112.
Constantini diuisio Episcopatuum: ex eodem 114.
Episcopatus Hispaniæ hodie. 116
Episcopi in Hispani concilo Illiberitano patrum XIX. 117.
Episcopi Hispaniæ in secundo Arelatensi concilio. 118
Episcopi Hispaniæ, idemque martyres: exhist. Eccl. Io. Mariettæ 119.
Pontifices & Episcopi Hispaniæ confessores: ex eodem. 120.
Catalogus Archiepiscoporum: ex Stephano Garibay 123
De Episcopis & concilijs Cæsaraugustanis, Ant. Augustini Epistola ad Hier. Blancam. 125.

CAP.

INDEX

CAP. VI.

Nobilitatis Hisp. flos siue Ducum, Marchionum & Comitum enumeratio, additis & familiæ & ditionis nominibus. 130.
Alia Series nobilitatis Hispanicæ prouinciarum ordine digesta: additis & familiæ cognominibus 136.
Regum aliquot Legionensium in Hispania Epitaphia, e Marmoribus descripta 142
Epitaphia Episcoporum quorundam Hispaniæ 143.
Adefonsi siue Alfonsi Casti regis Epitaphium 144.

CAP. VII.

Regum Hispaniæ Gothorum, Conciliorumq; Toletanorum series Historica: ex comm. Alphonsi Villadiegi I.C. 146
I. Athanaricus. 146.
II. Alaricus I. 148.
Synodus Toletana I. ibid.
III. Athaulfus. 149.
IV. Segericus 150.
V. VValia. ibid.
VI Theudoredus ibid.
VII. Thurismundus 151.
VIII. Theudericus ibid.
IX. Eurieus. ibid.
X Alaricus 152.
XI. Gesaleicus ibid.
XII. Theudericus II. 153.
XIII. Amalaricus ibid.
Concilium Toletanum II. ibid.
XIV. Theudis 154
XV. Theudiscius. ibid.
XVI. Aguila ibid.
XVII. Athanagildus ibid.
XVIII. Luiba I. 155
XIX Leouigildus: & Herminigildus F. Martyr ibid.
XX Recaredus I. 157.
Concilium Toletanum III. 159
XXI Luiba II. 160.
XXII. VVidericus ibid.
XXIII Gundemarus 161.
XXIV Sisebutus ibid.
XXV Recaredus II. 162.
XXVI Suinthila I. ibid.
XXVII Sisenandus 163.
Concilium Toletanum IV. ibid.
De foro iudicū quis auctor & quando conditum 172.
XXVIII Suinthila II. 165.
Concilium Toletanum V. ibid.
B. Isidori mors. 167.
Concilium Toletanum VI. 166
XXIX. Tulca 167.
XXX. Chindasuinthus ibid.
Concilium Toletanum VII. ibid.
XXXI. Receesuinthus ibid.
Concilium Toletanum VIII. 168.
IX ibid.
X ibid.
D. Eugenius. S. Ildefonsus ibid.
XXXII VVamba 169
Concilium Toletanum XI. 170.
XXXIII. Frusgius ibid.
Concilium Toletanum XII. 171.
XIII. ibid.
XIV. ibid.
XXXIV. Egica 172.
Concilū Toletanum XV. ibid.
XVI. ibid.
XVII. 173.
XXXV. VVitiza ibid.
XXXVI. Rodericus ibid.

TOMO II.

Continentur

Elogia & nomenclator clarorum Hispaniæ Scriptorum, qui vel Ecclesiam Dei propugnant, vel disciplinas omnes illustrant, per Classes X.
Præfatio ad lectorem. 179.

I. CLASIS.

Antiquorum Sacrorum Hispaniæ scriptorum, Poëtarum, & oratorum. 181.
Ildefonsus 182.
Isidorus episc. Cordubensis ibid.
Isidorus Hispalensis episc. 183.
Damasus Papa 183.
Aprigius episc. Pacensis 184.
Iustus Vrgelitanus & Iustinianus Valentinus episc. fratres ibid.
Leander archiepisc. Hispalensis 185.
Raimundus à Pennafuerte seu à rupe fortī 186
Martinus Legionensis ibid.
Eulogius martyr 187
Vincentius Lerrerius ibid.
Braulio 881
Gregorius Baricus ibid.
Patianus episcopus ibid.
Idacius episc. Lucensis ibid.
Ioannes Episc. Gerundensis ibid.

Mumm

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eutropius episc. 190
Maximus episc. ibid.
Hosius Cordubensis episc. ibid.
Paulus Burgensis episc. 191
Hadrianus & Traianus impp. 191
Theodosius imp. 192
Alfonsus x rex ibid.
Sextilius Hena 192
Pomponius Mela 193
Turanius Gracula 194
Columella 194
Cornelius Hispanus & Clodii Turrini ibid.
Porcius Latro 195
Senecæ duo pater rhetor, & filius Stoicus Philosophus ibid.
Lucanus poëta 198
Silius Italicus 199
Martialis ibid.
M. Vnicus, Licinianus, Decianus, Canius Poetæ 201
M. Fabius Quinctilianus ibid.
Voconius Victor 203
Avicenna 204
Averroes ibid.
Hierotheus S. Pauli auditor 205
Prudentius poeta sacer 205
Iuuencus ibid.
Paulus Orosius 206
Alphonsus Tostatus Abulensis episc. ibid.
Fr. Ximenius card. archiep. Toletan. 207
Sacri Hispaniæ scriptores. ex Trithemio Spanhemensi Abbate 208

CLAASIS II

Dominicanæ familiæ. ex Ant. Senensis Lusitani Bibliotheca, & Io. Mariettæ Eccles. hist. 217
Ioan. Turrecremata 228
Barthol. Carranza ibid.
Balthasar Sorius 229
Barthol. Martyrum 230
Barthol. Medina ibid.
Barthol. Casa ibid.
Didacus Deza 251
Didacus Astudillus ibid.
Fr. Victoria 252
Fr. Forerius 253.
Hier. Oleaster ibid.
Dominicus Soto 234.
Petrus Soto ibid.
Melchior Canus 235.
Dominicus Bannez 247
Ludouicus Granatensis 238
Ioan. Lopez 239
Moyses Iudæus ibid.
Nicol. Eymericus 240
Bartol. Ledesma ibid.
Iac. Ximenes Atias 241
Fr. Garsias ibid
Hier. Pereira Lusitanus ibid.
Ferdin. Castella ibid.
Hieron. Almonazar 242
Alfonsus Ciacconius ibid.
Ioan Viguerius. 243
Ioan. Crucius ibid.
Ioan. Pedrasa ibid.
Petrus Hispanus ibid.
Ioan. Marietta 244
Ioan Gallio ibid.
Thomas Maluenda ibid.
Didacus Aluares ibid.
Philippus Menesius Lusitanus ibid.
Antonius Penna ibid.
Anton. Fonseca 245
Anton. Dominicus ibid.
Petrus Irurosius ibid.
Ioan. Segobiensis ibid.
Matthæus Ormsius 246
Matthias Pacius ibid.
Melchior Puteanus ibid
Paulus Legionensis ibid.
Petrus Martyr ibid.
Sanchius à Porta ibid.
Thomas Mercatus 247
Vincentius Iustinianus Antistius ibid.
Fr. Cordubensis ibid.
Thomas Valentinus ibid.
Alphonsus Carillus Archiepisc. Tolet. ibid.
Thomas de Truxillo 248

CLASIS III

Ordinis minorum ex fratre Henrico Guilloet Belga. 248
Alexius Salamanca 249.
Alfonsus à Castro ibid.
Andreas Vega ibid.
Antonius Cordubensis 250.
Christophe. Moronus ibid.
Anton. Guevara ibid.
B. Antonius de Padua 251.
Aluarus Pelagius ibid.
Bernardinus Arenacensis ibid.
Didacus Stella 252.
Didacus Valades ibid.
Fr. ab Ossuna 253.
Fr. Cordubensis ibid.
Fr. Gusmanus ibid.
Fr. Horantius ibid.
Fr. Ortisius ibid.
Fr. Zamora 254
Gutierrus Trenis ibid.
Ioan. Pineda ibid.
Ioseph. Angles Valentinus ibid.
Ludouicus Carbaialus ibid.
Ludou. Villapandeus 255
Marcus Vlysiponensis ibid.
Michael Medina ibid.
Philippus Diaz ibid.
Pontius Carbonellus 256
Ioannes Iubinus ibid.
Ant. Ruuius Legionensis ibid.
Nicol. Ramos ibid.
Ioannes de Ducenas ibid.

CLASSIS IV.

Carmelitarum.
Ex Trithemio, & Pet. Lucio Belga 257
Didacus de Leon 258
Fr. Martini ibid.
Petrus Thomæ ibid.
Fr. de Bachone ibid.
Guido Perpinianus 259
Ioan. Balistarius ibid.
Simon Cœlius ibid.
Michael Carranza 260
Ioan. Consobrinus ibid.
Petrus Rimi ibid.
Philippus Ribotti ibid.

CLASSIS V.

Eremitarum S. Augustini. 261
Ex Ios. Pamphili episc. Siguini, Chronicis, & Hieronymo Romano.
Alphonsus à Corduba 262
Alphonsus ab Orozco ibid.
Alphonsus Vargas Toletanus ibid.
Alphonsus à Vera Cruce 263
Hieronymus Romanus, & Ioannes à S. Ioseph. Lusitanus 263
Didacus Stunica ibid.
Gaspar Casallus ibid.
Iacobus Magnus 264
Iac. Perez Valentinus ibid.
Laur. à Villavicentio ibid.
Alfonsus Mendoza 265
Ioan. Bapt Burgos ibid.
Ioan. Suarez Lusitanus ibid.
Ludou. Hurtadus 266
Ludou. Legionensis ibid.
Ludou. Montoya Castellanus 267
Martinus de Cordoua ibid.
Melchior Thamar. Salon. Valentinus ibid.
Theodoricus Vrias ibid.
Thomas Villanouanus ibid.
Vincentius Montagnesius Valentinus 269
Fr. à Christo Lusitanus 270
Petrus de Aragon ibid.
Dionysius Vasques Toletanus ibid.
Ioan. Gregorius Satorius ibid.

CLASSIS VI.

Societatis Iesu Theologorum. 271
Fr. Borgia 272
Alf. Salmero 273
Ioan. Mariana 284
Fr. Turrianus & Barthol. Torres 285
Petr. Ioan. Perpinianus 288
Societatis scriptorum ac Theologorum in Hispania variis trans Pyrenæos locis editorum series 291
Fr. Toletus Cordub. 294

CLASSIS VII.

Iurisconsultorum aliquot. 299
Ant. Goueanus Lusit. 300
Martin. Azpilcueta doctor Nauarrus 301.
Didacus Couarruuias à Leyua 304
Ant. Couarruuias 306
Fr. Sarmientus ibid.
Ant. Augustinus 307
Fortunius Garsias Cantaber 320
Petrus Ruisius Morus 321
Barthol. Albornotius 323
Emmanuel Costa Lusitanus ibid.
Arius Pinellus Lusit. 324
Emmanuel Soarez à Ribera 325
Ferdin. de Loazes ibid.
Iacob. Simanca 325
Ioan Bernard. Diaz, de Luco ibid.
Fr. Vargas ibid.

CLASSIS VIII.

Medicorum aliquot.
Arnoldus à Villanoua 326
Fr. Valesius 327
Christoph. Oroscius ibid.
Christoph à Vega ibid.
Amatus Lusitanus 328
Nicol. Monardus ibid.
Ludou. Mercatus ibid.
Henricus à Gueilar, & alii ibid.
Ioan. Fragosus Tolet. 329
Fr. Mich. Vigerensis. ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Laur. Gozar ibid.
Anton. Lacuna ibid.
Anton. Cartagena 331
Christoph. Acosta ibid.
Ludou. Abulensis à Lobera ibid.
Pet. Iac. Steue Valentinus ibid.
Ludou. Colladus Valentinus 332
Ferd. de Mena Lusitanus 333
Fr. Scobarius Valentinus ibid.
Ioan. Brauius Petrasitanus ibid.
Petrus Hispanus ibid.
Pet. Paulus Pereda 334
Pet. Penna & Matth. Lobel ibid.
Rod. à Fonseca Lusit. ibid.
Hieron. Ximenez ibid.
Michael Io. Paschasius Valent. ibid.
Ioan. Bustumantius ibid.
Ioan Vascus 335
Andr. Alcazar ibid.

CLASSIS IX.

Poetarum & Feminarum eruditarum 336
Poetæ sacri 336
Poetriæ & fœminę Hispanæ eruditione claræ 340

CLASSIS X.

Hispanicorum præsertim Ecclesiasticorum 345
Lucas Tudensis episc. 346
Rodericus Ximenius ibid.
Florianus Occampius 347
Ambros. Moralis ibid.
Hieron. Surita 348
Steph. Garibaius 349
Gundisaluus Illescas ibid.
Alfonsus Villegas 350
Alfonsus Venerus ibid.
Ioan. Maldonatus ibid.
Alf. Aluarez Guerrero 351
Ferdinandus Pulgar ibid.
Anton. Nebrissensis ibid.
Fr. Tarafa ibid.
Ioan Mariana 352
Hieron. Blancas ibid.
Tomichus historicus ibid.
Gaubertus Fabricius ibid.
Historici externi & Hispaniæ inquilini 352

APPENDIX.

De legitimis Hisp Historicis iudicium 354
De Beroso fictisque ab Annio historicis Manethone, Metasthene, M. Catone, Fabio Pictore, Sempronio, Myrsilo Lesbio, Archilocho, Xenophonte, Ioan. Goropii Iudicium 365
Censura Gasparis Varrerii Lusitani de falso nomine edito Beroso sacerdote Chaldæo: interprete And. Schotto 386
Censura eiusd. in Manethonem sacerdotem Ægyptium: interp. eodem 407
Eiusd. censura fragmentorum M. Porcii Catonis originum, quæ Annius falsis titulis edidit & expliciauit. eodem interp. 417
Iudicium eiusd. de libello Q. Fabii Pictoris de aureo sęculo & origine vrbis Romæ 431

TOMUS III.

Continentur

Elogia & nomenclator clarorum Hispaniæ scriptorum, qui disciplinas omnes illustrant per classes V. 443
Præfatio ad Ioan. Marianam 445

CLASSIS I.

Bæticorum seu Vandalusiorum 447
Ant. Nebrissensis 448
Ioan. Latinus Æthiops 450
Paulus & Michael de Palacios Granatenses 451
Gregorius Bæticus ibid.
Bened. Arias Montanus 452
Sebast. Foxius Morsillus 453
Alf. Garsias Matamoros 455
Ioannes Maliara 456
Barthol. Barrientus ibid.
Petrus Mexius 457
Ludouicus Auila ibid.
Ioannes Auila 458
Ioan. Ramirez & Academia Bæsana 462
Didacus Perez Valdinia 463
Ioan Genesius Sepulueda 464
Gundisaluus Ponce de Leon 469

CLASSIS II

Lusitanorum.
Arius Barbosa 471
Henricus Cardinalis Portugaliæ 473
Conimbricensis Academia 474
Goueani tres 475
Ant. Pinus Portodomæus 476
Petrus Nonius mathematicus ibid.
Ioan. Menesius, alias Amadeus 477
Gaspar Varrerius ibid.
Garcias Menesius orator & Alfonsus 478

Iac. Tetius 479
Iac. Paiua de Andrada ibid.
Ioannes Biclarensis ibid.
Andr. Resendius 480
Achilles Statius 483
Damianus à Goes 490
Gondisaluus Pinarius 494
Michael Cabedius 509
Iacobus Mœnetius Vasconcellus Ic. 518
Hector Pintus 524
Antonius Senensis 526
Michael Syluius 527
Hieron. Osorius episc. 528
Hieron. Osorius canonicus 532
Antonius Lupius 533

CLASSIS III

Castellanorum seu Carpetanorum 534
Ægid. Albornotius Card. 535
Petrus Garsias 542
Iacobus Simancas episc. ibid.
Inicus Mendoza 543
Ferdin. Mendoza ibid.
Didacus Hurtadus Mendoza ibid.
Fr. Bouadilla Card. Mendozius 544
Bernardinus Sandoualius ibid.
Leo Castrius 564
Freden. Nonius Pintianus ibid.
Ioan. Vergara Toletanus 552
Fr. Vergara 555
Petr. Ciacconius 556
Aluarus Gometius 564
Aluarus Gometius alter 566
Gaspar Villalpandeus ibid.
Petrus Rhua Numantinus 567
Garcias Loaysa 568
Petrus Fontidonius ibid.
Fr. Salinas Burgensis ibid.
Laurent. Balbus 569
Herrerę pater & filii tres 570
Ioan. Matt. Siliceus 571
Martinus Martinii 572
Medinæ tres ibid.
Cyprianus Cisterciensis monachus 575
Ioan. Roias Sarmientus 576
Alexius Vanegas Toletanus ibid
Petrus Ximenius Canensis episc. 577
Ioan. Petreius ibid
Fr. Sanctius Brocensis 578
Garsias Lassus 579
Didacus Lopez Stunica 584
Anton. Honcala 585

CLASSIS IV

Celtiberorum seu Aragonensiũ, Tarraconensium, seu Catalaunorum & Balearium 587
Ioan. Verzosa 588
Bernardinus Gomesius Miedes episc. 589
Laurentinus Palmyrenus & Agesilaus F. & Vincentius Blasius Valentinus 590
Petrus Ciruelus 591
Cosmas Damianus 592
Ioan. Christoph. Calcetus Stella 596
Michael Venatus 597
Raimondus Lullus 599
Michael Thomasius 691
Arnaldus Albertinus ibid.

CLASSIS V.

Valentinorum 602
Iacobus Perez 603
Iacobus Ferrusius ibid.
Ioan. Lud. Viues 604
Ioseph. Stephanus episc. 608
Honoratus Ioannes ibid.
Honoratus Vlzina 609
Io. Bapt. Cardona ibid.
Petr. Ioan. Nunnesius 611
Ioan. Bapt. Monlorius 613
Ioan. Bapt. Agnesius ibid.
And. Semperius 614
Ioan Blasius Nauarrus 615
Fred. Furius Ceriolanus ibid.
Pet. Ant. Beuter ibid.
Ioan. Gelida 616
Io. And Stranchus & Ioan. Nauarrus
Mich. Hier. Ledesmius 619
Andreas Capilla. 623
Barthol. Iosephus Paschasius ibid.
Petrus Belluga Ic. ibid.
Iacobi Lopidis Stunicę Itinerarium ab oppido Complutensi Toletanę prouincię vltenotis Hispaniæ. vsque ad vrbem Romam 625

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ERRATA CORRIGENDA.

Quod abesset auctor longius, multaq; peccentur à librariis, scribarumq; vitio, hinc menda quæ irrepserunt, sic otium nactus emenda, legesq; expeditius.

Pag. 5, *vers.* 14 *lege*, imperitat Philippus
v. 33 hæc felix diuite terra sinu
6, 17 Salue magna parens
10, 1 loco terræ
20 familiæ
25 rabido, atq; superbo
15, 1 bibliotheca delitescat
20 pseudoepiscopo,
17, 14 inebriati, *non*, deinbriati
26 qui erat in eo nõ per gratiam
19, *v. vlt.* arrigeres
20, 10 parui pendentes
17 Euangelistæ
36 non amisit
21, 11 vtinam merear.
22, 4 natum est
24, 11 per corporeos oculos
34 quæ te forsitã somniantem
25, 23 dicito ergo mihi
26, 31 respuentes
27, 30 tumultus
28, 17 Cerbuna Episcopo Turiasonensi
18 Laminitano
29, 2 Nicolao Gruchio
6 incubui
9 Payua
21 iure certare poterit
16 poeta pius
30, 1 Ilerdam
25 pertractatione
31, 9 quæ vulgo
24 CHRISTIANÆ M. D.
30 Pantinus
32, 8 Palmyrenus
27 penistylium
37 portam
33, 4 primariæ
6 cum tenderimus
17 sunt scalæ
32 candidatis
35 penistylium
38 Iuris Ciuilis
34, 17 antepauimentis
35, 13 vna Digesti
28 quotannis
36, 13 Salmanticenses
37, 15 ipse numero
19 ambituri
24 Roderici
35 quæstu
38, 10 in itinere
40, 30 multitudinem scholasticorum
37 donatam
42, 11 conductis equis
43, 1 quinquennio
22 auferre
47, 20 in quacunque
48, 8 propterea quod
50, 10 tulit
52, 8 bonarum artium
13 vt ædificium
56, 9 galero
19 & totius
58, 5 pluris habentur
17 locum referant
60, 9 percepta sunt
10 Sed age,
15 munus respondendi
26 optimis
35 Hippocrates
61, 1 Iusto, Pastorique
26 amplissimus
63, 34 ex Hieronymiano
65, 33 ad Granatam commissa
66, 1 penitiora
67, 7 deterere
13 semipedali
17 è crystallo est
68, 7 IOAN. BAPT.
70, 9 adscribatur
75, 16 Sed & alios indices
79, 16 Tarraconensis
82, 38 à sodalibus
83, 21 qui Barcinonensem
85, 17 Calamitud.
25 Carthago nouæ
86, 25 Talauera
87, 19 Badayor
90, 9 Caldas aquas in Ausetanis
11 Dertosa
93, 8 Ciudad Rodrigo
21 qui de Recaredi Regis
96, 7 Dianium
10 Ebro rio
103, 10 ex Mela nepos
106, 29 fratris Leandri
108, 20 Tolosatum
109, 30 templi Ioannæ
110, 2 Gaudiosus
17 Blasius Ortisius ibidẽ Canonicus
34 μονοφύτης
111, 14 Bernardino Sandoualio
112, 16 nostra ætate
116, 37 Vrgelitanus
117, 5 Caurienſis
121, 12 S. Ioannes Biclarensis
123, 1 *adde*: TOLETANOR. Ex.
124, 23 nominis, *pro*, nostris
126, 7 Illiberitano
11 Ausonii Galli
23 Mauricii
31 dist. 3.
127, 5 id in Idacium —— matarem, si cetera conuenirent.
18 Barcinonensi
21 Gerundensis
38 Recaredi
128, 15 Braulionis. *& hic infra*
27 prid. Kal. Nouemb.
129, 10 Tationis
130, 12 Frias
38 Meneses
131, 28 Denia
15, 117 hunc dicunt
28 deprædatum
152, 5 vibes cepit
15 ALARICVS
154, 31 tenuit annos 14

Universidad de Sevilla Biblioteca

148,154,v.32 à Iustiniano
155,24 augustis finibus
32 Herminigildo
156,13 vti Io. Abbas Biclarēsis
157,17 meritissimo
158,17 Vascorum
159,6 CONCILIVM TOLETAN. III.
24 sic incipit:
162,1 RECCARIDVS.
2 an. Christ 621
163,1 & 4 Sisnandus
164,2 anni Dom. 633
14 ad Conc. Tolet. 4
165,4 qui nunc exstat
167,28 CONC. TOLETAN. VII.
38 fidem Catholicam corde
169,5 erroris labe
170,4 apud Nausam fudit, & de capto
26 CONC. TOLET. XI.
174,20 vitium obtulit Rodericus
31 Sarracenorum

TOMO II.

178,5 per Saturam
181,6 *à fine.* Alph. Tostatus
183,38 Siculus, qui in Hisp.
187,24 sanctimonia
190,11 & quantum Recared
193,35 Pintiano
194,16 l. rg ar, laudation
195,30 Colonia est: *dele* & es
196,7 quæ initio
198,29 Aciliam
201,36 Berenice
206,33 celebrius
208,10 frequentiam
223,37 De abstin. carnium
258,8 Lusitaniæ cæso clauū tenuit
259,36 Alphonso inscripta— Enchiridion contra Iudæos
242,37 Pontificum Rom.
245,9 & ex B. Antonino
37 Segobiensis
250,15 detegendi secretum
252,7 lugemus
255,17 & in Italicam
259,26 scrutator acutus
263,15 & haud segnes
27 Sacerdos
270,9 Eburo
274,35 commentationi
285,8 Pyrenæos
18 cælo, duro atq; labore
28 qui in B. Thomam de Trinitate pereruditos posteris reliquit Commentarios, quos Salmanticæ & Venetiis edidit, institutus
290,1 ex eadem
5 singulæ ætates
25 De Deo trino
292,15 De cultu adorationis
307,24 conticescunt
315,14 Apelles
29 digna
316,27 piraticum cum Cilicib.
323,23 ex eorum numero
325,1 ille iacet
328,7 Dioscoridem
331,23 terra exhaustus
332,8 heroico
335,4 *à fine:* & impuros
339,17 Cur vomat eporas
340,8 Hic situs est Didacus
342,28 ingenuas artes virtute
345,9 Blancas
11 Guerrero
346,5 studio versans
350,1 aliaque
351,13 Latine vtcumque
35 laqueos induxit
352,13 Ioan. Nunnesii
353,5 Marius Aretius
16 Ludou. Nunnesius
19 Pintianum
34 Bosulus
354,15 quo plures
20 supersuit
355,19 ne deesset
372,1 eleuasse
373,7 vir in primis grauis
25 tam impudenti
376,16 deserta, Thasum adiuerit
29 Apollinis
386,24 Catholicæ fidei scriptoribus minime
389,13 reprehendendi veteres
23 Euripides
24 attribuunt
394,33 assimiles
397,2 Anticlides
401,23 & mille figmentis
403,12 putaretur potius
30 ingeniosæ inuenīāt nugæ
408,7 non autem
411,26 & sexaginta
412,3 Aegyptum perdidisse
21 innoxii omnes
26 populus Pastorum
416,35 vel qui usi non
417,4 Io. Annius
13 operæ parcentes
418,13 *in marg.* Scriptor de Viris
27 momentis
419,2 ducto à Catone
421,5 in eandem iussē sententiam
7 prodidit, fore
422,1 *dele bis repetitum:* à Phalerio virgino Phalisca
8 conditoribus
36 præteriissent, Venetos
423,4 classicorum
9 M. Cato, cuius
13 Criticus nimis audax
25 Bilbilitani poetæ
425,1 quis non videt?
33 Volaterris
426,3 Originum
12 lib. v. de scribit
14 arcesseret
16 M. Catonis eam libris rep.
427,11 Aboriginibus
18 teridit
28 Cato ipse
429,38 Rhodiensibus enim
430,23 non erubuerit addiscere;
20 scrupulum
23 longo post tempore
431,3 *in marg.* antea
433,26 *in marg.* Agell. lib. xi. cap. xviii. *& inf.* Agell. lib. xiii. cap. xvi.
434,5 quodam eorum commendatas
24 libere quidem
37 quos de Originibus
436,28 sic nominatum
438,1 admouerent
19 & Amulium
439,5 ad eædem Amulii

TOMO

TOMO III.

443,v.33 & quod mirere magis.
453,15 animum induxit
28 Alcinoum & Plethonē, *non* Platonem
456,34 Caluero Stella
35 anno 1570
459,15 Cyri prædia
18 eius ideam
26 profecta
32 ne audita quidem
37 pietati dedit
463,30 pronunciarit
464,32 hori subsecuis
465,9 Pomponatius
14 animum appulit
466,1 vigiliarum opus
6 G. berto
26 Casa, Chapæ
35 in causis occult.
468,15 marmori lapideo
469,12 causis occultorum criminum
470,19 *lege:* Henricus Card. & Episc. Eborensis. Hieronymus Osorius, Episc. Siluensis
22 Vasconcellus
24 Teuius
471,16 Tacebant tum
473,6 littoris Oceanus
7 Quæq; habet— prædiues
8 Quicquid habet
20 Fuit ARIVS
33 TIT. SS. Quattuor
475,2 VINETI ad
476,10 Lectionum
26 in tertium Quinctil.
477,38 erudita narratione
478,9 quam copiosius Lusitanice editam
12 *dele,* Lusitane
32 adhortans, vehemēterque agens, vt
480,24 subsecuis
28 Grudiorum
31 respondet
481,7 *lege,* Kebedo Toletano, Vasæo Brugensi, & Ambr. Morali.
8 in Salmanticensi Academia
11 Conimbricæ Eloquētiæ doctoris personam
483,28 *Ἰησοῦς*
33 *in marg.* Photius Patriarcha
37 carminum, quæ
485,21 in Poetica apis
486,2 obedientiales
6 *dele,* anno Domini. *Scriptum erat* A. D. *pro* ante diem.
487,3 *Ψευδοπροφήτου*
12 Theophanica
20 Sinaitæ
491,30 Latinæ doctotis linguæ
493,9 Brabantinum
494,17 data scripta
496,3 Eborum
31 peracta
497,7 diligeretur, & obseruaretur
499,22 ostendebatur
38 quadragesimo tertio
500,10 effusis
501,4 quæ Regi
12 in vulgus rumoribus
502,20 comitiatum
27 subleuandis
503,8 inculcari
37 Baionem peru. ad decimum quinctum
506,12 prælagiebant
507,10 ægritudine
514,29 ad res difficiles
515,15 ad astra volauit
521,10 Catholica religio
15 Interamnensi
524,35 in odeo nouem
527,15 legi dignum sit
529,10 Osorio Bononiæ familiaris
13 Canescent sæclis
530,26 Romam cum venit
532,35 luculenter ac diserte
534,12 Hurtadus
15 Sandoualius
19 Vergaræ— & Alf. Cortona
9 Herreræ, pater,
18 Vannegas
25 Honcaia
535,9 principem virum
27 insisset
540,24 videamur
541,6 intempesta nocte
34 hoc spectato
543,5 anno, *dele semel*
6 Campegii
546,4 Sanctis Græcis Patrib.
552,6 *emenda sic:*
Salue ergo atque vale: molliter ossa cubent.
IN PATRIAM.
Spirant suaue rosæ. quid mirum? Vallis oletum
Produxit—
Sternuis? omen
553,11 Complutensis bibliothecæ
561,35 scribendoque procuderet
563,32 sæculorum sæculis
567,26 tegeret, velaret
569,13 de raptu Helenæ
570,37 Card. lib. 3. in extremo
571,18 Siliceus est
573,13 *dele,* ac
574,37 non solum libello
576,3 Matamorus
579,15 Franc. Petrarcham
16 in poema suum
580,1 robora, togatis
13 doctoris personam
581,25 primas obtinet
34 Primus & Ausoniis
583,18 Lassum patriis
584,29 quæ studia
585,18 rerum à se spectatarū
589,17 Alcanisensis
590,9 adierit:
591,7 oppidum Aragoniæ
9 quasi prunum
592,27 verti
593,15 haud scio
34 *ἐκ τῶν Φοινικῶν*
594,31 via ac ratione
37 dubio, & in fide controuerso
595,3 vsi sunt
32 foret assidue
33 Toxica
596,3 Barcinonensis
598,37 Quod latet ingenii
600,16 Pici Mirandulani
601,11 Socino minori
602, *tol.* 1 Honoratus Vlzina
2 Pet. Ant. Beuter
v. 6 Ledesma
604,14 non aspernor
605,30 Doctrinæ columen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pa
1
P.608,v.19 è Thoma Caietano
di.diss.hinc
31 Delicium ingenii
32 an.c10.10c.11.
609,12 nihil enim viuus
33 Manresa
613,25 decessit nuper
615,28 Comitiis
619,7 singularem
620,27 mirum quam
622,6 enarrando
632,11 Claret & hic signis,
gēs cui gloria sem p
645,38 reliquiæ
647,31 tenens, Senatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca